Nº A
7 - 281

22. a. 3-3.

Nº 7
27-3604

3
24-40

BIBLIOTECA
UNIVERSITARIA
GRANADA

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala A
Estante 7
Tabla
Número 287

BIBLIOTECA
UNIVERSITARIA
GRANADA

Biblioteca Universitaria
GRANADA

R/7169

R. P. BARTHOLOMÆI

DE SCOBAR

HISPALENSIS

E SOCIETATE IESV.

CONCIONES

SVPER OMNES BEATÆ VIRGINIS DEIPARÆ MARIÆ FESTIVITATES.

Nunc primum in lucem editæ & duplici Indice illustratæ.

del Col.º de la Comp.ª de Ihs de Granada



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

PARISIIS,
Apud SEBASTIANVM CRAMOISY, viâ Iacobæâ, sub Ciconijs.

M. DC. XXIV.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

M 1462

R. ADMODVM

P. N. MVTIO VITELLESCHI,

PRÆP. GENERALI SOCIETATIS IESV.

BARTOLOMÆVS DESCOBAR EIVSDEM SOCIETATIS. SALVTEM.

DEMENTATVS nemo, cui multo opus Elleboro, verba illa dulciora bellarijs atticis, hyblæo melle, & carmine quod vicinus fato

Advada Mæandri concinit albus olor,

In Iacob inhabita, & in Israël hæreditare, & in electis meis mitte radices, de assertoris nostri diua Matre saltem mysticè interpretari sine inglorio pudore audebit inficiari. Sed quos, vt prima tacitus omittam, electos appellabimus? in quibus tanquam in fortunata, vbereque terra fabulosa aurea arbore ditior Maria altissimas actura radices, quas

Non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, & fuga temporum.

An Lybicis areis, falernis torcularibus, Athalacis conditionibus, Persidibus gazis, & pulchro Midæ tactu diuites, superbos? Cæci numinis, vagi inconstantis dona hæc ignarum, cæcum, mobile credit vulgus immeritis persæpè concessa ad illorum ruinam, exitium, ludibriumque fortunæ. Bene Tragicus

O si pateant pectora ditum
Quantos intus sublimis agit
Fortuna metus! Brucia choro
Pulsante fretum mitior vnda est.

An maiorum claris nominibus, & titulis barbaricis spolijs, triumphis marmoris, æris, argenti, vel auri beneficio ab interitu, & obliuione vindicatis illustres colendos, suspiciendos? Inania sunt hæc, & ipso aëre leuiora, quæ, si lumen virtutis non accedat, ante supremi Imperatoris oculos frigent, vilescunt, contemnuntur.

Nam quid imaginibus, quid auitis fulta triumphis
Atria quid pleni numeroso consule fasti
Profuerint, cui vita labat? perit omnis in illo
Nobilitas, cuius laus est in origine sola.

An silentes Pythagoras, ridentes Democritos, flentes Heraclitos, Socrates animosos, Tyrannis illudentes Zenones, alioque permultos emeritos Mineruæ duces? sed istorum sapientia, ni bonis artibus comitetur, & iustitiæ sole illuminetur, grata Deo esse non potest. Electos igitur voco non antiqui fœderis, sed iunioris Nazaræos candidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores, quos Ma-

riæ honor tangit, gloria ſollicitat, amor in laudes, cultum, & religionem volentes excitat, impellit; fœlices ter, quater, tam beata ſorte donati, in quorum albo te, Reuerendiſſime Pater, contineri, cum vera fama has ab vrbe gentium Domina, Iano clauſo, recluſo, longiſſimis terræ, & maris ſpatijs diſcretas oras iamdudum ingreſſa, mutis linguis conticeſceret, res ipſa apertis, vt aiunt, tybijs doceret ignaros, conuinceret dubitantes. Cùm enim illius familiæ diuinitus clauum teneas gubernator, quæ Virginem multis titulis ab incunabilis vt parentem agnoſcit, & ne ingrata iudicetur ſuorum natorum ore, & calamo omnes gentium ordines ad tantæ Reginæ debitos honores indefeſſe hortatur, quis neget te caput illius meritiſſimum deuote, & pie ante alios æterni Regis venerari genitricem, maximè dum probe calles, quos ſtimulos, & calcaria etiam currentibus moderatorum addant exempla: Quæ ſatis confirmant quæ duo ſubijciam mihi certo cognita, & explorata; alterum, te ad impoſitum humeris graue munus cum tuo, & ſubditorum maiori commodo obeundum, ne Momus aliquis male perſtrepat

Turpe eſt quod nequeas capiti committere pondus.
Et preſſum inflexo mox dare terga genu.

Mariam, cuius dono Reges regnant, & iudices certa decernunt, fautricem, & patronam elegiſſe, qua duce

Pone me, pigris vbi nulla campis
Arbor æſtiua recreatur aura:
Quod latus mundi nebulæ, malúſque
Iupiter vrget:
Pone ſub curru nimium propinqui
Solis, in terra domibus negata.

Alterum, in votis habere ad illius beneuolentiam, & gratiam magis in dies singulos conciliandam, stabiliendam, si non aureis catenulis ritu gentium, si datur ita loqui, deuincire. Ergo tibi iure optimo Marianum hoc opus & tempestiue consecramus, vt tuo primum nomine Vniuersi Dominæ in eam gratia testandæ pietatis, nudandi interni amoris, supplice, libentique animo dicetur, inscribatur: nec ingratum futurum illi munus timeas, cùm laudes illius, & præconi complectatur, superis & imis magis acceptum sacrificium, quam si auaro

——— *totus seruiat Hebrus,*
Ruraque diues cingat Hydaspes,
Intraque suos currere fines
Spectet toto flumine Gange.

Ipsaque occinat: Qui elucidant me vitam æternam habebunt. Finio igitur, immortalemque Deum animitus precor, Reuerendissime Pater, quam fælicissime & diutissimè Societati nostræ, tuæ curæ, magno alti numinis consilio, beneficio, creditæ ad illius singulare bonum, & prouentum adesse te velit

——— *Dubio quem non in turbine rerum*
Deprendet suprema dies, sed abire paratum
Ac plenum vita.

Mihique tuam gratiam

——— *Dum spiritus hos reget artus*

Sartamtectam dignetur conseruare.

AD LECTOREM.

QVORSVM inquis Mariane Lector, hæc sermonũ volumina, ab vltima solis occidui plaga? ab opimis illis auri, argentique fodinis, quarum munere primogenitus orbis, vt ita dicam, à iuniore mutuatur, vnde vetustatis ac inopiæ suæ damna resarciat? Parumne tibi feciſſe videris in gratiam Europæ ſororis tuæ natu maioris, America, ſi tam opulenta corporum ſubſidia & ornamenta, tam præſentia pariter (quamquam ô tempora, ô mores!) honorum atq; voluptatum compendia ſubmiſeris? Tantumne bonorum, tantumne diuitiarum, vt animorum inſuper neceſſitati remedijs tam nobilibus ſuccurrere te poſſe confidas, & audeas? Age vero, quod felix, fauſtumque ſit, ſed ea præſertim qua te polliceris ingreſſurum via, celebratione feſtiuitatum, commendationeque chariſmatum Magnæ Matris æterni Dei.

Macte animo, Mariane Lector, certè quidem Marianum pectus egregie ſapit oratio tua; & ita quidem, vt hoc ſolatij genus, omni auro, argentoq; Peruano ſine dubitatione toto cœlo prætioſius, ab Americana copia tibi merito collatum velim. Magna itaque, ac ſane commemorabilis eſt Chriſtianorum in hac immenſa terrarũ noui orbis amplitudine, vbiq; gentium, in cultum altiſſimæ Reginæ mortalium ac immortaliũ conſpiratio. Magna, ſed quod imprimis ſuperos optare ac impertiri auguror, tranquilla, placẽs, vnius apud omnes generis & moris, apud nos, inquam, ſub Peruani præſertim regni clementia. Quæ conſpiratio, quanta cum cœleſtis aulæ voluntate, confirmationeque curſum teneat, vel ex eo manifeſtum euadit, quod omnipotens diuinæ virtutis manus, ad amplificandam ſummæ ſuæ Genitricis gloriam, fiduciam que omnium, qui ſub eius tutelæ clypeo ſaluti ſuæ conſultum volunt roborandam, in vno præſertim eoque non ignobili cliente deſignare dignata eſt.

Quod vtique ad susceptum opus eadem ob causas consummandum, animi certè mihi longè plurimum addidit.

Non ita pridem ergo quam hæc scriberem, mense martio, anni supra mille sexcentos decimo octaui, Augustinus deVega, vir clarissimus, Præfectus Prouincialis Ordinis sui Patrum Dominicanorum, iacebat ex febri mortuo quàm viuo similior: nuntiũ Magistratui desperatione salutis iam remiserat, nihil aliud præstolabundus in posterum, quam Imperatoris summi iussu de statione sua decedere. Inter cæteras cogitationes, quæ in illo articulo sollicitam, sed incertam euentus sui mentem exercent, ecce tibi salubrem vnam è cœlo proculdubio profectam, oblatamque ambabus vlnis admittit, amplectiturque toto impetu corporis, animique superstite.

Ite, inquit, terna fratrum meorum paria, ad ædem Virgini Matri sine macula conceptæ sacram (ea est Virginum Deo dicatarum in vrbe Limensi, sub hac appellatione, immaculatæ Conceptionis) operatum sacris solemniter, ea forma, ritu, verbisque quibus isthic sacra summo Numini fiunt ad memoriam Conceptionis Deiparæ, originalis culpæ labe carentis. Hæc inculpata puritas est omne votum meum, omnis fiducia mea, hæc sola mihi in tam desperata vita spem aliquam reuiuiscẽdi, nec profecto mediocrem ostendit. Ite igitur charissima pignora mea, ite si me amatis, in nomine Domini, in gratiam Patris vestrum amantissimi.

Dictum, factum, idque strenue, hinc à germana Magni Dominici, eiusque vicarij laborantis prole; Illinc ab Virginibus gloriæ numinis sui cupidissimis, Inde ab omnipotenti Deo, longè strenuius, siue in comprobando stabiliendoque absolutissimo Parentis suę nitore, siue in reuocando ab inferis, vt ita dicam, ad hanc lucem pristina cum dignitate fruendam tam præclaro tot pijssimorum filiorum Patre.

Quæ cùm Limæ Vrbe Regia, atq; adeo in illustrissimo noui orbis Theatro, ingenti cum applausu, acclamationeq; omnium ordinum vtriusque togæ transacta sint, habes non quod ambigas, Mariane Lector, at certè, quod exultes, quod Magnæ

Matri

Matri præcipua cum alacritate gratuleris, quod deniq; de illius sanctissimæ immunitatis singularitate, toto pectore, pleno ore glorieris, tam illustre Diuinæ Maiestatis suffragium, in loco tam celebri, in homine tam selecto, Prouinciali quippe tam præstantis in Regno Peruano Prouinciæ Thomistarum.

Voluit nimirum digitus Dei potentiam suam in huius mysterij declaratione commonstrare luculenter, quam tamen constat, & est apud omnes sapiẽtum senatus in confesso, nunquam autoritatis suæ sigillum, extra ordinem, ad confirmandas sanctiones à veritatis integritate minimum alienas præstituram. Nec vero vnquam adduci potui, vt crederem, inter tot sapientissimos Angelici Doctoris discipulos, non esse multos, qui in partem aientium cum ipso Magistro suo subinde discederẽt, & omnino arbitror fore vt discedant: quis enim tam luculento, tam efficaci sempiternæ sapientiæ testimonio, ad incontaminatam Genitricis æterni Dei claritatem contemplandum atque gratulandum, inuitari sese, adducique tergiuersabitur?

Verùm vtinã tam accepti, tamq; suaue olentis pro Tribunali sacrosanctæ Trinitatis, pro omnibus Beatarum mentiũ subsellijs, pro vniuersa diuorum ac Diuarũ omnium curia; Vtinam, inquã, tam singularis priuilegij cõfessio, veneratioq; vnius vltimi Diuini Thomæ, articuli causa in vltimũ illum ac tremendum, non librorum, sed ipsius vitæ articulũ non reseruaretur!

Tu interim, Mariane Lector, habe tibi hanc, annuente cœlo, voluptatẽ, fruere hac tam diuina summę illius benignitatis largitate, tanto omnibus Americani soli metallorum diuitijs locupletiore. Quid autem? æquine boniq; consules, si quid nos quoque, non tam ad illustrandam, quàm ad commemorãdam, laudandamq; cõmunis Diuæ nostræ sanctitatem, diuinis studijs, quibus sciemus, atq; poterimus, adlaboremus? hoc vero cogitamus, hoc molimur, huc collimant hi studiorum meorũ conatus, quos non tanquam patrocinia, sed tanquam ludos gloriæ Magnæ Matris, anniuersaria quaque celebritate datos, editosque pietati tuæ perinde contemplandos do, dico, consecro. Vale.

INDEX
SERMONVM
OMNIVM, QVI IN HOC OPERE CONTINENTVR.

De immaculata B. Virginis Conceptione
SERMONES VIII.
PRO HVIVS FESTIVITATIS OCTAVARIO.

Super librum generationis Iesu Christi: cuius partes octo totidem Sermonibus expenduntur.

LIBER generationis Iesu Christi, &c. 1.

SERMO II.

In eadem immaculata Conceptione.

De folijs Libri generationis Iesu Christi.

Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, &c. 33.

SERMO III.

In eadem immaculata B. Virginis Conceptione.

De pigmentis, quibus scriptus liber generationis Iesu Christi.

Liber generationis Iesu Christi, &c. 54.

SERMO IV.

De eadem immaculata B. Virginis Conceptione.

De libri inscriptione, seu titulo, atque stemmatibus.

Liber generationis Jesu Christi, &c. 81.

SERMO V.

In eadem immaculata B. Virginis Deiparæ Conceptione.

De sacro propositi libri textu.

Liber generationis Iesu Christi, &c. 105.

SERMO VI.

In eadem immaculatæ Conceptionis festiuitate.

De libri punctis & apicibus.

Liber generationis Iesu Christi, &c. 120.

SERMO VII.

In eadem immaculatæ Conceptionis festiuitate.

INDEX.

De toto Libro generationis Christi & Mariæ.

Liber generationis Iesu Christi, &c. 145.

SERMO VIII.

In eadem immaculatæ Conceptionis festiuitate.

De subscriptione, & sigillo libri generationis Iesu Christi.

Liber generationis Iesu Christi, &c. 167.

SERMO I.

In Natiuitate B. Virginis Mariæ.

Liber generationis Jesu Christi, &c. 194.

SERMO II.

In eadem B. Mariæ Natiuitate.

Liber generationis Iesu Christi. 215.

SERMO III.

In Natiuitate Beatæ Mariæ.

Liber generationis Iesu Christi. 239.

SERMO I.

In Præsentatione B. Virginis Mariæ.

Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. 260.

SERMO II.

In Præsentatione B. Virginis Mariæ.

Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. 276.

SERMO III.

In Præsentatione B. Virginis Mariæ.

Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. 298.

SERMO I.

In Annuntiatione B. Virginis Mariæ.

Maria inuenisti gratiam apud Deum. 316.

SERMO II.

In eadem Annuntiatione B. Virginis Mariæ.

Turbata est in sermone eius. 335.

SERMO III.

In eadem Annuntiatione B. Virginis Mariæ.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. 353.

SERMO I.

In Visitatione B. Virginis Mariæ.

Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione in ciuitatem Juda: & intrauit in domum Zachariæ, & visitauit Elisabeth, 373.

SERMO II.

In eadem Visitatione B. Virginis Mariæ.

Repleta est Spiritu sancto Elisabeth, & Exclamauit voce magna, & dixit:

Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. 393.

SERMO III.

In eadem Visitatione B. Virginis Mariæ.

Magnificat anima mea Dominum. 412.

SERMO I.

In Expectatione partus B. V. Mariæ.

Cogitabat qualis esset ista salutatio. 432.

SERMO II.

In eadem Expectatione partus B. V. Mariæ.

Cogitabat qualis esset ista salutatio. 453.

SERMO III.

In eadem Expectatione partus B. V. Mariæ.

Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Nazareth ad Virginem desponsatam viro. 477.

SERMO I.

De Purificatione Beatæ Mariæ.

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt Iesum in Ierusalem, &c. 498.

SERMO II.

In eadem Purificatione Beatæ Mariæ.

Tuleruntillum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino. 516.

SERMO III.

In eadem Purificatione Beatæ Mariæ.

Benedixit illis. 535.

SERMO I.

In Assumptione B. Virginis Mariæ.

De fœliciſſimo B. V. Deiparæ tranſitu.

Intrauit Iesus in quoddam castellum, &c. 555.

SERMO II.

In eadem Assumptione B. Virginis Deiparæ.

De ipſo B. V. aſcenſu.

Intrauit Iesus in quoddam castellum, &c. 576.

FACVLTAS REVERENDI PATRIS GENERALIS.

Mutius Vitelleſcus Societatis IESV *præpoſitus Generalis.*

CVm tomum iſtum Concionum, de feſtis beatæ Virginis ; Patris Bartholomæi de Scobar, Societatis noſtræ, aliquot eiuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſſum fuit, recognouerint; ac in lucem edi poſſe probauerint: facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſi ita ijs ad quos pertinet, videbitur. In quorum fide has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Romæ 9. Februarij 1623.

MVTIVS VITELLESCVS.

Approbationes harum Concionum.

IVſſu Patris Iacobi Aluarez de Paz huius Peruanæ Prouinciæ Prouincialis, qua potui cura, & attentione hoc iuſtum opus à Patre Bartholomæo de Scobar Societatis Ieſu Theologo litteris exaratum euolui; in quo nihil, quod Orthodoxæ Fidei repugnaret, nihil, quod rectæ fidelium eruditioni aduerſaretur inueni, quin verò doctrinæ ſubtilitate ſententiarum pondere, & ſanctorum multiplici lectione refertiſſimum, lumenque quam maximè operoſis ſcripturæ locis offuſum hac illac effulget, nec concionatoribus tantum, ſed cunctis quoque ſacræ Scripturæ vacantibus perquam vtile futurum æqua lance penſitantibus apparebit, quod proinde typis merito excudendum iudico. Data decimo ſexto Kalendarum Maij, in hoc Diui Pauli Limenſi Collegio anno 1618.

Ildefonſus Meffrais Prefectus ſtudiorum Superiorum.

EX præscripto R. P. Iacobi Aluarez de Paz huius Peruanæ Prouinciæ Societatis Iesu Præpositi Prouincialis Marianum, hoc opus à Patre Bartholomæo de Scobar eiusdem Societatis Iesu Theologo summo studio elaboratum, qua potui diligentia & attentione perlegi, & in eo nihil Orthodoxis Catholicæ ac Romanæ Ecclesiæ dogmatibus, aut bonis moribus aduersum deprehendi quinimo singulari doctrina, ac pietate refertum, & proficuum non solum Christianis concionatoribus, quibus Author multa, eáque præclara ad concionandum ex floridis sacrarum litterarum campis tanquam apis argumentose deseruit, sed ijs etiam omnibus qui Magnæ Matris encomiis, vt par est, delectantur, & laudibus, quibus totum opus mirificè floret. Quare in gratiam, & vtilitatem omnium imprimi posse, & debere iudico, in nostro Limano Collegio D. Pauli 16. Aprilis die anno 1618.

SEBASTIANVS HABANNERVS
sacræ Theologiæ Professor.

VIdi aureas Patris Bartholomæi de Scobar conciones, cæterarum indices non dubias, in quibus nihil Orthodoxæ fidei repugnans inueni; inuenies tamen quæ mirere plura: certat enim altitudo conceptum, & acumen cum rerum pondere, & sententiarum grauitate. Quæ duo ita in vnum confluunt, vt facilè haud sit vtram rem magis dilaudes; vnaquæque sua laude digna, vtraque maiori prædicanda: quippe quæ inuentu difficillima. Elucet præterea solida viri doctrina, quæ in sacris literis, & in sacra Theologia hominẽ non mediocriter versatum ostendit palam: opus propterea dignum, quod in lucem prodeat, obuiis foueatur vlnis, versetur manibus, suspiciatur mente, aureis non solum literis, sed omnium etiam cordibus imprimatur. Data Limo in Collegio D. Pauli Societatis Iesu 16. die Aprilis anno 1618.

IOANNES CARRILLO
sacræ Theologiæ Professor.

APPROBATIO.

IVssu Reuerendi Patris Iacobi Aluarez de Paz Peruuij Prouincialis legi conciones Beatissimæ Virginis quam SPARTAM, & si iam olim plurimi sibi sumpserint exornandam, vnus (meo sanè animo) bellissimam reddidit Pater Bartholomæus Scobarius, quando est illud Ausonij multo verissimum, Alius alio plura inuenire potest, nemo omnia, & quæ sunt ab Authore inuenta fæliciſſime ea profecto sunt vt quibusque doctissimis acceptum iri plane non dubitem.

CONSALVVS BARNOVVS
Liberalium artium Professor.

APPROBAVON.

ESte octauario de Sermones dela immaculada conception dela Virgen sanctissima madre de Dios, nosolamente no contiene cosa alguna contra nuestra sancta fe y buenas costumbres, pero muestra enel autor supiedad yagudeza bien notoria por otros escritos suyos; y aunque es verdad que la materia es tal que a qualquier deuoto de esta señora le sera mas difficultozo ceniſse q̃ alargarse, pues como dice. S. Leon Papa (sermone 9. de Natiuitate Domini) *in Maria nunquam materia deficit laudis, quia nunquam sufficit copia laudatoris.* Contodo esso Iusgo por no de poca etima el porsequir el autor vn assumpto tan ingeniozo, sin salir del entodos estos sermones, adornandole contan subidos pensamiensos assi de la sagrada escritura como de erudition escogida; pues ez raçon que entodas lenguas se celebren las excelentias, de la que entodo tue un prodigio diuino. Assi que Iusgo esta obra por mui digna de imprimir para que todos la gozen. En esse Collegio dela Compañia de IESVS. De S. Hermenegildo 25. de Iunio 1619.

CHRISTOVAL RVIZ.

AVgustin de Quiros Prouincial de la Compania de Iesvs en la Prouincia de Andalucia con Particular comisson quepara ello tongo del muy reuerendo Padre Mutio Viteleschi, nostro Preposito General, doy licencia que se impriman los ocho sermones del libro de la Generacion de Iesu Christo nuestro señor y de su Madre glorioſissima nostra Señora compuestos per el Padre Bartholomeo de Scobar de la misma Compañia los quales an sido examinados cy aprouados por personas doctas y graues de nuestra Compañia, en testimonio delo qual dy esta firmada de mi nombre y sellada con el sello de mi oficio en Osuna a nuebe de Iulio de mil y seiscientos y dies y nuebe años.

AVGVSTIN DE QVIROS.

Facultas præpositi Prouincialis Franciæ.

IGnatius Armandus præpositus Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Franciæ, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico Magno 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante 14. Februarij 1611. concessum quo Bibliopolis omnibus, prohibetur ne libros ab eiusdem Societatis hominibus conscriptos absque præpositorum ipsius concessu imprimant. Sebastiano Cramoisy Bibliopolæ Iurato ac Ciui Parisiensi permitto, vt librum cui titulus est *Patris Bartholomæi de Scobar è Societate* IESV *Conciones de Beatissima Virgine*. Grauium Doctorum nostri ordinis virorum iudicio approbatum typis excudi curet excussumque diuendat ad decennium. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas & officii nostri sigillo munitas dedimus Maij 1624.

IGNATIVS ARMANDVS.

Summa Priuilegij Regis Christianissimi.

LVdouici XIII. Franciæ & Nauarræ Regis Christianissimi authoritate concessum est Sebastiano Cramoisy Bibliopolæ Iurato, typis mandare & venalem habere librum qui inscribitur *R. P. Bartholomæi de Scobar Hispalensis Societatis* IESV *Conciones de Festis B. Virginis*. Alijsque cuiuscumque conditionis interdictum est intra sexennium, vt patet in diplomate Regio dato apud Compendium 16. Aprilis 1624.

Sic signatum de mandato Regis,

RENOVARD.

Hæc editio perfecta fuit 15. *Iunij* 1624.

DE IMMACVLATA

DE IMMACVLATA B. VIRGINIS CONCEPTIONE SERMONES VIII.

Pro huius festiuitatis octauario.

Super Librum generationis Iesu Christi : cuius partes octo totidem Sermonibus expenduntur.

Liber generationis Iesu Christi, &c. Matth. 1. Matth. 1. 1.

Maria pretiosissimum Dei scrinium.

QVVM inuictissimus Macedo Alexander opulentissimo Persarum Regno in suam redacto potestatem, immensas cepit deuicti imperatoris Darij opes, ac diuitias: potissimum spoliorum eius scrinium fuisse narrat Laërtius, tanta fabrefactum & materiæ, & operis præstantia, vt maior thesauri Regij pars, auri, vnionum, gemmarum, margaritorum, ambari, & electri, in structuram eius insumpta referatur. Materia lignea erat; at lignum in orbe inuentum vnicum, solidum, ponderosum, pulchrum, læue, incorruptibile. Innumeris item baccatum gemmis, auro intermistis, miro labore dispositis, vt materiam opus superaret, odorifero ambaro interposito. Numquam tales India genuit hyacinthos; tales Phœnicia beryllos; tales smaragdos Erithræa; tales Media cyaneos; tales pyropos Carthago; tales amethistos Tucumania; Arabia tales ada-

Laërtius de vita Philosophorum.

Scrinii Darij pretiosissimum ab Alexandro magno in Homeriani libri custodiam applicitum.

mantes; tales Chite topazios; tales carbunculos Massilia; nec tam pretiosos lapides Ganges, nec Idaspes; sicut nec tam perfectum aurum Tybar; nec tam suaue ambarum Æthiopia. His emblemate miro interrasile erat scrinium totum: intercisionibus nempe multo refertis gemmarum ornamento, intrinsecus totum, ac extrinsecus; arca, & loculi. Quo reperto, accersens Victor optimates suos, inijt concilium super decernendo, in cuiusnam rei custodiam dedicari oporteret arcam illam, qua nihil pretiosius esse poterat, quod in ea asseruaretur. Ea demum fuit concors resolutio; vt in Homeriani libri decerneretur custodiam, eo quòd Homeri sapientia nihil altius posset inueniri. Resonante vbique decreto hoc, tantum Homeriana æstimatio accepit incrementi, vt, cùm ignotæ esset ille patriæ, omnis ex tunc nobilis vrbs patriam se Homeri esse contenderit. Nec contemnendæ autoritatis scriptores: Tullius ex illis est, ex illis Gellius, & Plutarchus. Peruenitque eo vsque contentio, vt septem ex præcipuis Græciæ ciuitatibus ad capienda, super hoc, deuenerint arma: quod Glareanus commendauit. Extat & carmen Gellij,

Cicero pro Archiapoeta.
Gellius lib. 3 ca. 11.
Plutar. in vita Homer.
Glareanus.

Septem Vrbes certant, docto quæ patria Homero.

Inuenimus hodie plenum sapientia librum, non Homerianum, sed Christinum: Non librum hominis sapientis, multis erroribus permistis, qualis fuit Homeri liber ille; sed librum eius, qui est ipsa Sapientia, Iesus Christus. Non librum ignotæ generationis hominis, sed librum generationis Iesu Christi. Adeo notæ librum generationis, vt ab Abrahamo per 42. atauos, perque duo millia, & eo plures annos adducatur. Adeò illustris prosapiæ, vt Abrahamus & Dauid sigillatim nominentur in titulo; vt ostendatur, ab Abraham, vsque ad Dauidem à prophetis; & à Dauide ad Christum à Regibus ducta generatio. Imo & antiquioris adhuc genealogiæ: quam à primo hominum Adamo ducit Lucas. Quid moror? Est adeo sacer liber iste, vt & Dei ipsius generationem expendat: tametsi humanæ Christi generationis titulo inscribatur. *Liber generationis Iesu Christi*, summæ liber sapientiæ: imo sapientia ipsa, quæ Christus ipse est; cùm sit Dei filius, ac Dei verbum. Etenim æternus Dei conceptus, quo omnia simul concipit, & intelli-

Luc. 3 23.
Matth. 1. 1.

git, verbum eius est vnicum; ac consequenter vnicus eius liber, in quo vniuersa scripta sunt; vt testatur Rex Vates versu illo: *In libro tuo omnes scribentur.* Cùm ergo liber talis Psal.138.16. sit; quis sanæ mentis arbitrabitur, in reperto fortè scrinio eum fuisse locatum, quantumuis pulchro atque pretioso? Absit. Imo omnino erat rationi consentaneum, vt pro tanti libri dignitate, aliquod summæ perfectionis ad custodiam eius scrinium fabrefieret. Atque ita cùm Dei filium positum videamus in Maria, *De qua natus est Iesus*: eum esse Matth.1 16. scrinium, pro libri huius asseruatione fabrefactum, planè consequitur. Quòd si sequitur hoc: non minus apertè sequitur inde, scrinium hoc tantò pretiosius, tantóque perfectius Alexandrico illo esse debere; quantò liber hic, qui est Dei sapientia, ac Dei filius, Homero ipso est excellentior. Est ex lignea (fateor) structum materia scrinium istud; ex arbore illa, quam germinauit *radix Iesse*; cuius rami sunt venerandi hi Mariæ progenitores, qui in lectione Euangelica scribuntur: ac quamuis ex terra sit materia hæc, ex qua fuit constructa Virgo nostra; tot tamen ac tantis ornata est cœlestibus gemmis, auro etiam cœlesti, auro diuinæ gratiæ, gemmis perfectissimarum virtutum, cæterorumque id genus ornamentorum, vt quod terrenum est, vix in ea appareat inter tot pretiosissimos lapides, tantam auri summam, tantum diuini ambari interiectum. Nec sola his decoratur vnionibus, his odoramentis arca intrinsecus tota, & tota extrinsecus; sed loculi etiam, qui in ea sunt, potentiæ videlicet animæ, tàm inferiores, quàm supremæ. Quid ergo mirum, si grauior inter nos, quàm inter veteres illos exoriatur concertatio, cuiusne patriæ sit, ad quam pertineat ciuitatem? Sed bone Deus, de quônam loquor? Super quonam erit decertatio? Super scriniône, an super libro? Est vtique super libro, & super scrinio. Nam liber quidem, cùm sit filius Dei, humana natura constans, atque diuina, habet patriam terram, atque cœlum; tametsi terram proprius; cum terrigena sit, qua parte est homo: cœlum non propriè patriam, qui æternis, ante conditum cœlum, est seculis genitus à Patre, cuius pectus propriam habet patriam. Scrinium similiter, Dei scilicet genitrix, patriam habet terram: tamen habet & cœlum, & hoc magis. Quo-

niam licet materia ex humana sit stirpe, quasi lignea: est tamen tot virtutum vnionibus imbuta, vt latius in ea quod cœleste est, quàm quod terrestre, pateat, & effulgeat. Quod iucundè suspicio, dum libri huius istud lego institutum: *Iacob autem genuit Ioseph, virum Mariæ; de qua natus est Iesus.* Cur (rogo) ad Ioseph, non ad Mariã, trahitur linea genealogiæ; cùm libri inscriptio sit genus Mariæ, ac filij eius, Iosephi non item; qui nec genitor est Christi, nec Mariæ? Quinam sunt isti Mariæ, & filij eius progenitores: cùm in linea hac scribantur nulli post antiquissimos illos in titulo inscriptionis nominatos, Abrahamũ, & Dauidem? Hic quis non dispiciat manifestè, totum fere nostræ Mariæ genus filium eius perhiberi, Mariæ, *de qua natus est Iesus*, parentibus nullis nominatis; vt dubio procul cognoscamus, in Maria nostra multoplus, quàm terrenum esse cœleste; multoplus, quàm humanum esse diuinum; cùm participet plus à diuino filio, quàm à parentibus humanis; appareatque in ea tanto plus cœleste, quàm terrenum, quantò proximior est cœlesti filio, quàm remotissimis progenitoribus, Dauidi, & Abrahamo.

Matt. 1. 16.

Genealogia Christi cur ad Iosephũ, non ad Christum trahatur.

Liber igitur iste in scrinio hoc quærendus est; nempe in Mariæ vita perlegendus est; siue in die, qua in vtero concepta est, siue in die, qua nata prodijt ex vtero: tum præterea in die, qua Deo oblata est in templo eius. Sed quid, cùm est octauaria festiuitas: qualis est præsens ista Conceptionis? Numquid idipsum quotidie repetemus? Perpendite vos, deuoti immaculatæ Conceptionis auditores. Audistis ne aliquando, Conceptionem hanc nullibi in libro isto commendari? Adsit nobis Deus: Videbitis eam commendatam non in textu solùm, sed in omnibus etiam partibus libri, in tabulis, in charta, in atramento, in titulo inscriptorio, in punctis, in apicibus, in toto simul libro; & in sigillo, ac libri subscriptione. Quæuis harum pars integra erit materia concionis; vt hisce octo partibus totidem pro octauario hoc Conciones prædicentur: si Deus (inquam) adsit nobis; vt verè aderit, si ipsammet conceptam hodie Mariam interuentricem aduocauerimus & patronam, dicentes ei, Aue Maria.

Aue Maria.

Hodiernam concionem tabulæ libri nostri expendendæ

Tabulæ libri generationis Iesu Christi quænam.

contingunt: cum id, quod in libro quouis primum appareret, tabulæ eius sint. Tabulæ autem libri duplicis solent esse rationis; nam illæ, quibus clauditur liber, & seruatur, tabulæ sunt; nec alio nomine vtuntur Hispani, ad huiusmodi librorum opertoria nominanda: Indices quoque libri sunt Tabulæ; quo etiam vnico vtuntur Hispani, ad nominandos indices, vocabulo. Etenim quidquid rei alterius est memoriale, Tabula nominari consueuit. Sic simulatas rerum effigies, seu imagines, tabulas appellamus: sic etiam notariorum instrumenta, seu scripta, quæ in protocolo asseruantur, tabulæ dicuntur; quòd rerum in eis scriptarum sint memoriales. Qua ratione summula illa libri, quæ res in eo scriptas indicat; meritò & index appellatur, & tabula. Adsunt nobis hodie prædicandæ tabulæ libri nobis propositi generationis Iesu Christi: Vtrasnam eius tabulas assumimus institutum? Indices ne; an eas; quibus liber clauditur, tabulas? Est singularis libri huius excellentia, vt vtræque tabulæ eædem sint, aut certè aliæ alijs insertæ: ita vt tabulæ, quæ indices sunt, in ipsis opertorijs libri tabulis sint deforis scriptæ. Nec nouum hoc in testamentis; nam clausum quoduis testamentum, quod vocatur testamentum in scriptis, intus ac foris scriptū est. Lege. Hac consultissima. §. Per nuncupationem. C. de Testam. §. vlti. Institu. de testa. Lege. Hæredes palam. ff. de Testa: quod ex communi vsu, vbique constat. Liber autem hic noster testamentum est, nouum Iesu Christi testamentum; vnde & intus scriptum esse oportet, & foris. Talem vidit in sua Ioannes Apocalypsi. *Vidi in dextera sedentis in throno librum inscriptum intus, & foris*: quem Euangelij librum esse, nec non veteris librum testamenti, senserūt Orige. Euseb. Hilar. Hieron. Bed. Rupert. & Richar. Victorinus, eò quòd vtriusque testamenti vnus sit liber. Itaque libri huius tabulæ illæ quæ indices sunt, in opertorijs ipsis tabulis sunt deforis scriptæ. Cùm enim Christi sint naturæ duæ, exterior altera, quæ humana est, altera, quæ diuina, sub humana delitescens: congruum valde est, vt in sacrato generationis eius libro intus, ac foris literæ sint, vtrique naturæ congruentes. Ideo tabulæ vtræque, eo quòd in vnum redactæ sint, nostræ huius erunt concionis obiectum; vt

Tabulæ duplicis rationis, seu significationis.

Liber ostensus Ioanni in Apocal. est totius scriptura liber complectens vtrumque testamentū.

Christi natura dua descripta in libro, quem vidit Ioannes scriptum intus & foris.

Lege, hac consultiss. §. Per nuncupationē. C. de test. §. vlt. institut. de testa. lege, hæredes palam. ff. de testa. Apoc. 5. 1. Orige. homil. 12. in Exod. & hom. 14. in Ezechiel. Euseb. Cæs. lib. 8. demonstr. Euang. Hilar. prologo in Psal. Hieron. in cap. 22. Isai. Beda Apoc. 5. Rupert lib. 4. in Apoc. Richar in c. 5. Apoc.

puriſſimam Conceptionis Mariæ ſanctitatem in vtriſque videamus.

Tabulæ Moſaicæ legis pro Chriſti, & Mariæ puritate explicantur.

Erit autem conſentaneum propoſito noſtro, ſi aliquas huc adduxerimus tabulas, quæ & materiales tabulæ ſint, & in quibus tabulæ ſint ſcriptæ. Tales profectò fuerunt tabulæ illæ, in quibus vetus lex ſcripta eſt. Etenim obſeruandam hominibus legem laturus in monte Sina Dominus Deus, in lapideis eam tabulis ſcripſit, vt firmior eſſet ac diuturnior. Quas opertorias eſſe noui huius tabulas libri, facilè concedet diſertus quicunque conſideraverit, tabulas illas, ſcriptamque in eis legem, res eſſe prorſus exteriores; vndique interiorem noſtri libri legem Euangelicam. Quo vtriuſque legis diſcrimine nullum notius in Eccleſia; quæ omnem priſcæ legis apparatum in exterioribus ſcit cæremonijs conſtitiſſe; in interno Chriſti legem ſpiritu. Necnon ex eo, quòd omnia in illis tabulis ſcripta certus Euangelici libri fuerint index; ea, quæ in Chriſto futura erant, tum figuris indicans, tum literis. Videamus iam iſtarum progreſſum tabularum. Scripſit illas eo Deus tempore, quo egreſſus ab Ægypto Iſraëliticus populus, proficiſcebatur per deſertum. Qui cùm Ducem ſuum Moſem in ſcriptura legis in monte illo cum Deo morantem intuerentur; præparauerunt ſe ad eam accipiendam, tempus illud in ludis tranſigentes, in comeſſationibus, potationibus, ſaltationibus, iocis, cantilenis. Et quoniam in campeſtribus ludis tauri ſolent agitari, nec vlli in deſerto illo tauri inueniebantur; aureum ſibi taurum ex vxorum, filiorumque inauribus conflauernnt. Hic adeo pretioſus oculis propoſitus, viſus eſt eis idoneus magis adorationi, quàm ludo: ac proinde tamquam Deus adoratus. Nec enim cum auro ſuo filios ſuos ludere patiuntur parentes; nec vxores viros cum inauribus ſuis. Dolor quippe, quo ab inauribus percutiuntur mulieres, non eſt ille, quem eis incutiunt genitrices, cùm aures eis terebrant, vt appendant inaures: ſed quem ingerunt mariti, cum aures exgrauant inauribus, vt eis ludant; qui eſt grauior ipſis inauribus ludus. Scio, vnicum, quo taurus ille conſtructus eſt, finem eum fuiſſe à principio, vt tanquam Deus haberetur, qui duceret gentem per deſertum, propterea quòd

Exodi 31. 18.

Tabulæ lapideæ veteris legis euangelici libri fuerunt tabulæ.

Moſes moram faceret cum Deo: at nonne ſummè ludricus ludus eſt, quo aureus vitulus habetur Deus, & tamquam Deus adoratur? Quid faceret ardens zelo Dei miniſter Moſes, cùm afferens è monte tabulas legis, talem ſuæ gentis intuitus eſt diſpoſitionem? tam horrendam peruicaciam? tam atrox ſcelus? tam turpem veri Dei pro ſimulacro commutationem? tam obſtinatam cœcitatem? tam miſeram illorum perditionem? Omnia quæcunque ad manum reperit, comminuit; tabulas, idolum, & cultores. Triplici eos puniuit vltione. Prima, fractione tabularum: *Iratus valde proiecit de manu tabulas, & confregit eas*: Secunda, vituli comminutione: *Accipienſque vitulum, quem fecerant, combuſſit, & contriuit, vſque ad puluerem*: Tertia, impiorum interemptione, factis fratrum tortoribus fratribus, amicis amicorum: *Ceciderunt que in die illa, quaſi viginti tria millia hominum*. Tetigit miſera hæc hominum ſtrages pium Dei cor intenſius, quàm ipſos occiſorum filios, & parentes: Cuius deferueſcente indignatione, adhibuit remedium miſeratio. Accerſens itaque rurſus Moſem Deus, dixit ad eum: *Præcide tibi duas tabulas lapideas inſtar priorum; & ſcribam ſuper eas verba, quæ habuerunt tabulæ, quas fregiſti.*

Exod. 32. 19.

Exod 32. 28.

Exod 34. 1.

Adamus & Heua tabulæ duæ legis Dei.

Legem Dei in primis parentibus tamquam in tabulis poſteritati legendis ſcriptam fuiſſe.

Legem Dei in cordis tabulis aptiſſimè ſcribi.

Nunc expendendum eſt, quid priores tabulæ, quid extremæ iſtæ myſticè ſignificent. Duæ igitur primæ primos homines duos Adamum & Heuam deſignarunt. Illi namque primæui hominum parentes duæ tabulæ fuerunt, in quibus legendam humanæ proli legem ſcripſit Deus à principio. Nec dubium capit certitudo, quod vſque ad Moſis tempora per annos circiter duo millia lege homines Deus minimè reliquerit deſtitutos. At in quibus eam ſcripſit codicibus? Vbinam fuerunt libri? vbi tabulę? Nullibi quidem alię, præter parentes ipſos primos, in quibus legem Deus ſcripſit vtramque; & naturalem, & ſupernam. Sunt pro vtraque expreſſi textus. pro naturali ille ad Romanos: *Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt; eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis*. Ecce tabulæ cordis verè legis tabulæ ſunt: quæ ideo naturalis lex appellatur, vt à lege ſcripta agnoſcatur diſtincta. Quod tabularum genus ſummi momenti fuit, vt poſteri omnes

Rom. 2. 14.

in parentibus & legis executionem, & seriem, vt pote in tabulis viuis, intuerentur. Pro supranaturali item lege est Ecclesiastici confessio: imo vtramque simul legem contestatur. Eccl. 17. 9. *Legem vitæ hæreditauit illos; testamentum æternum constituit cum illis: & iustitiam, & iudicia sua ostendit illis. Et dixit illis; attendite ab omni iniquo; & mandauit illis, vnicuique de proximo suo.* Quam legem in cordis tabulis aptè scribi, admonet Salomon, dicens; Prouer. 3. 1. *Ne obliuiscaris legis meæ: misericordia, & veritas te non deserant; scribe eas in tabulis cordis tui.* Fuitque suspicienda prouidentia, in tabulis duabus, fœmina, & viro scribi legem; vt vtriusque sexus homines imitatione ostensam perspicerent legem. Textus apud Prou. 1. 8. uerb. *Audi, fili mi, disciplinam patris tui; & ne dimittas legem matris tuæ.*

Sed qua illi legem diligentia obseruauerunt? Vix proposito de modica abstinentia præcepto, vidit eos Deus duobus illis Israëlitarum criminibus infectos, comessatione cum idololatria coniuncta. Admonente quippe eos serpente, vt si tamquam Dij esse vellent, vetitum illum comederent cibum. Genes. 3. 5. *In quacunque die comederitis ex eo, eritis sicut Dij*: Ausi sunt illum edere, vt tamquam Dij adorarentur. Sanè ipse obedientiæ defectus idololatria iudicatur: *Quasi peccatum ariolandi, repugnare; & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* Idcirco, & punitio eadem fuit, ac 1. Reg. 15. 23. punitio Israëlitarum, tribus constans supplicijs; & comminutione tabularum, & combustione vituli; & delinquentium peremptione. Ipsi enim parentes primi tria hæc simul fuerunt; & legis tabulæ; & fictitij Dij; & delinquentes ipsi. Ideo primum supplicium irata fuit proiectio tabularum verbo illo; Genes. 3. 19. *Donec reuertaris in terram.* Secundum, vtriusque simulacri cõminutio; Genes. 3. 19 *In puluerem reuerteris.* Tertium mors, & ea quidem æterna, designata igneo illo gladio, in paradisi ianua iuxta Cherub posito, ad arcendos à paradiso delinquentes; Genes. 3. 24. quando, *Eiecit Adam, & collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, ad custodiendam viam ligni vitæ*: quo priuatio vitæ figurabatur æternæ. Concordat & in hoc vtraque Historia; Moses inuenit nudos delinquentes, atque adeo paratos ad supplicium: Exod. 32. 25 *Nam videns Moyses populum, quòd esset nudatus, ait, occidat*

Adam & Eua quot peccata cõmiserunt.

Superbia species idololatria.

Adam & Eua tribus pœnis puniti.

Punitio primorum parentum tribus pœnis incussa.

occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum; fecerúntque filij Leui iuxta sermonem Moysi. Adamum etiam & vxorem continuo delinquentes, nudos similiter reperit Dominus; ideóque capite damnauit. Id quod inquisitori Deo respondit Adam: *Timui, eo quod nudus essem; & abscondi me.* Vtique vix peccantes homines ipsum nudat peccatum, præparans ad vindicatiuum Dei flagellum. Ipse enim Aaron, qui induxit homines ad vituli cultum, quando acceptis inauribus; *fecit ex eis vitulum conflatilem;* nudauit peccantes, ad supplicium. *Videns ergo Moyses populum, quòd esset nudus; spoliauerat enim eos Aaron propter ignominiam sordis, & inter hostes constituerat, &c.* Non secus ipse vetiti fructus esus nudauit Heuam, & Adamum: *Comedit, deditq; viro suo; qui comedit; & aperti sunt oculi amborum; cumque cognouissent, se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.* O peccator! si cognouisses & tu, quàm turpiter nuderis à peccato, ad ferreã te romphæam disponente!

Genes. 3. 10.

Exod 32. 45

Exod. 32. 25

Genes. 3. 6

Vtinam, nec in aliquibus ex his, qui me audiunt, hoc idololatriæ genus reperiatur. Quid aliud facis tu, cùm te à cunctis adorabilem somnias? cùm elationis cogitationes, tanquam oua faues noctu, vt tamquàm gallus surgas diluculo? Audi Iob: *Si osculatus sum manum meam ore meo.* Quid hoc? Explicant Beda, Philip. S. Thom. Vatabl. qui plenam Idololatriæ superbiam intelligunt. Hæc sunt verba Olympiodori: *Nonnulli cum sua facta efferunt; manum sibi osculantur.* Tremendum est. Quàm pauci has, quas suæ adorationis machinas cogitant, confitentur. Cum addat Iob; *quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum.* Nonne Deum negas, quoties te Deum haberi studes? ergo est iniquitas maxima. Quapropter eodem, quo parentes illi, punitionis genere in puluerem es comminuendus. Dei verba sunt, Ieremia scriptore; *Sic conteram populum istum, sicut conteritur vas figuli; quod non potest vltra instaurari.* Iusta superborum animaduersio.

Superbia species idololatriæ.

Iob. 31. 27

Beda Iob. 31. Philip. Ibi.. S. Tho. Ibi. Vatabl. Ibi. Olymp. Ibi

Ambitio maximum peccatum.

Superbi grauissimo supplicio comminuuntur.

Ierem. 19. 11.

Perditas igitur adeo infeliciter tabulas istas, Heuam, & Adamum, relinqueretne absque vlla Deus reparatione? Est dignatus ille nouas, pro fractis tabulis Moysi tabulas fabrè facere, suamque in eis legem scribere, & relinqueret perpetuò confractas illas, quæ magno sunt excellen-

Christus & maria duæ tabulæ diuinæ legis.

tiores excessu, & in quibus excellentiorem longè scripserat legem? Ecce nouas in lucem tabulas edit; nouum Adamum, Heuam nouam; nouæ altioris legis stabilimentum, gratiam, vitam, firmitatem. Nonne nouus Adam Dominus Christus? Nonne in perditi Adami reparationem? Deus ipse dicit ore Pauli; *Factus est primus homo Adam in animam viuentem: nouissimus Adam in spiritum viuificantem.* Quòd si Christus Adam: Maria consequenter erit Heua; vt ambo sint tabulæ duæ, in confractarum reparationem tabularum. Audiamus Bernar. *Vehementer quidem nobis vir vnus, & fœmina vna nocuerunt: sed prudentissimus, & sapientissimus artifex, quod quassatum erat non confregit: sed vtiliùs omnino refecit; vt videlicet nouum formaret Adam; & Heuam transfunderet in Mariam.*

Christus & Maria tabulæ generationis Iesu Christi.

1. Corint. 15 45.

Maria tabula diuinæ legis.

Bern. serm. in illa verba Apocal. signum magnum.

Maria tabula Euangelici libri.

Maria Eua secunda in reparationẽ prioris.

Et quidem iuxta vtrumque tabularum significatum, sunt tabulæ Christus, & Maria: tabulæ libri, in quibus lex scripta est, & tabulæ etiam, quæ sunt indices eiusdem libri, ac scriptæ in eo legis. Sunt enim (vt videmus) in exactis libris indices duo: alter copiosior verborum omnium, quæ scribuntur in libro; arctior alter; qui capita indicit, & articulos. Horum primus Christus est; Maria secundus. Quidnam vos Incarnationis mysterium esse existimatis? Quidnam Deum hominem factum? Humanitati vnitum Verbum? Est mira ars apponendi immenso indicem libro. Verbum Dei in hoc generationis volumine scriptum immensum est, ac infinitum, æterni Patris replens pectus. In hoc enim verbo vniuersæ res superiori quodammodo apparent, & videntur, vt cum Patribus, Aug. Bonau. & aliis dixit Scholasticus Thom. Vnde diuinum hoc Verbum, cum vnicum Dei Verbum sit, est consequenter Dei vnicus liber, de quo Vates Rex; *In libro tuo omnes scribentur.* Quis ergo posset infinitum librum mente perlegere finita? Hancergo Deus supremam artem adinuenit, vt ab Angelis totus, & totus ab hominibus legatur. Adiecit ei completissimum indicem, humanam naturam ei conglutinatam non secus, ac libro index eius. Consuta enim est humanitas Verbo, tanquam index libro, aureo hypostaticæ vnionis filo; vt quicumque Christum deforis aspexerit, humanam scilicet, quæ eius index est, naturam videns, to-

Incarnatio Christi eo facta est, vt ipse in quantum homo esset index libri, qui est Verbum, cui humanitas vnitur.

Maria Index libri Dei.

Aug. lib. 15. de Trinit. c. 13. & 14. & lib. 83. qq. quæstione 63.

Bonau. 1. sent. tit. 27. 2. p. q. 2.

S. Is. 1 p. q. 34. art. 3.

Psal. 138 16.

tum aduſque videat librum. Hac quippe de cauſa, roganti Philippo; *Domine oſtende nobis Patrem*, reſpondit Chriſtus; *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.* Quiſquis id, quod in me externi eſt, intuetur, is quidem videt, tanquam in indice, quod eſt in toto libro Deitatis. Conſequenter ergo erit index capitum Maria; cum filius eius index ſit rerum. Quis enim Mariam intentus intuebitur; qui perfectiſſimum mirabilium Dei indicem non agnoſcat? *Talis fuit Maria* (inquit Ambr.) *vt eius vnius vita omnium diſciplina ſit.* Cur perfectiſſimum libri Dei indicem non debeam Mariam appellare; cùm ea omnia, quæ in libro Dei ſunt, adeo mirabiliter in ea reſplendeant, vt Dionyſius fateatur, parum à ſe abfuiſſe, vt perſpectam Mariam ipſum putaret Deum, niſi deceptionem fides obſtitiſſet? Quidni pleniſſimum libri Dei indicem te appellare pergam, ô perfectiſſima Deipara, cùm librum ipſum, Dei filium, à te indicatum videam, productum à te, in lucem à te editum, reuelatum, exhibitum, oſtenſum? *ſolus enim Chriſtus* (*ait Ambr.*) *eſt plena imago Dei, propter expreſſam in ſe paternæ claritudinis vnitatem.* Vnde humanitas eius index plenus eſt: quid deerat iam, niſi vt aliud quoque eſſet capitum index? Quod ſi talis index verè exigitur: quis Mariam indicem negabit?

Ioan. 14. 9.

Ambr. de virginibus lib. 2.

Dionyſius epiſt. ad Paul.

Ambr. lib. 10. in Lucam.

Sunt igitur Chriſtus, & Maria duæ tabulæ libri; tam illæ, quæ indices vocantur; quàm quæ ſunt libri ipſius opertoriæ. Cum ergo duæ tabulæ iſtæ, Chriſtus, & Maria, in id à Deo ordinatæ ſint, atque directæ, vt loco illarum, quæ confractæ ſunt, Heuæ nempe, & Adami, ponerentur, in quibus Dei lex permaneret excuſa, ipſeque Deus notus, adoratus, & cultus: quidnam diceremus, ſi in vtrauis harum tabularum quantauis læſio, quantauis eſſet diminutio? Si filius Ieſus, & mater Maria, eorumve alteruter aliquo, vel minimo notaretur defectu, aliqua labe, vitio aliquo, etiam vel vno duntaxat inſtanti: tunc profecto non poſſet dici couſque perfecta vtriuſque tabulæ redintegratio, quin adhuc perfectior eſſe poſſet, quoad tabulam illam, quæ eiuſmodi labem pateretur. Sed quid dixit Irenæus? *Quemadmodum adſtrictum eſt morti genus humanum per virginem Heuam: ſoluitur per virginem Mariam.*

Irenæ. lib 5 contra hæreſes poſt medium.

Probatio hæc cùm à parte principij, tum à parte finis eluceſſit. Finis vtique fuit, vt pro confractis tabulis, parentibus primis, Chriſtus, & Maria in fœdus perpetuum ſeruarentur: quis ergo credat, lentiori hos aſſeruatos cuſtodia, quàm tabulas illas, quas pro confractis in deſerto prouidentiſſimus ſcripſit reparator? Duas etenim iſtas, quas confractarum loco ſcripſit in monte; tanta cura, tanta veneratione, cuſtodia tanta, legimus aſſeruatas; vt pro veneranda earum cuſtodia non ſolum pretioſiſſima illa; ac mirifica arca ſculpta ſit; non ſolum illud magnificentiſſimum templum; non ſolum ſacrum ſanctuarium; ſed artificem etiam Beſeleel diuina cœlitus ſapientia, profundiſſimo ſpiritu, præcelſaque Deus imbuerit, ad arcæ fabricam, induſtria. Hanc quippe textus iſtis narrat verbis. *Ecce vocauit Dominus ex nomine Beſeleel: impleuitque eum ſpiritu Dei, ſapientia, & intelligentia, & ſcientia, & omni doctrina, ad excogitandum, & faciendum opus in auro, & argento, & ære; ſculpendiſq; lapidibus, & opere carpentario. Quidquid fabrè adinueniri poteſt, dedit in corde eius.* Sed qualem hic conſtruxerit arcam? *Fecit ergo Beſeleel arcam de lignis cetim, veſtiuitque eam auro puriſsimo intus, ac deforis, & fecit illi coronam auream per gyrum.* Fuiſſe vero factam ad ſolam cuſtodiam tabularum, earumque venerationem, ac cultum; expreſſis his verbis dicit textus: *In arca autem non erat aliud, niſi duæ tabulæ lapideæ, quas poſuerat Moyſes in Horeb.* Aurea namque vrna, *habens manna, & virga Aaron*, quam in arca fuiſſe narrauit Apoſtolus: pro breui tempore fuerunt in ea, dum portaretur per deſertum: ſiquidem eo tempore, quo in Salomonis templo collocata eſt, nihil præter tabulas in ea fuiſſe, ait textus hic, quem nunc expreſſi. Quàm vero fuerit glorioſum tabernaculum, quàm magnificum templum, quod pro tabulis his conſtructum eſt, nullus niſi textus ipſe, narrare ſufficiet; qui longiſſimus eſt, & ornatiſſimus. Illud aduerti iuſſero; omnes populi opes, ac diuitias, non communes ſolùm, ſed & cuiuſuis viri, atque mulieris, in fabricæ opus fuiſſe locatas, ac ſponte quidem, abundantia tanta, vt ſuppeterent plura, quàm exigeret fabrica. *Omnis multitudo filiorum Iſraël obtulerunt mente promptiſsima, atque deuota primitias Domino, ad faciendum opus tabernaculi teſti-*

Exod. 35. 30

Exod. 37. 1.

3. Reg. 8. 9.

Hebr. 9. 4.

Exod. 35. 20

Maria Dei mater quanto apparatu cuſtodita ſit à Deo.

Arca teſtamenti quidnam continuerit.

Maria Dei genitrix habuit primitias omnium

excellentiarum, quas perfectissima quaq; creatura habent.

Conceptio Deiparæ primitijs omniũ virtutum, & gratia diuinitus ornata.

monij. Ecce testimonij vocatur tabernaculum; quòd pro tabulis istis structum fuerit, in quibus Dei testimonium seruabatur. Sed quasnam primitias obtulerunt? *Viri cum mulieribus præbuerunt armillas, & inaures, annulos, & dextralia: omne vas aureum in donaria Domini separatum est. Si quis habebat hyacintum, & purpuram coccumque bis tinctum, byssum, argenti, aris; metalla: obtulerunt Domino. Principes vero obtulerunt lapides Onychinos, & gemmas.* O ditissima Regina! Parum quidem dixerim, si te dixero tanta perfectione constructam, vt quidquid pretiosum, quidquid pulchrum, quidquid præfulgens, quidquid elegans, quidquid admirandum, quidquid sanctum in cunctis fœminis, ac viris à sæculi initio, ad finem vsque inuentum est, in te id totum vnam prædicem confluxisse, fuisseque cumulatum, quidquid in illis diuisim, ac sparsim refulsit, ac floruit, dicente Hieronymo; *Cæteris per partes datum est: Mariæ autem tota sese infudit gratiæ plenitudo;* nisi id quoque insuper addidero, primitias omnes diuitiarum, ac cultus in tui veniſſe formationem, & vitam. *Si enim omnis multitudo obtulerunt mente purissima, atque deuota primitias Domino ad faciendum opus tabernaculi testimonij;* quis iam credat, excellentissimas, quibus es tu formata, perfectiones aliqua primitia caruisse, quæ ex fœmina aliqua, ex aliquo viro sumi posset? *Quod itaque vel paucis mortalium constat fuisse collatum; fas certe non est, suspicari, tantæ Virgini fuisse negatum; per quam omnis mortalitas emersit ad vitam.* Quòd si vel vno dumtaxat instanti clarissimis his caruisses insignibus, quauisve indigna labe corruisses infecta: minimè tunc edici posset, cunctas te omnium habuisse primitias; quandoquidem gratia illa prima, qua primus vir creatus est, formataque coniux, formationi tuæ defecisset. Quis autem audeat concedere, maiori curæ fuisse Deo, vt omnes virorum, ac mulierum primitiæ in tabulæ illius ornamentum offerrentur, quę pro naturali instituto scripta est: quàm pro tua, O Deipara, formatione, & ornatu; cùm in id facta sis, & in id scripta, vt multò excelsius sit, multóque perfectius, quod tu affers, quàm quod prima fœmina detraxit! Retro vertamus ad aureum vitulum oculos. In istius fabricam aureæ omnes insumptæ perhibentur inaures, etiam quæ à filiorum au-

Exod. 35. 22.

Hierony. serm. de Assumptione tomo. 2.

Bern. epist. 174. ad Canonicos Lugdunenses.

ribus pendebant, & vxorum: vnde ergo post consumptum iam vitulum inaures istas habuerunt, quas tabularum cultui primitias obtulere? Si enim alias præter pendentes illas habuissent; non abstuliissent ab vxorum auriculis pendentes, asseruatis in capsa illis, quas postea primitias obtulerunt arcæ tabularum. At enim à die, qua exierunt ab Ægypto, separauerunt in partem primitias Deo ex inauribus illis, quas ab Ægyptiis commodatas eduxerunt, vxoribus minimè concessas. Quisquis enim omnem vindemiæ, messisve fructuum perceptionem vendit alicui, is quidem traditionis tempore primitias detrahit parochi: quoniam quamuis dicat, messem vendo totam; id quidem tantum intelligitur vendere, quod suum est; non quod alienum. Est autem aliena illa messis pars, quæ in primitias debetur sacerdoti. Nec, si domi consumitur messis; consumi primitiæ intelliguntur. Ideo cum inaures insumptæ perhibentur in vitulum; illæ duntaxat intelliguntur insumptæ, quæ extra asseruatas Deo primitias, pendebant in auriculis. Quod eleganter innuit textus verbis illis: *Omne vas aureum in donaria Domini separatum est.* Habuit primus parens vberrimam fructuum perceptionem, gratiæ nimirum, ac virtutum sibi, & posteris suis; quam insipienter distrahens, vilissimo vendidit pretio, pro delectabili scientiæ arboris pomo: anne censendus erit, primitias gratiæ, virtutum primitias vendidisse? Sane ex gratia illa atque virtutibus primitiæ sacerdoti debebantur; summo sacerdoti, Dei filio, cui dicit ille semper: *Tu es sacerdos in æternum;* & quem vocat Apostolus primitias dicens; *Christus resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium:* quique vt idem Paulus ait, *est primogenitus omnis creaturæ;* ac consequenter debebantur primitiæ matri eius: nullus siquidem frugi, ac pius sacerdos bonam suarum partem primitiarum indigenti negat, imo impertitur genitrici.

Simile.

Exod. 35. 22.

Psal. 109. 4. 1 Corint. 15. 20. Colos. 1. 15.

Sed illud velim, curiosius aduertatis: ea, quæ in debitum tabularum Moysi cultum, & ornatum data sunt, non solùm fuisse adeò integra, vt defecerit nihil, sed vt exigentiam etiam superarint. *Artifices venire compulsi, dixerunt Moysi; plus offert populus,* ad arcæ, sanctuarij, templique constructionem, *quam necessarium est: eò quòd oblata sufficerent,* &

Exod. 36. 4.

Mariæ gratia & excellentiarum cumulus cũctarum superabundãs, & immensus.

superabundarent. Diuina summi testimonij tabula, quam in sua Deus collocauit Ecclesia, vt maiestatis suæ, suæque bonitatis, puritatis, sapientiæ, celsitudinis, legisque suæ viuum proferret testimonium, ac specimen, quisnam sibi prudens persuadeat, pro tabula illa, quæ scriptam solùm legem continebat, in testimonium, quòd manum Dei fuisset scripta, tanta Deum vsum perfectione, vt ne minimus deficeret apex, sed omnia potius supra necessitatem abundarent: in tua autem formatione minùs liberalem, ac profusum: cum dicat Athanasius. *Factum est, vt plena gratia appellata sis, vtpote quæ omni gratia abundares*: possetque dici minus erga te liberalis Deus, si in instanti primo illud tibi deficeret, quod præcipuum est, ingenuitas, nobilitas, gratia, vt pro momento illo serua peccati, facta sub tributo, sub iugo posita, Deoque ipsi dicereris ingrata. Ego quidem id minimè concedam: Vnde, Athanas. ser. in Euāgel. de sanctissima Dei para.

Maria Deipara à Cherubino custodita.

Illud vlterius altiori adhuc speculatione notandum proponere pergam libentissimè. Cum artifex ille Beseleel arcam pro asseruandis tabulis construxit; fecit & propitiatorium, id est. *Oraculum de auro mundissimo: duos etiam Cherubim de auro ductili; quos posuit ex vtrāq; parte propitiatorij extendentes alas, & tegentes propitiatorium.* Itaque duo isti Cherubin tabulas duas in arca clausas custodiebant, penniſque tuebantur: cùm propitiatorium, in quo sedebant, super arcam ipsam esset positum; sitque expressio textus, 3. Reg. lib. asserentis; *Cherubim expandebant alas super locum arcæ; & protegebant arcam, & vestes eius desuper.* Et B. Paulus, *arcam testamenti super tectam ex omni parte auro, in qua tabulæ testamenti; superq; eam erant Cherubim gloriæ.* Mysterium (rogo) perpendamus. Cum duas illas primas tabulas viuas, Adamum, & coniugem, contriuit iustissimè creator, confractasque ex iucundissimo eiecit paradiso, tamquam à loco immuni à puluere illo, in quem disiectæ tabulæ abierunt: posuit Cherubim ante ianuam paradisi illius, ignitumque gladium, ad custodiendum paradisum ipsum ab vtriusque coniugis extorris ingressu. *Ecce Adam, quasi vnus ex nobis factus est: nunc ergo ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum: & eiecit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, & collocauit ante paradisum* Exod. 37. 6. 3 Reg. 8 7. Hebr. 9. 4. Ge

voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni. Cherubim, ait plurali numero; vt contra duos illos iustissimè expulsos, duo quoque Cherubim & paradisum custodirent, & lignum. O mirabilis Dei prouidentia! eijcis duas tabulas confractas, Heuam, & Adamum à putissimo loco paradisi, statuens ibi Cherubim duo, ne quis illorum illuc ingredi valeret; pro tabulis verò minimè viuentibus, sed ex lapide exsciſis, ponis cura tanta Cherubinos custodes, vt purissimo in loco tegant vtramque, eò quòd pro confractis factæ sint, atque conscriptæ, ad integerrimam priorum instaurationem, testimonijque tui reuerentiam! Quantò impensiorem diligentiam à te cognoscemur adhibitam in collocandis Cherubim duobus in nouarum obsequium tabularum, Christi, atque Mariæ: cùm duas has in templo tuo, tua dico in Ecclesia, collocaueris, in superabundantem illarum instaurationem tabularum, quas in paradiso & confregisti, & expulisti, adhibitis Cherubim, quæ ingressum eis prohiberet? Non enim est à paradiso electa Dei genitrix Virgo; imo est ipse paradisus, vt Rupertus ait: Ecce nouus paradisus, istam terram suam benedixit; & ex ea cunctarum germina gratiarum, & cunctarum exemplaria virtutum produxit: ipsum quoque vitæ lignum, Christum, Deum, & hominem. Si ergo, Maria paradisus est; cælesti custoditur Cherubino: imo Cherubim Duobus. Sicut primus ille paradisus: proprie nempe ministro Cherub, & Cherub etiam filij sui ministro: quo cùm ad sui custodiam ille minimè egeat; custodem parenti facit vtrumque.

Maria à Christo redempta præueniente redemptione.

Nec sola hæc magnificatio tabularum: illustrior alia; aut certè non minus glorioſa. Arca quippe illa, in qua tabulæ erant, triumphali curru ducta est alis Cherubinorum, ductore Christo, in grande matris suæ decus, venerandamque custodiam. Verba sunt ista Ezechielis. *Et vidi, & ecce in firmamento, quod erat super caput Cherubim, quasi lapis sapphirus. Et dixit ad virum, qui indutus erat lineis; ingredere in medio rotarum. Et eleuata est gloria Domini super Cherubim, & sonitus alarum Cherubim audiebatur. Ingressus ille stetit iuxta rotam; cumque ambularent, in quatuor partes gradiebantur.* Virum istum lineis vestitum, esse Dominum Christum, concors

Ezech. 10. 1

Exod. 3.

Christus auriga currus Ecclesiæ apud Ezechielem.

cors est Patrum consensio. Hunc triumphalis Ecclesiæ sequitur currus, tanquam vnicum aurigam eius : id est, ad eius motum ac impulsum & currus & Cherubim mouentur. Imo, qui ducit currum, Christus ipse est: quin etiam vehit, iugum eius ferens, dum baiulat crucem, quam ipse iugum vocat, dicens: *Tollite iugum meum super vos: iugum enim meum suaue est.* Sed quorsum tanto ferret iugum labore, nisi triumphantis esset iugum, quo in cælos vehimur ouantes, de quo Psalmographus: *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium; Dominus in eis in Sina in sancto. Ascendisti in altum.* Sed qua matrem suam ducit auriga hic distinctione à reliquis, quos portat? Hæc certè est. Reliquos eleuat iacentes in terra, vt ducat curru: matrem nunquam lapsam, sed à principio firmiter stantem, curru maturè accepit, cùm in communi lapsus adspexit periculo. Cur non faceret pius valde filius, quod memorabiles illi Cleobis, & Beton, pij nimis fecerunt erga matrem? Notanda valde historia est, summéque à Plutarcho commendata; quam attenti velim, quoniam placida est, grata, atque iucunda, perpendatis. Duo etenim fratres isti, Cleobis, & Beton, cùm in die, qua eorum mater templo interesse oportebat, boues, à quibus curru ferenda erat, moram facere viderent: ne sera templum ingredi notaretur, ipsimet filij boum munus exercentes, currus iugo colla subdiderunt, vt dilectissimam parentem maturè in templum, ac tempestiuè portarent. Incredibile est, quàm illa ierit læta, ac gloriabunda; quanta fuerit populi admiratio, quàm eximia laus, quàmque generalis approbatio stupendi facti filiorum; quàm læta omnium acclamatio, beatam prædicans parentem, quæ tales filios genuisset. Qui iugi onere contriti, paulo post deficientes, lætissimi vitæ concesserunt. Latum à Mariæ filio iugum diximus crucis, iugum triumphalis currus, quo in cæleste nos templum vehit ipse, grauique iugi pondere scimus extinctum, alacrem prorsus, & plaudentem, vt qui se vltro subdidit iugo, vt tot millia curru ferret in templum. Sed in primis parentem, vt pote præ cæteris dilectam. Cur ergo filius hic existimetur minus velox pro ferenda curru genitrice, quàm prædicti Cleobis & Beton, vt aliquam in

Malach. 11. 29.

Psal 67. 18.

Plutarh. in Solon.

matris vectatione permiserit moram, vel vnius duntaxat instantis, cum maiori matris suæ nota, quàm matris Cleobis, & Beton? Imò multò celerius succurrisse iste credendus est: omnesque id ostendunt circunstantiæ. Primò ex parte matris non foret quidem adeò magna nota, si templum illa serò ingrederetur, ac si Maria vnico relinqueretur instanti extra currum crucis, in quo solo tota redemptio est, lapsusque in terram extra illud. Ex parte item filiorum, sola maturitas affectata est, atque velocitas. Nam iter parentis in templum minimè quidem relinquendum esset, etiam si filij non fierent bobes; sed solùm esset differendum, donec bobes accederent. Itaque pro sola vitam festinatione tradiderunt: nec aliter incumberent morti, nisi soli attenderent festinantiæ, matrisque moras minimè paterentur. Cur igitur amantissimus Mariæ filius non esset pro matre festinus vehens ei velociter currum, cùm nec ponderis onus, nec mortem esset reiecturus, etiamsi maternæ conceptioni non deferret auxilium, quandoquidem ipsum crucis iugum, tum pro eadem genitrice iam lapsa, tum pro cunctis electis curru illo eleuandis, & vehendis, & laturus erat, & pondere nimio interiturus? Qui enim currum iam ferebat ad matrem, cur gressum vnum accelerare grauaretur, vt nondum lapsam liberaret, cùm post vnius instantis moram liberaturus esset lapsam? Accedit, quod ex properantia hac ingens filio accederet gloria, id quod prædictis illis Cleobi euenit, & Betoni. Etenim cùm opulentiæ suæ ostentationem faciens Crœsus, beatum se à Solone appellari expectaret, nec beatus vocaretur, dixit ad eum fastiditus; quemnam, nisi me, beatum dixeris? Cleobim, respondit, & Betonem, qui pro matris nota deuitanda, tam glorioſa morte interierunt. Cum ergo summe glorioſus sit Christi triumphus, currus, interitus, & Christus ipse, quòd electos curru portarit in cœlum, portarit & charam genitricem; quanto erit glorioſior, quòd tempestiuè illam sumpserit curru, antequam in terram laberetur, tetraque macula inficeretur in lapsu?

Conceptio Mariæ immaculatæ summam filio gloriam conciliat.

Super omnia illud ex tabulis his notari obsecro, quòd constructum ad illarum venerationem & gloriam, non

Templũ Dei non vnum, sed duo.

Exod. 30.

vnicum quidem, sed vnum post aliud fuerit tabernaculum: alterum in deserto, opifice prædicto Beseleel: in regia alterum ciuitate, Salomonis sumptibus magnificis, primum tempore belli, in summa secundum tranquillitate, atque quiete. Quorsum hæc? O filij Mariæ! ô deuoti Virgini Deiparæ! Concedunt omnes eius fideles, regium cœli templum, quod in cælesti est Ierusalem suprema arte fabrefactum, ita diuino filio, & dilectissimæ deseruire parenti, vt à primo instanti, in quo terras has deseruerunt, ascensione ille, fœliciſſima hæc transmigratione, proprius vtriusque fuerit locus, quin instanti vno aliqua fuerint impeditione detenti; sicut animæ aliæ, quæ propria diu, adhuc in cœlestibus, desiderant corpora, aliquove spacio in purgationis loco detinentur. Sed nos plus vltra confitemur. Non solùm æternum cæli templum, non solo tempore tranquillitatis perpetuæ, pacisque suauissimæ; sed inculto etiã nostri huius seculi in deserto, in militãti Ecclesia in tẽpore horroris, & militiæ, aureũ filio ac matri templum esse constructũ, puriſſimã ipsam Virginis animam: aureum etiam in vtróque propitiatorium collocatum, ita vt à primo Conceptionis instanti in filio, & matre propitiatorium inuenerint omnes; quatenus Deus perspecta in puncto primo Maria, adeò sibi grata, adeo iocunda, inceperit iam inde benignioribus oculis respicere homines, inter quos tam pulchram intuebatur sponsam. 3. Reg. 6. 1.

Maria Deiparæ duo templa constructa.

Accedit quòd propositus pro Mariæ perfectionibus finis, non solus fuerit debita naturali Dei matri decentia; sed spectanda etiam documenta, & exempla, quibus honestæ vbique fœminæ legentes integerrimum, quem Dei libri indicem esse dixi, instituerentur. *Cum quibus virgo vacat in schola virtutum, vt ipsa sit forma disciplinæ Christi, & exemplum perfectionis hominibus*, ait Sophronius. Quidnam est forma disciplinæ Christi; nisi index perfectionis libri, quem Christus mundo prædicauit? Gratulor fœminis, quòd talem sibi propositum semper habeant indicem; quo quidquid in Christianæ perfectionis libro scriptum est, facile possint inuenire. Gratulor etiam, quòd index hic simul sit exemplum, quo fœminæ ipsæ indices possint esse virtutum. Certe propria indicis conditio mulieribus po-

Maria perfectissimum fœminarum exemplar.

Maria omnium magistra.

Sophron. serm. de Assumptione.

Fœminarum vita, & mores exteriori conuersatione ac vultu cognoscuntur.

tissimùm conuenit. Etenim libri index propterea quidem index appellatur, quòd quæcumque intus scripta sunt, in libri foribus insinuet, & indicet: eo quòd index propriè dicatur ille, qui exteriùs indicat ea, quæ interiùs, siue proba latent, siue praua. Si enim varia principis locutionum, Tullij, scripta perscrutemur, manifestè constabit, eum ipsum Tullium, qui librorum indices dixit, externos quoque gestus, ac vultus indices etiam appellasse. Lib. enim 2. de Oratore ait: *In Philosophos vestros si quando incido; deceptus indicibus librorum, verbum prorsus nullum intelligo.* Sed lib. 3. *Imago animi vultus est, indices oculi.* Est autem proprium imprimis fœminarum, vt affectuum animi, imo vitæ totius, exterior compositio, vultus, ac conuersatio sint indices. Qui testatur, est Deus: *Fornicatio mulieris in extollentia oculorum, & in palpebris eius agnoscitur.* Valde ergo oportet eas, quæ honori se attendere profitentur, & famæ, vt exterioris modestiæ, & honestatis curam habeant non exiguam. Alioqui, sibi imputent culpam, si contemptui sint, ac despicatui his, quorum oculis sunt minùs circunspectæ, minùs graues. In quo magis adhuc ridiculæ sunt illæ, quæ, cùm leues se exteriùs exhibeant, carpunt eos, qui illarum vitam iudicant impudicam, mores pessimos: quasi apparente fronte decipiantur. Contenduntque istæ persuadere aspicientibus, exactam esse vitæ integritatem, verasque animi virtutes, quidquid in gestibus videatur, & vultu. Mirum certe est, quòd huiusmodi fœminæ tale quippiam persuadere nitantur, cùm sit editum à Deo prouerbium: *Fornicatio mulieris in extollentia oculorum, & in palpebris eius agnoscitur;* quando naturali duntaxat ductus lumine Cicero, nullam circa hoc esse posse fallentiam asseuerat, dum in facta in Pisonem oratione dicit: *Non enim nos color iste seruilis, non pilosæ genæ, non dentes putridi deceperunt: oculi, supercilia, frons, vultus denique totus, qui sermo quidam tacitus mentis est.* Pressiùs quidem rem exagerat, dicens, exteriores vultus expressam esse locutionem, qua suæ quisque vitæ notificat seriem. Mirum (inquam) est, quòd huiusmodi fœminæ sic inuectæ in eos, qui illas ex gestibus metiuntur, intendant, nobis persuadere, certum vitæ suæ indi-

Cicer. lib. 2. de Oratore

Cicer. lib. 3. de Oratore.

Eccl. 26 12.

Cic. in Pisonem.

cem non esse apparentes deforis vultus, sed vitam quidem esse frugi, & integerrimam, cum hoc sit dicere, ea, quæ in libro continentur, minimè esse, quæ in indice assignantur: propriumque libri indicem aliunde esse quærendum. Nisi dicere intendant librum quidem esse dissolutum, vt scripta hic, illic index adsit separatus. Id quippe esset planè fateri, seipsas esse dissolutas. Apagessis. Imo honestis fœminis incumbit, circunspicere diluculo, quàm aptè annectatur corporis gestus puris animi affectibus: & iterum nocte examinare, sitne punctum aliquod solutum, vt id protinus reparent, proposito ante oculos in documentum, & exemplum verissimo hoc indice, Maria, quam, vt sit cunctis perfectissimus libri sui index, sponsus eius, Deus, omni absolutam fecit perfectione.

Sino es que qui crandezir, questa el libro desquadernado de suerte, que los escriptos esten cnun lugar, y en otro à partado de la tabla, o indice. Porque esto seria confessar se assi misimas pordesquadernadas.

Probatio hæc à finali tabularum harum scopo sumpta est: nunc iam venit probatio ab earum initio desumenda. In quo vltra vnam textus notam non progrediar. Ascendit bis Moses Domini montem, vt prædictas legis acciperet tabulas: primò vt acciperet illas, quas confregit; tandem eo tempore, quo dedit ei Deus extremas duas, quas in tabernaculo summa custodiuit reuerentia. De hoc autem vltimo ascensu ait textus: *Fuit ergo ibi cum Domino quadraginta dies, & quadraginta noctes: panem non comedit, & aquam non bibit, & scripsit in tabulis verba fœderis decem. Cumque descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonij, & ignorabat, quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini*: id est, nimio candore fulgentissima. Sequitur namque in textu: *Videntes autem Aaron, & filij Israel cornutam Moysi faciem; timuerunt prope accedere. Impletisque sermonibus, posuit velamen super faciem suam*: vt colloquentes ei, possent faciem eius adspicere, quam dempto velamine non poterant præ excessu fulgoris intueri. Quod notans Apostolus, dixit ad Corinth. *Itaut non possent filij Israel intendere in faciem Moysi propter gloriam vultus eius.* Quid est, quod, cum in secunda hac tabularum scriptione, Mosisque colloquio cum altissimo tanta fuerit Mosis à potibus, & cibis abstinentia, tam longa cum Deo conuersatio, refulgentia tanta, accepta à præclarissima illa, qua mons præsente Deo coruscabat; cùm in colloquio

Exod 31.18

Exod. 34.1.

Exod. 34. 28.

2. Cor. 3.7.

Maria Conceptio nimio fulgore müditia summa facta est.

primo, quando priores tabulæ scriptæ sunt, nihil ibi horum contigisse referatur? Imo ille ipse mons densissima erat horridus caligine, iuxta verba illa; *Ecce cæperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem: totus autem mons Sinai fumabat: eratq; omnis mons terribilis.* Exod. 19. 16 Vndenam differentia tanta? imo & oppositio fulgoris, & caliginis; aliarumque circunstantiarum, vt pro tabulis primis horror fuerit, ac terror, ieiunium pro secundis, fulgor ac splendor, vt nil ibi carnale interuenisse cognoscatur? Vtique ex summa fuit earumdem differentia tabularum; quòd confringendæ forent priores, extremæ accuratius custodiendæ; vt quæ in priorum reparationem statuebantur. O supreme Iesus! O diuina Maria! Quid de vobis dicam; cum hæc legerim? Est profectò inter vestram formationem, & protoplastorum formationem parentum differentia tanta, quanta inter vtrarumque formationem tabularum. Itaque lux, quæ fœliciſſimo formationis Mariæ, & Christi tempore sacrum conceptionis locum illustrauit, tantùm excessit lucem formationis Adami, & Heuæ, quantò fulgor iste, qui in extremis tabulis enituit, horridā illam excessit caliginem, quę in priorū fuit formatione tabularū. Cum ergo illa, quę in formatione priorum parentum interuênit, non quidem obscuritas, non caligo, sed candida lux, verusque fuerit nitor, ac fulgor; quandoquidem diuina Dei gratia imbuti in creatione sunt ambo: quanta, rogo, fuit lux formationis Mariæ, quanta filij eius, quantus fulgor, ac nitor; quando vera illa lux creationis Adami, formationis Heuæ, extremo huic Conceptionis Christi, atque Christiparæ fulgori collata, quasi tetra caligo reputatur? Quòd si tanta lux est, tam eximius fulgor, nitor, splendor, candor, coruscatio; quisnam dicere pergat, eam in Conceptione Mariæ maculam fuisse, quæ diuini est priuatio nitoris, tetraque caligo, atque deformitas?

Peccatum Originale facta ab Abimelech deuastatione figuratum.

Est vtique tantus, tamque splendidus fulgor nitidissimę huius Conceptionis, vt eo offensus oculos satanas, eiusque omnino impatiens, obnubilare illum moliatur; id est, omnes suos intendit neruos, solicitè studens ne clarissima hæc Conceptionis gratia nota sit cunctis. Et id quidem eò

impensè procurat, quòd coruſca hac Mariæ claritudine ſuum nouit honorem denigrari. Cur lapideam hanc diuini tabulam conſilij integram cunctis apparere velit, qua ipſe confractus eſt capite: vt cognoſcatur ipſe ab illæſa penitus læſus infante? Peſſimus ille Iſraëlitici populi tyrannus, Abimelech, tantam in Sichimorum vrbe fecit ſtragem, vt habitatoribus extinctis, vrbem vaſtauerit totam; *Ita vt ſal in ea diſpergeret.* Munitionem quoque turris; Sichimorum multis arborum circumdedit ramis; quos cum igne ſuccenderet, *Factum eſt, vt fumo, & igne mille homines necarentur, viri pariter, ac mulieres.* Hilaris ille valde, ac nimis alacer, proceſſit velox, vt excelſam turrim Thebes ſimili demoliretur ſtratagemate. At illo inſtanti, quo acceſſit, turris radici ignem adhibere, *Ecce vna mulier fragmen molæ deſuper iaciens, illi ſit capiti Abimelech, & confregit cerebrum eius. Qui vocauit cito armigerũ ſuum, & ait ad Deum; Euagina gladium tuum, & percute me: ne forte dicatur, quòd à fœmina interfectus ſim.* Tyrannus hic Abimelech ſeductorem hominum, hoſtémque infeſtiſſimum relata hac repræſentat hiſtoria. Ille ſiquidem mundum totum omnino perdidit, ſaleque arefecit peccatorum. Minutiſſimam Adami turrim, corpoream ſcilicet hominis partem, quippe qua animus incluſus eſt, circumpoſitis vſſit arboris ramis; arboris, inquam, illius, quam pulchram viſu, adſpectu inuenit delectabilem. His corpus ramis circumſepſit, dum hominem illum ad fructus eſum incitauit. At nonne vſque ad cineres combuſſit? Dei ſententiam audiamus: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Quo incendio omnes in turrim illam incluſos tetro combuſſit igne, animam, mentem, ſupremas animi potentias, ac inferiores facultates. Sed & denſiſſimo ignis illius fumo eos omnes peruſſit, quos remotiores inuenit: Vniuerſos nimirum Adæ poſteros, qui tunc in generatiua eius erant potentia, temporis ſucceſſu producendi. Quos quamquam ignis proximè non tetigit, commiſſione nimirum actuali, proprio ve eorum actu, ſeu facinore: id tamen, quod ab illo egreſſum eſt igne, vrens nempe ardor, originali necans animam crimine; peccati macula, ac deformitas; miſera à Deo auerſio, cunctos homines perdidit. Fumus item ab

Maria Cõceptione ſua frangens hoſtis caput, exiuit illæſa.

Iudic. 9. 45.

Iudic. 9. 49.

Iudic. 9. 53.

Geneſ. 3. 6.

Geneſ. 3. 19

Fomes peccati quid ſit.

Simile.

Peccatum Originale facta ab Abimelech diuaſtatione figuratum.

Peccati Originalis modus, forma, & cætera explicãtur.

eodem mortifero Adami igne exhalatus, quatenus sex illo peccati incendio mansit in posteris fauilla, peccati videlicet fomes; ex qua fumus prauorum ascendit affectuum, vt propria etiam voluntate in crimina proruant filij Adæ. Itaque tetra illa ignis mortiferi exhalatio cunctis Adæ posteris corporis intulit, & animi necem. *Succensa est enim quasi ignis, impietas; & conuoluetur superbia fumi.*

Esai. 9. 18.

Peccati fomitem in cunctos Adæ filios ab ipsius Adæ peccato deriuatum, omnes Theologi concordant. Quoniam ab illo, qui in primis parentibus succensus est, peccati torre exhalans fumum in posteris relinquitur fauilla, perspicuis Scripturæ locis expressa. Esse enim fauillam proprias criminis reliquias, non siluit Isaias, qui de impijs ait: *Radix eorum quasi fauilla erit; & puluis eorum, vt puluis ascendet.* Ex hoc enim prauæ inclinationis fomite densissimi affectuum vapores, tamquam niger fumus, exhalantur, mentem miserè obnubilantes: quo tandem fumo suffocatur homo, spiritalique moritur interitu; qui propria culpa lucentem inter nebulas veram rationis lucem sequi contemnit; cum nullis hæc passionum exhalationibus aduſque possit obscurari. Ergo triumphator iste hominum aduersarius, qui originali omnes Adæ posteros macula in Conceptionis instanti perdens, ac perimens, insultabat; inuasit ex more Mariæ arcem, vt prædicto eam fumo suffocaret in ipso Conceptionis instanti, originea inficiens contagione. Nec immeritò vocaui arcem terreũ hominis corpus, cum nullus in vrbibus murus ad obsistendum aduersarijs adeò sit firmus, ac fragile corpus, ad superbiæ tela retundenda: qua ratione ad extinguendum glandium impetum ignitorum, arenæ aggeribus solent vrbes sepiri. Nec tamen ex eò quòd arcem dicam corpus, arcique suppositum incendium; originale peccatum in carne fuisse, dicere videor: sed id tantum dicere: peccatum hoc à carne instrumentaliter oriri, seu in ea esse instrumentaliter; vt loquar cum Patribus, Ambros. Augusti. Anselm. Thoma: & cum Theologis, Thoma, sententiarum Magist. Suares, Valencia, ac schola vniuersa. Expectabat tyrannus ille iuxta animandum Mariæ corpus, tanquam iuxta arcem, vt venientem animam, in ipso vnionis, seu Conceptionis

Simile.

Peccatum origin. est instrumentaliter in carne.

S. Th. 3. p. q. 27. art. 3. Doctor. in 3. dist. 3 Albert magn. ibi ar. 6. Greg. Valencia tom. 4. disp. 2. q. 1. punct. 4. Isai 5. 24.

Amb. apud Magistrum in 2. dist 30. & 31. Aug. apud Greg. de Valenc. t. 2. disput. 6. q. 12. punct. 1. 5. 6. & q 13. puncto vnico. Anselm. ad Rom. ca 1. S. Tho 1. 2. q 83. art. 1.

ceptionis instanti tetra peccati flamma, tetra perderet macula, originali inficiens peccato. Verum eo instanti, quo pestiferum hunc adhibere aggressus est ignem, simul ac concepta est B. Virgo, duro caput impij contudit lapide Christo, quem ex suo vtero emissura, ex tunc iam hostis caput, ex tunc iam cor victrix sauciabat; lapide quoque sui ipsius, eò quòd lapidea legis Dei tabula semper fuerit Maria. Sic suam Deus pollicitationem fœminæ, sic diabolo minas adimpleuit, quibus fraudulento fœminæ victori dixerat: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem; ipsa conteret caput tuum: & tu insidiaberis calcaneo eius.* Genes. 3. 15. Curnam calcaneo insidiaretur: nisi ex eo quòd videns lapidem in caput suum desursum venire, iacientis illum fœminæ calcaneum atonitus suspiceret? Perquàm apposita sunt verba Petri Damiani. *Arcem nobilitatis de prolis stirpe trahens, filia quidem Regum; sed mater Regis Regum.* Pet. Dam. in hymno de B Virgine. Si ergo tanta Abimelech sollicitudine satagebat, ne fieret notum, se à fœmina & ictum & peruictum: quid dicemus, dum præclarissimam hanc Mariæ victoriam non omnino innotescere videmus; nisi planè concedamus, minimè mirandum esse, si communis hic hostis summam adhibeat diligentiam, ne dicatur à puella se vix omnino formata sauciatum, & victum? Propria vbique est eorum, qui gloriæ sunt cupidi, conditio, vt inflicta sibi vulnera dissimulare nitentes inflicta à se fingant, & enarrent. Peruenitque eousque huiusmodi arrogantia, vt ne telorum aëre percussos se velint confiteri. Id enim de insigni illo Athenienſium duce Timotheo scribit Plutarchus. Hic non modicè (vt videtur) gloriæ affectus, & auidus, cum in cuneo suorum aliquando (vt assolet) confabularetur, quemdamque ex ducibus illis vulnera sua ostentantem audiret, quasi in acceptis pro patria plagis gloriabundum: *At me dixit, cùm vester contra Samios essem imperator, puduit, catapultæ telum iuxta me cecidisse, quamuis minimè tetigerit.* Plut. in Apophteg. Græcor. 98 Eximium quippe duci conciliari putabat honorem, si adeò inuictus, adeò victor exiret è certamine, vt nullo vmquam fuisset vulnere percussus: imo ne tactus quidem aëre, moto à sagitta transeunte. Quid faciat auidissimus ille gloriæ Lucifer, nisi Conceptionis Mariæ gloriam

Superbi se victores prædicant etiã victi.

Timothei Athenienſis arrogans dictum.

latêre moliatur; nec inflictum sibi ab ea vulnus innotescat?

Sed quid ego in refutando aduersario conteram tempus: cùm satius sit insumere illud in citando fautorẽ illum, quem eximiæ agnosco auctoritatis? Sanctus Thomas est hic: Angelicus ille, ac supremus Doctor: cuius quum doctrina in orbe resonuit, siluit terra in conspectu eius. Si alij quiuis maximi magistri in ea putarentur sententia, quę B. Dei genitricem originali labe affirmat infectam: non tam obnixè mouerentur fideles tali eorũ opinione, etiam si multi citarentur. At S. Thomas! S. Thomas, qui nihil vnquam edidit in lucem, quod nõ oratione magis, quàm calamo scripserit? Qui copiosissimum sapientiæ flumen infuso magis sancti Spiritus imbre, quàm proprijs lucubrationibus emiserit? Qui nullam vspiam in operibus suis scripsit sententiam, quam Catholica exploserit Ecclesia? Immo qui ab Ecclesia adeò approbatus est, vt in Canonizationis eius Bulla dixerit Summus Pontifex; scriptum quemque articulum, eius esse miraculum, vt tot sint miracula Thomæ, quot articuli? Qui ab ipso Dei Filio est approbatus, dicente sibi: *Bene scripsisti de me Thoma.* Qui sola sapientia in proposito hoc eximiæ est autoritatis: sed deuotione etiam in B. Virginem eximia, vt nemo ex Patribus supremam eius puritatem iucundiùs extulerit, aut altius? Quis ergo non infectam putaret Conceptionem, quam B. Thomas infectam putare putaretur? At verò nec talis est S. Thomæ sententia, vt Conceptionis huius deroget puritati; nec, si verè in ea esset ille opinione, fideles ea mouerentur, saluâ tanti Patris reuerentiâ.

Conceptio Mariæ, quo arbitrio accepta Sanct. Thomæ.

S. Tho. Angelicus Doctor purissimæ Conceptioni Mariæ valdè affectus.

Extremum hoc præclara ratio persuadet. Nam positus hinc Pater noster, S. Thomas: hinc posita matre nostra, Dei Matre; multò quidem fortiùs non allicit matris honor nostræ, quàm Patris nostri Thomæ autoritas, cunctis vtrimque perpensis circunstantijs. Imprimis ipsamet personarum disparitas, cùm Dei mater immensa Thomam excedat dignitate. Deinde ex parte subiectorum: quatenus defectus opinionis est in intellectu; in anima ipsa gratiæ defectus, & in tota vndecumque persona. Attenta item defectuum qualitate, reiecta opinio non est macula autoris; si quidem nec mortiferum est, nec veniale pecca-

tum, nec viri imperfectio, nec sapientiæ defectus; nec vlla damnabilis censura: originale peccatum macula est, nigredo, fuligo, interitus animæ, & (quod peius est) auersio à Deo. Inter tot igitur discrimina, quis Mariæ filius honorem eius, concedente Ecclesia facultatem, non tuebitur; vt Patris Thomæ arbitrium tueatur? Quod si huius verba verbo approbauit Dei Filius; puritatem Mariæ semetipso approbauit, eius vterum ingressus, carnemque ex ea sumens, & sanguinem. Dixit, *bene scripsisti de me Thoma:* forte dixit de me, ne quis sumeret ansam, ad putandum, approbasse Christum quidquid scripsit de Maria. Nam dictio illa, de me, restrictiua est, ac limitatiua.

At verò, nihil omnino est, quod Beato Thomæ sententiam hanc attribuamus. Docuit primitus in 1. sentent. lib. Conceptionem Mariæ à contagione originalis peccati immunem fuisse: postea in 3. summæ parte, dixit fuisse maculam: vtramne sententiam ex eius animo censebimus? Diuisim primò vnam, atque aliam perpendamus; collatas deinde simul ambas. Dixit in libro illo verba hæc. *Potest aliquid creatum inueniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis: si nulla contagione peccati inquinatum sit. Et talis fuit puritas Beatæ Virginis; quæ peccato originali immunis fuit.* Ecce B. Thomæ sententia, non solùm expressa, sed probata etiam argumento. Quodquidem ex se omnino efficax est; quando eius conclusio non esset educta à Sancto Doctore. In ea enim creatura, qua nihil esse purius possit; hanc ille conditionem exigi affirmat; si nulla contagione peccati inquinata sit. Peccati (inquam) cuiusuis generis, etiam originalis; quandoquidem subdit; *talis fuit puritas B. Virg. quæ peccato originali, & actuali immunis fuit.* Vnde apertè constat, B. Virginem, si originea labe fuisset infecta, non fuisse eam creaturam, qua nihil in rebus creatis purius esse potest: imo nec eam, qua effectu ipso nihil purius est; esset siquidem minus pura quàm Angeli; qui nullo sunt infecti peccato. Quod &. S. ipse Thomas, & Doctores omnes meritò reijciunt. Sed quid dicemus de illa, quam in 3. p. oppositam affirmauit, sententia? Vtique si opinio hæc, quam, in 2. scripsit. quæst. 15. art. cum art. 1. conferatur: certam autoris nostri mentem pro

S. Thom. 1. sent. dist. 44 q. Vnica. ar. 3 ad 3.

S. Th. 3. p. q. 27. art. 2.

Conceptione ſtare perſpiciemus. Cauſam quippe, qua puram negat Conceptionem, eam potiſſimam oſtendit, quòd non celebraretur ab Eccleſia. Si ergo eam celebrari videret, Vt poſtmodum incæpit celebrari; quidnam diceret ille? Coniectura hæc acceptiſſima eſt omnibus, nec me eius prædico inuentorem. Sed addam nihilominus, quod fortè fortius iudicabitur. Format in art. 1. argumentum hoc pro Natiuitate Doctor hic noſter: *Eccleſia celebrat Natiuitatem: B. Virginis, non autem celebraretur feſtum in Eccleſia, niſi pro aliquo Sancto: ergo B. Virgo in ipſa ſua natiuitate fuit ſancta.* Quod quidem argumentum abſque mutatione vlla, præter nomen Natiuitatis in nomen Conceptionis, planè probat, Conceptionem æquè, ac natiuitatem, ſanctam extitiſſe. Vnde vlterius ſequitur maximũ Doctorem hunc æquè de Natiuitate, ac de Conceptione ſentire, vbi Conceptionem æque generaliter videt, ac Natiuitatem celebrari; cùm ſoli huic ad affirmandam Natiuitatis ſanctitatem, nitatur fundamento. Quòd ſi quis factum à D. Thoma pro natiuitate argum. minime concludere reſpondeat; non video cur reſponſor hic autoritatem S. Th. adeò obnixè tueatur, vt pro eo, vt defendat nullam eius ſententiam eſſe explodendam, maculam concedat in Deipara; cum adeò facile aſſeueret erraſſe. S. Thom. in iſto, quod pro Natiuitate fecit, argumento. An dignior eſt Doctoris autoritas, vt pro eo, quod derogat, Deiparæ, quàm pro eo, quod eius fauet honori, ac dignitati, defendatur? Vnam illam video poſſe euaſionem inueniri, quæ alias eſſe ſolet refugium, cum de huius feſti celebratione tractatur, iuxta id, quod de ea dixit. S. Thom. in proprio, quem de conceptione ſcripſit art. Nempe in Conceptionis celebritate, nomine Conceptionis non deſignari ipſam Mariæ Conceptionem; ſed illud inſtans, in quo poſt Conceptionem, vberi gratiæ influxu ſanctificata eſt. At neſcio, quo incitamento talem Eccleſia feſtiuitatem intenderit inſtituere: ſeu (vt proprius loquar) neſcio, vnde poſſim ſuſpicari, in Eccleſiæ mentem talem veniſſe celebrationem, ac feſtum. Imo videor mihi planè videre, celebritatem hanc ipſius eſſe Conceptionis, ipſiuſque primi Conceptionis inſtantis in eo, quòd Conceptionis nomen, cùm ex ſemetip-

3.p.q.27.ar. 1.in argum. ſed 1.

so,tum apud ipsos Pontifices summos, primum instans intelligitur. Verba, quibus hoc apertè exprimunt, multis in Bullis scripta sunt; in quibus vtrámque de Conceptione sententiam tutam omnino approbant, neutram reprobãt; cum sit omnino reprobata, quæ factam Mariæ in materno vtero sanctificationem non admitteret. Non ergo concedunt illi probabilem, quæ huiusmodi sanctificationem excludit; sed eam, quæ à primo illam excludit instanti; vnde de hac sola loquuntur in Bulla: hancque Conceptionis nomine intelligunt solam.

Simile. Libet institutum hoc alio simili tam explicare,quàm fulcire. Scimus, imo multi ex circunstantibus perspeximus, factam anno 1582. Kalendarij reformationem: qua decem ab illo anno detracti sunt dies,itaut in die Beati Francisci quartum decimum Octobris diem numerauerimus anno illo. Erat igitur decem errorum vsque ad diem illum in computatione Kalendarij; cuius origo fuit, quam explicabo. Constat annus vnus 365. diebus 5. horis 49. minutis 16. secundis. Sunt autem 60. secundi, minutum vnum: hora vna minuta 60. Tanta est supremi illius autoris perfectio, qui ne secundo quidem vno annum ab anno facit discrepare; cùm secundos 3600. hora vna complectatur. Iuxta ordinem hunc, minimè potest iusta omnino fieri annorum computatio, cò quòd supra integrum diem 49. minuta, & sexdecim exorbitent secundi, ac horæ quinque. Quid faciendum? Illa profecto mirifica est ars, quæ quarto quoque anno bissextum adinuenit. Nempe horæ illæ sex cuiuis anno superfluæ, per annos quatuor asseruatæ, viginti quatuor horæ sunt, diem complentes naturalem, qui quarto illi anno superadijcitur; atque ita in 24. Februarij die, bis 24. numeramus, bissextum nomine; quoniam dicimus bis, sexto Kalendas Martij. Verum nec hac computatione omnino euacuatur error, propter minuta illa, quæ ad horæ deficiunt complementum, nempe minuta 11. & secundos 44. Quo fit, vt dies ille bissexti non sit adusque integer, deficientibus ei. 45. minutis, & secundis quatuor. Atque ita crescente quotannis errore hoc, tandem in centesimo vigesimo tertio quoque anno desunt diei bissexti 86400. secundi, qui sunt horæ

vigesim. quart. & minuta quinque: ac consequenter dies vnus, & pars quadrantis. 3. Oportet ergo in quouis 123. anno istum detrahi diem, nec anno illo numerari bissextum; haberi etiam illius tertiæ quadrantis partis rationem ad subsequentium computationem annorum. Et quoniam dies hic non solebat detrahi ante reformationem factam anno 1582. deuenerat ad decem dierum errorem computatio. Hunc agnouerant veteres Astronomi, quem impensè notauit famosissimus Hispalensis noster Hieronymus de Chaues tract. 1. tit. 27. repertorij. Qui propterea dixit; hic errorem ego inuenio 15. dierum ab anno à Christi natiuitate vsque huc: & nihilominus disposuit omnes Kalendarij tabulas conformes erratæ illi computationi; quæ in orbe toto obseruabatur. Nunc inquiro ego; quisnam integræ mentis homo dicet, illud Hieronymo huic nostro fuisse de computatione iudicium, quod in eius tabulis apparet? Satis apertè constat expressis eius verbis, iudicium suum fuisse contrarium eisdem literis, quas scripsit: sed scripsit tamen suo oppositas iudicio, propterea quòd non iuxta propriam mentis suæ, sed iuxta generalem computandi rationem tabulas deberet ordinare. Reliquit ergo curam correctionis Ecclesiæ, cui soli incumbit reformatio; quam postmodum prædicto 1582. anno exactè perfecit. Accedit, quòd Chaues ipse titulo 22. initio tabulæ Hispalensis dixit verba ista: *No hazemos mayor precision, remittiendolo ala coreccion, que enella se podra ir haziendo.* Vbi verò factam ab Ecclesia reformationem aspexit; reformauit & ipse tabulas suas, totumque iuxta eam Kalendarium. Dicemusne mutasse Hieronymum sententiam, vt aliter senserit, quum vetus, quàm quum reformatum scripsit repertorium? Arbitror, me iam ab auditoribus teneri. Dixit noster Thomas, cum de Conceptione agitur Deiparæ, Vnum ego hic erratum inuenio instans, quod ab Adami tempore in cunctis eius posteris erratum est: quidnam de eo scribam? Non video instans istud tamquam sanctum ab Ecclesia celebrari: scribam ergo, instans esse erratum peccati errore originalis. Quid ergo? Dicemusne, ex propria Thomam mente locutum an decursui potius temporis accommodatum?

Hieron. de Chaues in repertorio. tract. 1 tit. 27 in veteri editione, ante reformationes anni 1582.

Chaues in tit. 22.

Nonne, si his temporibus scriberet, videns Conceptionem ab Ecclesia vbique celebrari, reformaret articulum non secus, ac Chaues reformauit? An diceretur, mutauisse iudicium? Imo exprimeret suum; cuius expressionem tunc cohibuit, dum Conceptio hæc non vniuersaliter celebrabatur in Ecclesia. Quod si quis dicat, non reformationem, sed celebrationem Conceptionis innouatam, cùm Kalendarij fit facta reformatio: maturiùs ille animaduertat; ita S. Thomam celebrationem attendisse, sicut reformationem attendit iste Hieronymus.

Sed esto. B. Thom. in ea fuerit sententia, quam in tertia summæ parte protulit: nonne censendus est, eam proculdubio mutaturus, si diebus nostris non solam videret celebrationem, sed vniuersalem adeo omnium applausum populorum, quo exquisitis festis, iubilationibus, sumptibus, conceptionem hanc immaculatam conclamantes, colunt, magnificant, concelebrant? Hanc (quæso) rationem altè perpendat, si quis de S. Thomæ arbitratu adhuc est dubius. Curnam ille mutauit sententiam, quam in primo illo sententiarũ libro funditùs affirmauerat? Quidnam dicis ad hoc? Fare, age dum; quid respondes? Dices, mutauit sententiam, ob aliquam rationabilem causam, quæ illi de nouo in mentem venit. sit ita sanè. Sed dicito mihi: si sola nouæ alicuius causæ consideratio sufficiens fuit, vt in oppositam abiret opinionem: cur non mutaret rursus & hanc, si nouam istam adspiceret causam, vniuersalem populorum applausum, adeò obnixè, adeò intensè, adeo intimè immaculatæ Conceptionis Prædicatorem, conclamatorem, defensorem? Potuit-ne isto efficacius esse incitamentum illud, quo, ad reponendam opinionem, est motus? At certè rationem mutandi opinionem non siluit; sed perhibuit illam, quòd ab Ecclesia non celebraretur. Celebratiam Ecclesia, & alacrius celebrat, quùm aliud quodpiam ex festis vniuersis; mutaret ergo Doctor noster sententiam, si talem celebrationem intueretur.

Dicet fortasse aliquis S. Thomæ defensor; curnam tantam concionis partem in sententiæ illius excussionem insumpserim? Tanta quidem est apud nos, discipulos

eius, Sancti eius Doctoris æstimatio, tanta autoritas. Est vtique tanta, vt magnam concionis partem libenter insumamus; ad ostendendum S. Thomam nostrum esse fautorem: quod minime facerem, si eius autoritatem non eximiè suspicerem, magnificarem, ac diligerem.

Manet igitur pretiosissima hæc diuinæ legis tabula integerrima. Nulla eam læsio sauciauit: nullo vnquam est puncto confracta: nullo lapsa in peccatum instanti. Numquam tributum cuipiam soluit, vt serua: imo cuncti huic tribuere primitias. Est in aurea arca summo honore custodita; Cherubinorum obsequio seruata: posita in summitate propitiatorij; redemptore crucis curru ante vllum lapsum diuinitus accepta. Hanc vt curru assumeret illæsam, filius eius velociùs properauit, quàm ad portandam curru parentem, fidelissimi gnati Cleobis, & Beton. Hæc est tabula sancta, index omnium, quæ tam humanæ, quàm angelicæ, in Deo coruscant, perfectionum. Hæc tabula sancta, vbi omnem omnes legant, & discant sanctitatem. Tabula in medio candidissimi luminis facta, ac superscripta. Tabula, pro cuius veneratione templum aliud in terra, & aliud Deus condidit in cœlis. O firmissima tabula! Sentiunt intimè tuam firmitatem, puritatem, suauitatem, internæ nostri tabulæ cordis. Quisnam dolet cor? Quis ægrotat? Quis mœret? Quis premitur egestate? Quis in omnibus rebus amaritudine potatur: qui, cùm Mariæ audit Conceptionem, non se alacrem protinus agnoscat? Sentiatque iucundam ęgritudinem: amœnissimum mœrorem: diuitem paupertatem; versam acerbitatem in delicias: ac tuo tandem patrocinio gratiam, & gloriam consequatur.

IN

IN EADEM IMMACVLATA CONCEPTIONE.

SERMO II.

De Folijs Libri generationis Iesu Christi.

Liber generationis Iesu Christi Filij Dauid, &c. Matth.1. 1.

Mariæ viscera folia sunt libri generationis Iesu Christi.

FOELIX sermo, & omni acceptione dignissimus, qui ex octo libri huius propositis pro immaculata Deiparę Conceptione partibus, propriam sibi vendicat ea, in quibus literæ scriptæ sunt, folia: purissima scilicet eiusdem viscera Mariæ. Est Iesus substantiale Dei Verbum, scriptum in hoc Matthæi libro, quem generationis inscribit eiusdem Iesu Christi: est & substantiale, & substantialiter scriptum in Virgineis Mariæ visceribus, in quibus *Verbum caro factum est*. Consequenter igitur, si verbum Ioan.1.14. istud scriptum est in hoc Euangelico libro, & ipsummet verbum impressum est in Marię visceribus: viscera ista huius libri sunt folia. Est itaque fœlix, qui talia sermo materiam habet folia: fœlix dies; auditores fœlices; & fœlix etiam prædicator. Omnia sunt fœlicitas: nam Virginis huius fœliciſſima viscera in eximium animarum nostrarum bonum concedunt nobis eas diuitias, quas fœliciter ipsa thesaurizant. Vnde & verbum hoc, quod in se impressum habent, legendum nobis piè exhibebunt.

Est autem in folijs his propria quædam earum excellen-

tia; omnium filiorum vsum valdè exuperans. Etenim apud nos Hispanos perquàm vsitata phrasis est, vt qui vitæ mutat rationem, folium voluere dicatur: si ex probo in improbum, siue de prauo mutetur in probum: eò quòd pagina folij secunda oppositam contineat illi sententiæ, quæ prima in pagina erat scripta. At in Mariæ folijs hæc iugiter fuit inuenta perfectio; vt folij versio sanctus de bono in melius fuerit ascensus; numquam mutatio ex malo in bonum. Quod in primi folij facie scriptum videmus, Verbum Dei est; *Maria, de qua natus est Iesus*: Verbum doctrinæ nostræ, nostroque exemplo apprimè requisitum: at vt verbi expressio proficua sit populo; ille etiam in prædicatore exigitur Spiritus, qui à Verbo ipso diuinitùs procedit. Vbinam hunc inueniemus? In folij fronte inuenimus Verbum in Mariæ visceribus: voluamus foliũ, inueniemus protinùs Spiritum: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*. Eodem gressu, vbi folia omnia verterimus; indeficientem inueniemus in cunctis promotionem. Est adeo excellens excellentia hæc, vt folium hoc manu hominis versum, faciat hominem ipsum prauæ suæ folium vertere vitæ: imo cuiusuis deuij propositi. Currit vsque ad Ioseph, Mariæ sponsum, scripta in libro genealogia: *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ*; qui, cùm in sponsæ suæ viscеribus scriptum videret verbum, quod ipse non intelligebat, cùm eam ipse nequaquam tetigisset; turbatus vehementer, voluit occultè dimittere eam. Sed quid denique fecit? Volue folium, Ioseph; volue obsecro folium: quidnam legis? *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*. Hac folij versione conuertit Dei Angelus Iosephum, dicens ei; *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*. Hunc ergo hodie à folio hoc affectum spero. Nempe, si folium voluerimus propositum; sanctum in folij versione inueniemus Spiritum: qui folium vertere faciat auditores in vitam iustam ex errata; in perfectam ex iusta: si eandem Deiparam aduocatam iterpellauerimus, dicentes, *Aue Maria*.

Probandæ innocentiæ ars in causa ignoti homicidæ, qui hominem in agro interemisset, ea ex Dei instituto Israëlitico populo præscripta est, in qua innocens vitula certum

Maria folia nunquã ad mutationem ex malo in bonum; sed ex bono in melius semper versa fuisse.

Simile.

Matt. 1. 16.

Matt. 1. 20.

Maria est folium Verbi Dei, quod homines vitas suas foliũ voluere facit.

Matt. 1. 16.

Matt. 1. 20.

Aue Maria

Vitula symbolum innocentiæ.

habebatur probationis instrumentum. Talis erat lex in 21. Deuteronomij capite, sic habens. *Seniores ciuitatis illius tollent vitulam de armento, quæ non traxit iugum, nec terram scidit vomere: & ducent eam ad vallem asperam, atque saxosam, quæ numquam arata est, nec semen recepit: & cædent in ea ceruices vitulæ; lauabuntque manus suas super vitulam, & dicent; manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc. Propitius esto populo tuo Israel, quem redemisti, Domine; & ne reputes sanguinem innocentem in medio populi tui.* Itaque legitimum probandæ innocentiæ instrumentum innocua vitula proponitur. Et quoniam hominum innocentia, & in corpore esse potest, & in anima, nempe, & corporalis pudicitia, & spiritalis integritas, quæ ab omni est crimine aliena: docet Dominus Deus verbis istis, vtriusque innocentiæ probationem media fieri vitula; in qua corporalis innocentia est; & metaphoricè etiam spiritalis: quatenus nemini noxia est, infensa nemini.

Deut. 21. 3.

Innocentia probatur innocua vitula perspecta.

Vitula symbolum castitatis.

Luxuria talis est in dolis, vt ipsum met effrenari hominem vinciri sit iugo peccatorum.

Corporalis autem pudicitia duo illa vbique habet propria, quæ Deus in vitula designat; quod scilicet nec traxerit iugum, nec terram vomere discinderit. Sicut ex opposito libidinosi viri, fœminæque lasciuæ certæ sunt notæ, tum grauissimum semper in collo iugum; tum horridus propriæ terræ sulcus. Est grauissimum iugum impudicitia: tantóque grauius, quantò solutior est vita. Quis talia crederet, nisi experimenta ignorari non sinerent? Quòd libertas nimia, quòd relaxatio, quòd dissolutio, quòd effrœnata hominis per florida prata dilatio, vincula sint, atque constrictio; grauissimumque animi iugum, & corporis? Talis absque dubio est huiusmodi infœlicium vita fœminarum, ac virorum. Quis quoad carnis vitia solutior, effrœnatior Salomone? Mille hic vno tempore domi apud se habebat concubinas, & coniuges: sed quam (rogo) liber, ac sui iuris? Id quidem ei Ecclesiasticus palam exprobrauit breui verbo illo: *Potestatem habuisti in corpore tuo.* Heu te miserum! qui absque nullo appetentiarum impedimento tuam expleuisti voluptatem. Auditisne plana verba hæc? Scitote, ea ipsa, absque mutato apice, strictissimos Regis illius compedes, ferreásque manicas exprimere; iugúmque adeo intolerabile; vt positum

Eccl. 47. 21.

hoc in statera vna, mille in alia mulieres iucunditatis suæ; grauius pondere fuerit iugum corporis illud. Verba quippe illa, *Potestatem habuisti in corpore tuo*, Græcè sunt verba hæc: *Subiugatus es in corpore tuo.* Sic ex Græco vertit Vaticana. Heu miseram animam! ipsamet plena affectuum tuorum indulgentia, strictus funis est, quo vinciris animo; vinciris & corpore, ac corde, & sensibus vinciris. Deus ipse est, facit qui tibi notum, tuam circa delitias offenso creatore libertatem iugum esse mancipij, earundem captiui voluptatum. Intellige Deum; planè tibi loquitur tam experimento, quàm verbo. Quòd si prædicta hac versione Græca non intelligis, allegans, Græcam à te linguam non intelligi; audi Tygurinam translationem, quæ planè dicit absque Græco; *Vinciri te corpore passus es.* Sed enim, quando Deus tibi non dixisset; ipse tu miser & sentis, & gemis. Quoniam cùm adeò stricta, adeò dura sint vincula; non potes tanta in delicias eleuatione suspendi, quin maior sit vinculorum angustia, quàm leuamen deliciarum. Ipsamet delicioſa caro graue nimis iugum est. *Quando lumbi mei impleti sunt illusionibus; non est sanitas in carne mea.* Cùm pars concupiscibilis vitio absorpta est; non est salus in carne, non agilitas, non quies, non viror; sed ariditas, mœror, lassitudo, internum iugiter in corde cilicium, magis asperum animo, quàm corpori blanda delectatio. Heu quot leuis mulier grauis est iugis, & oneribus? Audistisne eas, quas luxurioſi sarcinas scriptura commemorat? Qui diuino eas dicendi genere non callet; agnoscat humano. Quisnam diceret, eodem verbo originali, & libertatem simul, & captiuitatem designari? Latitudinem, & cippum? agilitatem, & iugum? At quis negabit, idem penitus esse, fœminam leuem esse grauissimam? Saltem ipsamet leuis mulier minimè poterit negare; cùm suæ leuitatis pondus monte sentiat oneroſius. Quot eam onera premunt, & affligunt! Premunt corpore morbi, libidinis filij. Premunt dolores, lassitudines, debilitas, pallor. Premunt intimè grauius imaginationes stratagematum, ac machinarum, ad vincenda explendæ libidinis impedimenta. Premit iugis timor, quòd capietur à parentibus, à fratribus, à filijs, à domesticis. Premunt suspicio-

Græca ibi. Vaticana ibidem.

Tygurina ibid.

Psalm 39.8.

Mulier leuis grauis est valde sibimetipsi.

Luxuria grauissimas gignit in corpore, & in animo afflictiones.

nes, quòd amasius aliam ardentiùs diligat, & visitet. Premit rumor, quòd fama sua, honor, & æstimatio linguis rodatur alienis; quo ipsa intimius corroditur, carpitur, fremit, contabescit. Et quando nihil aliud interueniret, quod premeret; molestissimus saltem conscientiæ vermis, nunquam premere desistit, mortiferis anxietatibus eliciens sudorem, dum aspicit misera, quia quantò expeditior per prata currit voluptatum, tantò ad inferna properat velocior; vbi grauissimi illius, quo premitur iugi ligna accendentur in orco in rogum, quo infœlix ardeat in æternum. Estque misera hæc tam alia ab ea, quæ antequàm manciparetur impudicitijs esse solebat; quàm subiugata vacca diuersa à semetipsa in eo statu, quo vitula saltabat alacris, agilis, iucunda. Quàm iucundæ viuunt, quàm contentæ, quàm alacres Virgines illæ, quæ in occultiore domus recessu intra maternum recluso cubiculum degentes, cùm vix pedes extendere queant, latissimis animo dilatantur spatijs! Cúmque ne cogitatione quidem vitioso aliquod delectentur officio; sunt ibi non secus, ac petulantes vitulæ, iucundæ; semper ridentes, nulla afflictione vacillantes. Habent noctu, diuque ad pluteum inclinata colla, manus acubus intentas; & nec punguntur acubus manus; nec cuspidibus corda: nec inclinata premit iugum colla. Quid si hæ deuotioni sint deditæ? Si vigilijs, si ieiunijs, meditationibus, cilicijs, sanctisque inter se conuersationibus? Sunt profecto adeò eleuata tunc corda, vt nullum eis iugum possit esse superius. Suauissimis semper alterna voce canticis modulantur cœlestibus illis, de quibus B. Augustin. *Vos, ô Virgines, offertis ad nuptias agni canticum nouum; quod cantabitis cytharis vestris; non vtique tale, quale cantat vniuersa terra; sed quale nemo poterit dicere, nisi vos.* Aug. lib. de sancta virginitate cap. 27.

Virgines pudica in domus angulo recluſa corda dilatantes dulcem degunt vitam.

Luxuria opera aratu congruè designata.

Sed significantiùs exprimit propriam pudicitiæ conditionem verbum illud, quod sequitur. *Vitula, quæ nec terram scidit vomere.* Sunt in terræ cultu duo, virginitati penitus opposita: sulcus terræ primum, deinde ipse cultus finis, qui est fructuum generatio. Vndè vitulæ aratu significare luxuriam, in libro Iudicum expressus est textus. Ibi cùm ea, quæ vxori secreta commiserat, in virorum ore audiret Samson, dixit ad illos: *Si non arasſetis in vitula mea; non in-* Iudic. 14. 18.

Aratus ſymbolum luxuriæ.

ueniſſetis propoſitionem meam. Ideſt: ſi non ſcortati eſſetis cum coniuge mea; nequaquam intelligeretis occultam propoſiti à me ænigmatis ſententiam. Sicut enim ij, qui terram arant, occultas intra eam proferunt radices; ita qui apud fœminas acceptus eſt vir, omnia, quæ illis commiſſa ſunt, exerit ſecreta. Eſt literalis ſcripturæ huius intellectus, vt conſpurcata ab alienis vxor, dicatur vitula, in qua illi arant. Nam & humanis in literis nota phraſis eſt; qua Plautus vſus verſu illo:

Simile.

Fœminis periculosè committuntur ſecreta.

Plautus. Virgil. li. 3. Georg. Lucret. li. 4. Ambr. epiſt. 70.

Fundum alienum arat: incultum familiarem deſerit.

Ea quoque Virgilius, & Lucretius. Imo B. Ambroſ. explicat illa Samſonis verba verbis ſuis his: *Nec muliere aliquid perfidioſius: nam ſi non domuiſſetis vitulam meam, nunquam intelligeretis parabolam meam.* Loquitur S. Doctor de infideli fœmina, qualis erat Philiſthæa illa, Samſonis vxor. In huiuſmodi ſiquidem fœminis qui arcana ſua abſcondit maritus, non in profundiori celat loco, quàm in illa terræ profunditate, quæ aratro ſtatim exploratur. Aliter fœminæ fideles; quæ, cum verè fideles ſint, verè Chriſtianæ; ſunt etiam ſuis fidæ coniugibus omni fidelitatis, fideique expectatione.

Fœmina pudica mulieres bona nominantur.

Reſtat conſiderandum, curnam ſola pudicitiæ probatio integrum innocentiæ indicium, integra innocentiæ probatio habeatur. Ad plenam ſiquidem innocentiæ probationem, id ſolum in lege illa exigebat in vitula Deus, vt nec traxiſſet iugum, nec terram vomere ſcidiſſet: quod ad ſolam (vt explicui) ſpectat pudicitiam. Sanè in fœminis, puellis præſertim, pudicitia tota res eſt. Itaque pudica mulier bona mulier vbique nominatur; ac conſequenter penitus innocua. Nempe quæcunque in cauſa pudicitiæ innocens fœmina probatur; animo etiam probatur innoxia; vt nec homicidia faciat, nec intendat. Quis vnquam vlla vidit ob fœminarum cauſam homicidia; quæ ob aliam ſint cauſam, niſi ob cauſam luxuriæ, perpetrata? *Multi perierunt, & ingulati ſunt, & peccauerunt propter mulieres.* A quo periculo ſatis profecto tuta eſt fœmina illa, quæ à periculo eſt remota libidinis. Meritò ad ſignificandam vtrámque & animi, & carnis innocentiam, requiritur vitula, quæ nec traxerit iugum, nec terram vomere diffiderit, quoniam quæ

3. Eſdr. 4. 27

nunquam incubuit libidini, ea quidem nec cornupeta est, cùm sit cornibus adhuc destituta. Est igitur innocens vitula plenum probandæ innocentiæ instrumentum.

Conceptio B. Virginis ostenditur pura per comparationes ad vitulam, cuius pellis aptissimum est folium ad scribendum.

Adest nobis hodie perspicienda in cunctis libri huius folijs integerrima B. Virg. Deiparæ innocentia, qua ab omni penitus peccato, originali etiam, fuit aliena: quodnam idoneum magis, ad probationem hanc examinandam, instrumentum intuebimur, quàm datam à Deo, pro innocentia probanda, vitulam innoxiam? Aureus in præcedente concione materia fuit vitulus; congruit igitur, vt naturalis, non fictilis vitula, sit materia præsentis. Folia libri perspicienda sunt hodie: quænam, nisi vitulinæ pellis folia? In nullis quippe alijs congruè imprimi potuit viuum Dei Verbum. In varijs diuersi generis folijs potest quidem scribi verbum translatitium: in petra, in plumbo, in lamina, in arborum folijs, in corticibus, in linteo, in tabula, & in charta: at ipsummet viuum Dei Verbum, quod Deus ipse est, in nullo istorum folio scribi potest. Viuum namque verbum in viuentis membrana scribendum est, aut imprimendum: reliqua folia inepta sunt prorsus. Sunt enim duo dumtaxat loca, in quibus viuum verbum esse potest, alter locus est ille, in quo exprimitur, in quo imprimitur alter. Iuxta hæc, locus verbi Dei, in quo substantialiter exprimitur semper, est Dei ipsius mens, seu intellectus: *In principio erat Verbum; & Verbum erat apud Deum.* Illic diuini Verbi locus est proprius; eo quòd Verbi perfectio in expressione, quàm in impressione sit maior. Expressum enim verbum perfecta est rei, quam representat, similitudo; ac consequenter. *Solus Christus* (vt Ambrosius ait) *est plena imago Dei, propter expressam in se paternæ claritudinis vnitatem.* Et nos ad significandam perfectam verborum claritatem, passim dicimus; expressa sunt verba. Locus autē in quo, inquam, in folio impressum est ipsummet Dei Verbum *Patris*, viscera matris sunt, in quibus, *Verbum caro factum est.* Cùm ergo verbi folia sint viscera; animatæ rei folia esse consequitur. Quænam; nisi folia vitellina? Hęc rei animatæ sunt pelles: folia cętera, non itē. Quòd si alijs in folijs, quæ non viuentis rei sunt, imprimeretur Dei Verbum: tunc profectò Verbum non fieret

Verbum diuinum impressum & expressum.

Verbum diuinum imago Dei expressa.

Vitulina folia viscera Deipara.

Verbum diuinum scriptum in visceribus Virginis tanquā in foliis vitellinis.

Ioan. 1. 1.

Ambr. lib. 10 in Lucā

Ioan. 1, 14.

caro; nec esset viuens ipsum, substantialéque Verbum; sed illud, quod in biblijs adspicimus scriptum. Est viuens, ac viuum Verbum hoc: imo est vita ipsa; nam *In ipso erat vita*: Matt. 1. 16. sunt & folia viscera *Mariæ; de qua natus est Iesus*: folia igitur animatæ rei, atque viuentis. Huius generis folia, & pergamena agnosco, & vitellina; præterea nulla. Ex quibus prima illa crassa sunt, dura, asperiora; & quæ nõ penetrantur attramento; atque ita, facilè oblitterantur scripta: multóque minùs impressioni sunt apta; cùm nec preli tortura molliantur. Restat ex viuentium membranis aptissimæ sola excussioni vitella; quæ mollis valde, ac suauis est pellis; quæ concinnè formatas recipit litteras: quæ attramentum imbibit, ne vel excussæ litteræ, vel scriptæ, vnquam eradi possint, aut deleri. Quis autem mortalium potest ambigere, ea Dominum Deum ad Verbi sui vnici impressionem elegisse folia, quæ in orbe vniuerso idonea præ cæteris inueniuntur, leuiora, candidiora, puriora? Talia sunt folia vitellina. Sunt lenia, sunt læuia, sunt suauia, sunt candida: sunt pura à pilis, festucis, tumoribus, maculis: sunt, quæ vnicè exquiruntur à scriptoribus, ad literas quasque maioris momenti scribendas: eas præsertim, quas variegato pigmentis scribunt auro. Quantò altioribus gradibus conuenire putandæ sunt in viscеribus Virginis omnes istæ vitellinorum perfectiones foliorum, cùm in illis impressum sit vnicum Dei Verbum, Deus ipse? Vniuersi vbique fideles magna animi voluptate, ac exultatione confitentur, Virginea hæc Deiparæ viscera folia esse purissima, lenissima, suauia, candida, immaculata; omnisque sordis penitus expertia. Ergo viscera hæc folijs repræsentantur vitellinis. Ergo & Virginem ipsam, in cuius viscеribus scriptum est Verbum, ipsamet vitella repræsentat. Quod si ita est; probatióque innocentiæ proponitur vitula: quantò innocentior probabitur diuina hæc vitula nostra? vt nunquam ab innocentiæ statu deciderit: nunquam iugum traxerit peccati: nunquam sciderit terram, quæ tribulos nouit germinare: & absque aratro, vomere, ac cultu fructum germinarit salutarem?

Efficax in quibusuis rebus probatio à duobus petitur extremis; à causis nimirum, & effectibus. Ex quibus causa materialis

materialis ad sequentem sermonem spectat; superflua esset quoad formalem causam probatio; cum verbum ipsum sit formalis hæc causa: *Quod cum in forma Dei esset*; impressum est in visceribus Virginis, *formam serui accipiens.* Philip. 2. 6. Restat finalis causa excussionis, à qua refulgeat probatio.

Scriptores quiq; ea exquirunt, ad scribendum, genera foliorum, quæ aptiora sunt rebus scribendis.

Quisquis verba scribere magni intendit momenti; illius exquirit folia materiæ, quæ scribendis rebus magis est congrua, magis idonea, magis apta. Egressus Iacob de domo patris sui, pera, ac lecto destitutus; cum nocturno somno premeretur in via, nuda iacens in terra, durum pro puluinari capiti suo lapidem supposuit. Ibi profunda dormiens quiete, vidit scalam stantem super terram, cuius summitas pertangebat cœlum: Angelos quoque descendentes ea, & ascendentes. Sed & ipsum Angelorum Dominum scalæ innixum, sibique dicentem verba ista. *Benedicentur in te & in semine tuo cuncta tribus terræ; & ero custos tuus, quocunque perrexeris. Terram, in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo: dilataberis ad Orientem, & Occidentem, & Septentrionem, & Meridiem.* Optauit tunc Iacob vehementi (vt par erat) desiderio, monumentum aliquod excudere, quo tam dignam memoria reuelationem, tam magnificum Dei beneficium, tam proficuam cunctis pollicitationem mortalibus, perpetuo legendam conseruaret. Sed quæ folia? quam laminam? quam, ad scribendum, tabulam elegit? *Tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo; & erexit in titulum, fundens oleum desuper.* Gen. 28. 18. Cur lapidem tulit pro membrana asperum, impolitum, nec lęuigatum; nec in figuram tabulę fectum, nec dolatum? Cur nullas in eo sculpsit litteras; nec vllo eas scripsit attramento; sed solum pro atramento adhibuit oleum? Nouit Iacob, quod debuit facere; & quod nouit debitum, effecit. Mens eius hęc vnica fuit; orbi vniuerso per secula omnia memoriale relinquere monumentum, indicans, eo se tempore ad supremam à Deo euectum dignitatem, quo in egestate inuentus est tanta, vt nihil haberet sub cœlum, nisi paruum olei cornu: cùm pro puluinari supposuerit lapidem. Quę efformatę in lamina litteræ adeo explicitè ponderare possent summam, qua tunc rerum omnium erat destitutus, indigentiam, ac delibutus oleo lapis, quem quicunque

Iacob qua ratione mortem, ad erigendum pro summo Dei beneficio monimentũ lapidem delibutum oleo elegerit.

Titulum accepti à Deo beneficij memorialem cur lapidem oleo delibutum erexerit Iacob.

viderent, viri paupertatem intelligerent extremam? Aliter Iob: qui ardenti clamabat desiderio: *Quis mihi det, vt exarentur sermones mei in libro stylo ferreo; & plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice?* Curnam tanta foliorum firmitas? Cur tam firmo efformatæ litteræ stylo? Quærit folia Iob rei idonea scribendæ. Erat eius mens, vt verba sua in extremum vsque iudicij diem asseruarentur, vt vera in die illa comprobaret; eò quòd dicta eius non erant adimplenda ante diem illum. Erant etenim verba generalem hominum resurrectionem Prophetali Spiritu affirmãtia; quam ante diem vltimum nemo visurus est. Hanc ipse statim reddit rationem expetitæ à se, ad sculpendas litteras, laminæ, vel silicis. *Scio enim, quòd redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum; & rursus circundabor pelle mea: & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum.* O quis daret mihi, vt permanentes vsque in diem illum scriberem litteras, permanentia verba hæc, quæ vobis loquor; vt ea tunc vera nosceretis! Quin & Deus ipse, vt apta scribendę legi eligeret folia, lapideas iussit tabulas fieri. *Præcide, ait, tibi duas tabulas lapideas; & scribam super eas.* Cur lapideas? Erat scribenda in eis grauis, ac dura lex, quam vocauit Petrus, *Iugum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus*: & ideo scripsit eam Deus in lapidibus grauibus, ac duris, eiusdem legis duritiæ, ac oneri conformibus. E contrario, quoniam erat oppositus finis, iussit Ezechieli; *Sume tibi laterem, & scribes in eo ciuitatem Ierusalem.* Num absque mysterio scribi in latere ciuitas præcipitur? Cur tam sumptuosa ciuitas in exiguo latere scribatur? Consequens est scripturæ huius causa cæteras illas, quas narrauimus: vt rei videlicet scribendæ tabula, in qua scribetur, conformis sit. Intendebat Deus, scriptura illa significare, rituram quàm cito ciuitatem; cuius ruinæ certum erat signum, quòd in luteo esset descripta latere, qui labilis est, breuique dissoluitur. Quam ipsemet Deus certam huiusmodi scripturæ causam assignat, continuo subdens: *Signum est domui Israel.* Cum igitur scriptoribus cunctis, ipsique cum primis Domino Deo vsitatum sit, vt ea quisque ad scribendum, quærat folia, quæ scribendis rebus consentanea sint magis: quis ambigere poterit, ad

Iob. 19. 23.

Iob. 19. 25.

Exod. 34. 1.

Act. 15. 10.

Ezech. 4. 1.

Ezech. 4. 3.

Resurrectionis generalis prophetalem prædicationem optabat Iob in lamina scribi; vt ad ipsum vsque resurrectionis diem asseruatam, veram tunc ostenderet.

Lex vetus cur in lapidibus scripta?

Later cur assumptus ab Ezechiele, ad scribendam in eo ciuitatem.

Ierusalem cur in luteo latere ab Ezechiele descripta?

hanc ſubſtantialis Verbi Dei, quæ ſummæ eſt maieſtatis, impreſſionem, ea à Deo ipſo folia facta, quæ ſummè pura, quæ ſummè candida, quæ ſummè à maculis eſſe poſſunt aliena? Cur ad ſolam vnici Verbi ſui impreſſionem contemneret Deus obſeruantiſſimum hunc cunctis, & ſibi ipſi ſcriptoribus vſum? Non ſunt vtique folia hæc, ſicut prædictus iſte Ezechielis later: cum certa iſte ſignificatio fuerit ruinæ populi, in eo latere deſcripti: præcelſa autem Verbi diuini in Mariæ viſceribus impreſſio inſtantem iam ſignificabat Iſraëlitici populi, non euerſionem, ſed reparationem, non temporalem, ſed æternam; non ſolius Ieroſolymæ, ſed omnium vbique populorum. Non vt lapideæ tabulæ, quæ onera grauia, aſperámque ſignificabant duritatem; imo per oppoſitum, ad exgrauandos, eximendóſque populos oneribus ſuis, quæ excluſit noua hæc lex ſcripta in libro iſto, cuius Mariæ viſcera ſunt folia. Id quod ipſemet Apoſtolus Petrus notum fieri intendit, cum antiquæ legis pondus dixit importabile ſubdens protinus: *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum? Sed per gratiam Domini Ieſu Chriſti credimus ſaluari.* Act. 15. 10. Non ſicut ſilex, plumbum, aut lamina, quam optabat Iob, ad verborum ſuorum deſcriptionem, quam ad extremum vſque diem expetebat permanſuram: imo vitellina, ac tenera folia, in quibus ſemel facta Verbi vnici impreſſio, per totam ſine fine æternitatem permanebit. Nec vt primus ille lapis Iacob; quoniam ille quidem ſymbolum erat imprimendi, poſt duo annorum millia, diuini Verbi in his Mariæ folijs; in quibus effectu ſcriptum eſt ante annum quartum decimum à die, in quo folia hæc viſcerina in viſceribus Annæ facta ſunt. Omne igitur foliorum, laminarúmque genus, genúſque tabularum, atque lapidum viſcerina hæc libri noſtri folia infinito tranſcendunt exceſſu, æternitate, puritate.

Maria viſcera folia ſunt, in quibus inſtans iam vniuerſi reparatio ſcripta diuinitus fuit.

Maria liber, in quo ſuauis lex ſcripta eſt.

Quod ſi ex fine iſto, quòd ſcilicet ſcribendum verbum, viuum ſit conſequenter elicitur, folia rei viuentis impreſſioni requiri: eâdem profecto conſequentiâ deducitur, puriſſima item exigi folia; cum Verbum iſtud non ſit minùs purum, quàm viuum; nec de ſumma minùs puritate, quàm de ſumma vita glorietur. Quod merito magnus no-

tauit Albertus dignis, quæ B. Antoninus retulerit, verbis: *In B. Virgine, respectu purarum creaturarum, fuit gratia in summo: ergo appropinquatio ad Deum in summo: ac proinde puritas in summo.* Ideſt, puritas, qua nulla maior eſſe poteſt. At certe ſi concepta eſſet in peccato, non eſſet eius puritas in ſummo; cùm alia maior eſſe poſſet: illa nimirum, quam ne originalis quidem infectio tetigiſſet: vt verè Mariam minimè tetigit.

Alber mag. de insigni purit. B. Virginis. Antonin. 4 p tit. 15. cap. 20. 8. 7.

Nondum voluendum eſt folium ab hac, quæ ex parte cauſæ finalis eſt incepta probatio; donec duobus denuo fundamentis comprobetur. Alterum eſt exquiſita illa, qua nobiles viri ſollicitudine quærunt, quam meliorem in vrbe ſciunt vendi chartam, ſeu membranam vitellinam, quum nobilitatis, immunitatiſque proprij probationem plenam, Regiumvè teſtimonium, ac ſententiam ſcribere intendunt, ſeu imprimere. Quid, ſi is, qui propriæ nobilitatis librum eſt ſcripturus, Rex ipſe ſit, aut imperator? Foret ne decens, ſi Cæſareæ miniſtri maieſtatis miniſtrarent ei, ad huiuſmodi librum ſcribendum, chartam ſubnigram, aut aliam quamlibet parum albam membranam? Si duram, aſperam, aut craſſam? Si eam, in qua vel tenuiſſimum viderent pilum, maculam, ſordes, aut tumorem? Quid de membrana, in quam nigra cecidit atramenti litura? Adeóne inops Rex, vt optima ei deſit charta? Adeo deſtituta optimis, ad ſcribendum, membranis Regia ciuitas? Quanto minus decens foret, ſi Regum Rex, cœli, terræque Dominus, opibus diues infinitis, ſubnigram, aut quauis macula infectam ſumeret membranam, ad ſcribendum vnicum ſuæ Librum generationis, ſuæ nobilitatis, maieſtatis, celſitudinis? Præſertim, cùm ſcriptura hæc, ſeu hæc impreſſio, non ſolũ ſit nobilitatis ſuæ teſtimonij ſcriptio, vel impreſſio; ſed impreſſio ipſa ipſa ſit generatio; cùm Dei Verbum in membrana, hac noua generatione factum ſit caro? Decetne exiſtimare, maculatam Deum ſumpſiſſe membranam, ad talem Verbi ſui, & generationem, & ſcriptionem? Ad editionem nouam Verbi ſui: Ad gloriam ſuam Angelis oſtentandam, & hominibus? Ad ſummam placiti ſui cauſam perficiendam: ſubnigram, ad hoc, ſumeret membranam? Membranam aſperam ſcri-

bendo? Membranam, in qua, vel pilum videret, vel festucam? Membranam tetra infectam macula impuri originalis? Deeratne supremo Regi alba membrana, ac sine macula; plenaue potestas faciendi membranam niue candidiorem, alienam à sordibus, pilo, macula, festuca? Qua (rogo) via, qua ratione, quo fine persuadebit quispiam auditoribus, maculatam Deum ad librum hunc accepisse membranam; cum posset candidam, & puram? Vnam illam video à venerandis oppositæ opinionis doctoribus causam exhiberi: quòd, scilicet, maior Deo gloria concilietur in purificanda à peccato genitrice adeo perfectè, ac si nunquam fuisset maculata; quàm si à primo eam omnino puram formauisset instanti? At non video, quo fine voluerit Deus, vti ingeniosa hac industriæ suæ in expungenda macula ostensione, ad scribendum verbum suum. Nec scio, Regum terræ aliquem voluisse ingenij sui ostentationem facere in eo, quòd lituram expunxerit à charta, in qua suam erat genealogiam, aut facta sua descripturus. Vtique inde laudari semper audiui vniuersalem hunc vniuersalis machinæ autorem, quòd prima impositione manus suæ omnem cælorum concentum nullo fecerit puncto discrepantem, vt postea corrigeret errorem. Nec res dubium capit. Quod enim apprimè miramur omnes, illud profecto est, quod minimè tentans, aut experiens prima perfectum orbem condiderit manu. Hoc potissimum est, in quo, *Cæli enarrant gloriam Dei*: non in eo, quòd cœlestes aliquos errores emendauerit. Apagesis. Planè nec in cœlis suis, nec in sua, quæ potisimum cœlum suum est, genitrice tale ostentandi gloriam suam Deo arridet genus. *Quid ergo vitij in eius mente, vel corpore vendicare sibi potuit locum; quæ ad instar cæli, plenitudinis totius diuinitatis meruit esse sacrarium?* Ait Petrus Damian.

Conceptionis Mariæ præseruatio gloriæ Christo fuit maiori, quàm si lapsam redimeret.

Maria cœlũ Dei.

Pſal. 18. a.

Petrus Damian. serm. 3. de Natiu. Mariæ.

Accedit; quòd originale peccatum non est modica hominis litura, non exigua macula; sed qua remanet homo tanquam penetrata salsis aquis charta, eo quòd in peccati ceciderit abyssum. Quis nam fuit miser ille primorum lapsus parentum? Similis profectò casui illorum, qui in mare prolapsi madefiunt. Cum salsuginosam nos videmus terram, ac promde in fructiferam, ac sterilem; eam aliquan-

Simile. Peccatum originale salsugo terræ, exinundante mari relicta.

do exuberanti mari inundatam fuisse iudicamus: quid iudicare possumus de homine, terra, ad maturos virtutum fructus producendos, valde difficili? Nonne dicemus, eum plenum salsugine, certa reliquia inundationis illius, qua procax Adami exuberantia vniuersam humani cordis terram, ne eos ferret fructus, arefecit? *Maledictus homo,* Ierem. 17. *qui recedit à Domino: habitabit in siccitate, in deserto, in terra salsuginis, & inhabitabili.* Quonam intuitu ad originalis maculæ ablutionem adhibetur baptismus? Idem certè intuitus est, quo vos madidas salsa maris aqua vestes, ac merces, dulci abluitis aqua, ne putrescant. Qua ablutione anima (fateor) purificata manet à peccati sordibus quibuslibet; tamen ad scribendas in ea virtutes, operáque depingenda, non secùs lenta manet, & laxa, ac charta post salsæ aquæ penetrationem abluta. Cur ergo Virginem illam, ex qua ad scribendum Verbum suum aptam Deus membranam expectabat, in huiusmodi sineret salsam cadere aquam, in terræ foueis à generali illa inundatione relictam? Nunquid vt baptismali ablueret aqua? Absit. Nemo vnus vnquam auditus est dicere, baptismali aqua purificatam Virginem Deiparam. Qui enim cum Euthymio baptizatam opinantur, non inde colligunt, quòd nulla eguerit ablutione; sed quòd generalem voluerit implere legem, gratiæq; augmentum adipisci. Nam puram à peccato ex matris vtero natam concedunt omnes: nec à quopiam licet dubitari.

Baptismus aqua dulcis est, qua vestes salsa maris aqua madefactæ, abluuntur.

Euth. in 3. cap. Ioan. Sotus in 4. dist. 5 q. vnica. art. 3.

Maria cur baptismate abluta.

Ad alium iam ex propositis duobus fundamentis voluendum est folium. Primum, hucusque explicitum, fuit nobilium hominum cura exquirendi optimam chartam, aut vitellinam aliquam membranam, ad scribendum generationis, nobilitatisque suæ testimonium: secundum autem, quod iam aggredior, est eadem, aut maior sollicitudo considerata in librorum scriptoribus. Nouerint circunstantes, scriptori cuique propriorum conceptuum librum in lucem edere intendenti adeò intensam esse quærendi chartas optimas curam, vt non solum totam percurrat vrbem, optimum, ad typos, chartæ genus, quęritans; sed ad præuiam etiam originalis scriptionem libelli propria scribendi manu, tradendique tandem antiquario. Fert

Simile.

enim ægrè nimis libri autor, suos in obscuris foliis scriptos videre conceptus. Addo insuper id, quod fortè videbitur nimium, sed dubio procul verum est prorsus; sollicitum hoc exquirendi chartam optimam studium extendi etiam ad chartam illam, in qua primæuam scribit autor compositionem; qui & curat, quoad potest, ne vlla in eam cadat litura; dóletque non modicè, si cadat. Impertinens sanè, & vacua fine videtur sollicitudo; cùm libellus ille originalis à nemine sit, præter autorem ipsum, vsquam videndus. At certè tantus est amor videndi glorioſos, ac lucidos proprios conceptus, & labores, vt minimè patiatur autor vel sibi soli minùs concinnos repræsentari, minùs lucidos. Quidnam est Verbum hoc, in Mariæ viscéribus impressum? Nonne Dei conceptus? Imo vnicus Dei conceptus, qui vniuersos Dei conceptus includit. Qualem ergo supremus iste libri autor existimandus est, quæsiuisse membranam ad huius conceptus sui vnici impressionem? Quam (rogo) purus est locus ille, in quo primitùs est expressum verbum istud? Ipsum pectus es Patris. Qualem ergo decuit esse membranã, in qua impressum est editione secunda? Si autor quisque vniuersas sui libri translationes in optima curat scribi mẽbrana; quid de editione ista dicem⁹? Quid de mẽbrana hac, in qua suũ Deus conceptũ impressit, vniuerso orbi perlegendũ, glorificandum, exaudiendũ? An contentus esse iudicabitur illa mẽbranæ puritate, qua impressionis tẽpore, Incarnationis scilicet candebat? Nõne & ab eo instanti, in quo impressionẽ hanc faciendã decreuit, purissimam existimandus est membranam parauisse? Profecto si conceptiones Mariæ fuissent mille, millies præparauisset puram omnino in eius vtero membranam; vt prioris conceptionis puritas præparatio esset ad sequentem: non secus ac libri autor quærit optimam chartam ad scribendum id, quod in alia transcribendum est, & inde in alian typis traducendum? Quis credat supremum Imperatorem, autorem libri huius, in membrana hac ad vnicum suæ, & prosapiæ, & mentalis conceptionis librum custodienda minus prouidum fuisse, quàm magnum illum Imperatorem Cæsarem Iulium, in seruando libro, non quidem suæ genealogiæ, sed suorum conceptuum, quos scri-

Iulij Cæsaris insigne factum seruãdi ab aquis librum, dum nans in mari librum elata ferret manu.

pserat in libro illo, quod nomine suo edidit in lucem? Præsertim cùm ille magno nimis labore seruauerit, nullo Deus labore, nec impensa. Certa historia est, quam inter alios scribit Tranquillus Suetonius. Etenim validissimus ille Romanus Imperator in quadam oppugnatione pontis apud Alexandriam, irruentibus subito turmatim hostibus, multisque vtrinque è ponte cadentibus, cùm in scapham descendere compulsus, eam apprehendere nequiret, desilijt in mare. Mirabile dictu: cùm per ducentos passus viriliter nans, littus strenuè peteret, librum quem tenebat manu, à læsione omnino liberauit, vna duntaxat enatans manu, elata semper altera, ne liber aquis madefieret. Dignum Iulio Cæsare facinus, & quod summam diuini Regis in Mariæ custodia commendat diligentiam. Nec enim sollicitior in libri sui custodia putandus est Cęsar, quàm diuinus Rex, ne membrana illa, quam ad scribendum conceptum suum elegerat, falsis peccati aquis læderetur.

Sueton. in Iulij Cæsaris vita, ca. 69.

Nec voluere licet folium istud, nisi prius, quæ in ipso sunt, sanctorum Patrum glossas videamus. Non proponam omnes: quoniam quas dicunt illi immaculatæ excellentias conceptionis, folia multa non capiunt. Sufficerint pro folio hoc autoritas primùm sancti Anselmi, cuius ista sunt verba: *Quia decebat, vt illius hominis conceptio de matre purissima fieret: nempe decens erat, vt ea puritate niteret, cui Deus Pater vnicum filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum, tanquam seipsum diligebat, ita dare disponebat, vt naturaliter esset vnus, idemque communis Dei Patris, & Virginis filius.* Plana glossa est. Vnus idem conceptus, verbum vnum simul est in Patris pectore expressum, & in vterinis impressum Virginis membranis, vt puritas horum foliorum paterni pectoris puritati conformis sit, ac consentanea. Deinde glossa B. Laurentij Iustiniani: *Quotquot enim ex ipsa nati sunt progenie, exceptis duntaxat mediatore Dei & hominum homine Christo Iesu, & ipsius matre, sub hac peccati lege sunt conditi.* Remitto cæteras ad eam, quæ super libri textum fiet, concionem.

Anselm. lib. de cõceptu Virginis, c. 18.

Laur. Iust. lib. de casto connubio Verbi, & animæ.

Conceptio Mariæ immaculatalegitur in glossis, libri generationis Iesu Christi, scriptis SS. Patrum manu.

Conceptio Mariæ effectibus ostenditur pura.

Nunc enim folium voluendum est, vt ex effectis cernamus hanc ipsam, quam ex causis perspeximus puritatem.

Nulla

Simile. Nulla certior chartæ probatio, ac ea, quæ litterarum formatione dispicitur. Semel quippe madida membrana, perfectæ litterarum formationis est incapax; quantumcunque vrentibus Solis radijs opponatur exsiccanda. Saltem à tergo

Peccati originalis reliquiæ pessimæ. chartę apparent literæ; nec possunt perfectę vtrinque efformari: quoniam aliæ aliis confunduntur. Talis hominum conditio. Sumus lenti valde, ac contaminati generali illa originalis excidij inundatione, ita vt si quæ virtutum litteræ in aliquo ex nobis perficiantur; mox, cum tergum vertimus (nam *Septies in die cadet iustus*) imbibita nobis imperfectio, à tergo appareat; virtutumque minuat splendorem. Scribit Augustinus, integram ab actuali peccato puritatem certum esse minimè cõtracti originalis indicium. Anima enim peccato illo semel tincta, adeo remissa manet, vt à venialibus saltem nequeat omnino liberari. Quod luculenter notauit Suarez. Voluat nunc iam, qui mihi non assentit, quotquot

Maria in omnibus & verbis, & factis perfectissima. libri huius folia voluere voluerit: Libri (inquam) generationis Iesu Christi, nobis hodie propositi; & libri etiam, qui est ipsa genitrix, & nutrix Christi: si quod in ea penetratæ salsugine animæ deprehendat indicium. Examine hoc vsus S. Bernardus, concedit libenter volenti cuiuis eandem scrutinij facultatẽ. *Reuolue diligentiùs euãgelicæ historiæ seriem vniuersã, & si quid forte increpatorium, si quid durũ, si quod deniq; signum vel tenuis indignationis occurrerit in Maria: de cætero suspectam habeas.* Ergo cũ nullum, vel tenuissimũ indignationis signũ, alius ve defectus inuentus fuerit in Maria: plenissimæ eius à peccato immunitatis indicium est firmũ. Nõ deerũt, qui dicãt, ad deuitandos omnes funditùs defectus, fuisse sufficientem vberrimam illã gratiæ confirmationẽ, qua B. Virgo ex vtero matris fuit imbuta. Quos ego interrogo, quidnã

Simile. agat gratiæ confirmatio? Id quidẽ efficiet erga tinctã peccati salsugine animã, quod agunt radij solis erga madidam chartam. Nam Dei gratia candidissimus est diuini splendor solis. Quis autem vidit exsiccatam huiusmodi radijs solis

Gratia confirmatio non omnino liberat à venialibus culpis. chartam, adeò perfectè siccam, vt litterarum formatione nullatenus diffundatur attramentum? Ad manum sunt in Apostolis Christi experimenta: qui confirmati iam gratia, non omnino immunes ab aliquali culpa sunt inuẽti. Nam eorum Principem Petrum nonnulla culpa, leuissima licet, errasse dixit Paulus, postquam gratiæ confirmatione

Prou. 24. 16

Aug. lib. 50. cõtr. Iulia. cap. 9.

Suar. 3 p. to. 2. disp. 24. sect. 4 §. 5. ex.

Bern. ser. de V. Maria. De verb. Apoc signum magnum.

pollebat vterque. *Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.*

Galat. 2. 11. Suarez vbi supra.

Libet concedere, plus, quàm res postulat. Esto, originale peccatum non totius esset animæ madefactio, sicut tota aquis charta penetratur, sed esset parua macula, seu litura: numquid effectus eius confirmata gratia impediretur? Vtique quantumcumque subtiliter expungatur nigra, quæ in chartam incedit, litura: minimè potest perfecta ibi litera formari. Plus vltra. Cum scribendi exercitationi operam damus, sæpe in chartas incidimus exiguis maculis infectas, quasi ex crasso adipe, aut abdomine: quas cum offendit calamus, nequaquam potest litteras scribere perfectas non solum super labeculas ipsas, sed ne in reliquo quidem chartæ spatio; propterea quòd maculæ crassitudinem contraxerit calamus, qua impinguatus, vix litteras iam formare potest; nisi parùm tinctas, ac porosas. Heu miseros nos? Quales mansimus ex originalis labe peccati? Quas in nobis virtutes scribimus? quos virtutum actus operamur? quæ edimus opera iustitiæ? quæ omni ex parte perfecta sint, & efformata: & non potius leuissimè tincta, multis plena poris, ac corrosa? Hic obijci nobis rursus potest diuinę gratiæ confirmatio; qua qui prædíti sunt exactissimas prorsus virtutes perficiunt, absque vllo peccati originalis indicio: tametsi in rara aliqua alias venialia proruant peccata. Ita quidem est: tamen idem similiter in maculata charta contingit. Nam nimio manus, & calami nixu, ac intensione, perfectæ sic infecto calamo literæ scribi possunt: perfecta item in huiusmodi confirmatis gratia animabus opera virtutum nimio labore, nixu, ac carnis cruciatu: tamen facilis, suauis, ac velox cursus pugillaris sicut in charta est impossibilis. cùm calamus sic incrassatus est, semelque crassam impegit in maculã; ita in hominis anima, postquam originalem maculam contraxit. Perfectissima erant Apostolorum opera, postquam confirmati sunt gratia; at certe non parùm laborabant, sudabantque in difficultatibus carnis, & mundi, superandis. Sunt expressi textus. Primus ex verbis Pauli ad Rom. *Conde lector enim legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in*

Simile.

Gratia confirmatio non delet omnem in operibus bonis difficultatem: sed vincit.

Confirmata hominis in gratia non eximit eum à contradictione in operibus bonis, sed corroborat, vt vincat.

Rom. 7. 22.

membris meis. Infœlix ego homo. Tantane ad bonum repugnantia? Tanta. Quid ergo confirmata præstabat gratia? Validum ad vincendum robur, ac vigorem. Ipse Paulus explicuit. *Infœlix ego homo: quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum.* Quo afflictum Deus consolabatur Apostolum, vt scripsit ipse his ad Corinthios verbis: *Datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogaui, vt discederet à me, & dixit mihi, sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.* Ecce, confirmatus gratia Apostolus importunis valdè graditur obstaculis: vocaturque infirmus ad velocem cælestis viæ cursum. Sola purissima hæc Domina nostra per suauissimam pellis suæ membranam agilem penitus mouebat pugillarem, mirificas virtutum litteras efformans, nulla carnis suæ, nulla appetitus, nulla aduersæ inclinationis resistentia; nullo impedimento, desidia nulla, nec grauedine. Verba sunt ista Cypriani: *Legem mentis lex carnis non infestabat: rebellio nulla quietem spiritus affligebat.* Ecce, quæ carnis lex summè infestabat Paulum, nullatenus Virginem tangebat: nec vllam Virgo in percurrendo virtutum stadio difficultatem sensit, aut renisum. Non ergo ex confirmata post originale peccatum gratia facilitas ista procedebat: sed ex gratia ante vllum peccatum infusa.

Conceptionis Mariæ puritas ita probatur ab effectibus, vt huiusmodi effectus à cõfirmata post peccatũ gratia minimè prouenire videantur.

2. Cor. 12. 7

Maria operabatur bonum absque vlla repugnantia, nec difficultate appetitus & carnis.

Cyprina. in serm. de natiuit. Christi.

Gratia confirmatio non delet omnem in operibus bonis difficultatem: sed vincit.

Folium iam voluendum est vltimum. In quo vniuersalem hunc interpretabimur applausum, quo totus mundus nostris surgit diebus, ad prædicandam, magnificandam, defendendam, emisso de perpetua defensione voto propugnandam, exquisitis tum Ecclesiasticis festis, tum popularibus exultationibus, ac ludis celebrandam, purissimam hanc Mariæ nostræ Conceptionem. Tantus enim, tamque vniuersalis omnium applausus populorum eodem vbique tempore exortus, certa profecto Dei aspiratio est, influxus cœli indubitabilis. Huius cum genuinam mihi visus sum interpretationem inuenisse: grandem (fateor) thesaurum, summam me nactum auri copiam putaui, qua proposita hæc libri nostri folia deaurentur. Hæc igitur est interpretatio. Vidit Dominus Deus omnem, quæ circa matrem suam est inter fideles, controuersiam circa vnum dumtaxat instans temporis versari. De nulla quippe alia ad Deiparam Virgi-

Conceptio Deiparæ Virginis quonã cœli influxu tanto diebus nostris apparatu, & applausu celebrata.

Confirmatio hominis in gratia non eximit eum à contradictione in operibus bonis, sed corroborat, vt vincat & emendat.

nem pertinente re est inter Catholicos dissidium, præter vnum illud instans, in quo in Annæ vtero concepta est; fuerit ne in illo instanti gratia, aut peccatum in Maria. Ait ergo Dominus Deus: ita ne verò! Nunc in dubium vertitis, an ego, qui totum vitæ suæ tempus matri meæ dedi gratia plenum vberrima, primum ei instans detraxerim, vt in illo esset miserè mancipium? Expectate paulisper. Omnia quidem tempus habent, quod nullatenus poterunt prætergredi: sola conceptio hæc nullis temporum præscribetur limitibus, sed in omni tempore, & in omni alacriter celebrabitur loco. Omnia tempus habent designatum; etiam natiuitas mea; etiã resurrectio; etiã ipsius matris meæ natiuitas, & lætissima in cœlos trãsmigratio. Proprius est cuiuis festo dies solẽnis, & cùm plures, octauariæ hebdomadæ dies: sola conceptio hæc quouis anni tẽpore celebretur, magnificetur, exaltetur.

Conceptio Mariæ cur celebretur quouis anni tempore extra propriam Conceptionis diem, & octauam.

Eccl. 3. 1. *Omnia tempus habent: tempus flendi, & tempus ridendi: tempus tacendi, & tempus loquendi.* In sola conceptione hac nullum sit temporum discrimen. Non discrimen temporis ridendi, & flendi temporis; sicut in reliquis Adæ filijs, qui propter peccatum nascimur plorantes; infusa gratia collætamur. Non discrimen temporis loquendi, & temporis tacendi. Totum anni tempus, tempus celebrãdæ Conceptionis; totum erit loquendi; tacendi Conceptionem tempus nullum. Totum tempus ridendi; totum psallendi; totum exultandi; nullum flendi tempus; cum in Mariæ tempore nullum macula infectum caligauerit instans. Omne tempus erit tempus loquendi cum exultatione Theologis, Prædicatoribus, Iurisconsultis, Chronographis, Oratoribus, Poëtis. Totum anni tempus, tempus Conceptionis Ecclesijs Cathedralibus, Collegialibus, Paroecijs, Religionibus, confraternitatibus; congregationibus, & cuiuslibet officij Conuentibus. Omne tempus conceptionis huius proprium est tempus: primum ver, autumnus, æstas, & hyems. Nullum diluculi sit discrimen, & noctis omnia erunt aurora, omnia claritas. Noctes honestis ludis iucundabuntur; dies sacramentorum frequentatione, processionibus, concionibus. Nullum sit temporum discrimen diuersarum hominibus nationum; non Ethiopibus, & Italis; non germanis, & Gallis: non Hispanis, & Indis: non adultis, & pueris; non mu-

lieribus, & viris. Cum ergo tam munificus, tam liberalis, tam iucundus concedat Deus tempora omnia celebrandæ illi primæ, in qua mater eius concepta fuit, gratiæ: quisnam suspicabitur, negatagathâ illi instanti primo vberrimam hanc gratiam, quam adeò alacriter celebrari velle videtur Dominus hic, qui ad eam celebrandam, tam vniuersalem infundit affectum? Sic sic? ait Dominus. Siccine diffidetis, fuerimne ego minùs liberalis in concedendo matri meæ gratia plenum primum instans eius? Ecce omne ei consecro tempus: vt meum erga eam amorem, meam curam agnoscatis. Nullum ergo sit temporum, nullum discrimen personarum, quoad iucundam hanc, placitam semper mihi celebritatem. Nullum discrimen foliorum, vt à malo folium voluatur in bonum: sed à virtute in virtutem; à gratia Virginis Conceptæ, ad gratiam Virginis Deum concipientis. A virtute in virtutem: à gratia in gratiam; & à gratia in gloriam, æterna consummatam beatitudine.

IN EADEM IMMACVLATA B. VIRGINIS CONCEPTIONE.

SERMO III.

De pigmentis, quibus scriptus est Liber generationis Iesu Christi.

Matth. 1. 1. *Liber generationis Iesu Christi Filij Dauid, &c.*

Conceptio B. V. purissimæ absque sanguinis facibus, ad scribendum Dei Verbum præparauit.

PERSPECTIS iam in præcedente concione purissimis propositi Dominicæ generationis libri membranis, in quibus scriptum est diuinum Verbum; contingunt consequenter prædicationem hodiernam elegantissima illa, quibus scriptæ sunt litteræ, pigmenta; quod in aliis libris nigrum fere semper esse solet atramentum. Est, scio, in libris aliquot pro atramento aurum, quo literæ scribuntur varijs pigmentis exornatæ: at cum purissima Deiparæ viscera idoneas huius libri membranas esse dixerimus, scriptúmque verbum non aliud, quàm substantiale ipsum Dei Verbum: consequens est, nullum aliud scripturæ huius esse atramentum, pigmentum nullum, præter roseum eiusdem Virginis sanguinem, pretiosissimo gratiæ auro diuinitùs intermisto. Etenim verbum hoc scriptum est in pectore Patris solo auro diuino, & eo quidem adeo pretioso, vt dicat Apostolus: *In quo omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ sunt abscónditi.* Quam idoneum, ad diuini Verbi scriptionem, aurum sapientiæ! Imo ipsum verbum aurum est: omnes simul diuitiæ; bona omnia. Quod si

Verbum diuinum aurũ est.

Coloss. 2. 3.

Aurum symbolum gratiæ.

aurum est verbum: quonam decuit ex originali in Virgineas membranas atramento transcribi, seu pigmẽto, præter vnũ istud sacrosanctum eiusdem Virginis sanguinem, purissimo gratiæ auro contextum? Auro enim gratiam designari, dixerunt Athanasius, Cyril. Euthy. Beda. Cassiod.

Gratia auro designatur.

Atha. in Ps. 44. 10. Cyril. de adora. in spiritu. Euthy. Psal. 44 10. Beda ibid. Cassiod. ibi.

Aurum trib. constat qualitatibus. Gratiæ species tres, tribus auri excellentijs designatæ.

Ex quo fit, aurum istud non modo litteris ipsis esse concinnum; verum oculis etiam hominum, eas piè, ac fideliter legentium. Est vniformis adeò inter aurum, & gratiam similitudo; vt cum tribus aurum polleat qualitatibus; totidem gratiæ species sint, his qualitatibus affines. Prima auri qualitas splendor est, pretium secunda, subsequens splendorem: ex qua oritur tertia auri etymologia, qua aurum dicitur ab aura, quæ ipse splendor est; vt tradit etymologiarum scriptor Isidorus: Poëta item modulante.

Discolor inde auri per ramos aura refulsit.

Isid. li. 16. ethimolog. cap. 17. Virgil. lib. 6. Æneid.

Grãtia gratũ faciens aurũ est ob splendorem.

Iuxta primam auri qualitatem, splendorem videlicet ex puritate procedentem, est prima gratiæ species, quæ homines iustificans est, ac Deo consequẽter gratos faciens splendore multo, atque candore. Secunda species, quæ gratia gratis data nuncupatur, qualitatem habet auri secundam, quam pretium dixi, seu valorem. Eò enim gratis dicitur data, quòd omne longè exsuperet pretium, quod creatura quæuis possit impendere. Quo cùm eam emere Simon quidam attentaret, dixit ad eum Simon Petrus; *Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Sed est & gratiæ species tertia, quæ nimirum prosperum est diuini afflatus auxilium, tertiam imitans auri qualitatem, qua aurum deducitur ab aura. Nomen enim aura & ventum significat flantem, & rerum splendidum fulgorem: quorum vtérque gratiæ magis, quàm ipsi est prius auro. Est quippe auxilij gratia infusus menti fulgor humanæ, quo diuinitùs hæc illuminatur, cum flante in cor inspiratione coniunctus mouente illud ad ea opera, quæ illuminatione hac cognoscit iusta, ac expedientia. Et (vt omnia mirificè conueniant) sicut ab aura deducitur aurum: sic gratia quæuis, tam gratum faciens, quàm gratis data, venit à gratia hac, quæ intima, & illuminatio est, & inspiratio. Hac enim disponit hominem Deus, ad gratiæ alterius infusionẽ; illius scilicet, quę eum facit gratum; imo & gratię illius quæ

Acto. 8. 20.

Gratia gratis data aurum est, causa pretij.

Gratia auxilij aurum est ob nitorem, & afflatum.

Auxiliũ diuinum, auro comparatur, propter fulgorem, & afflatum.

Auxilij gratia disponit hominem, ad quamlibet aliam gratiã accipiendã.

gratis est data. Est appositus textus ad Roman. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum.* Quonam modo charitas diffunditur spiritu. Ecce diuinum diffusæ modum charitatis, seu gratiæ. Quemcumque ventus puluerem reperit, diffundit, vt quotidie vbilibet videmus. Spiritus ventus quidem est: hoc enim sonat spiritus nomen; cũ ventus sit veniens spiratio. Notauit S. Aug. dicens: *Spiritus etiam ventus vocatur: vnde scriptum est; Spiritus procellarum, idest, ventus.* Ex quo fit, vt terrestris est in homine spiritus, cum spiritus hic per carnalis currat terram cordis, terreum dumtaxat puluerem diffundat: si est Spiritus Dei, puluerem diffundat auri, gratiam scilicet in corda. Itaque dum impurus in homines afflat spiritus, impij sunt, tamquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ. Dum perflat Dei Spiritus; *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum istum,* qui aurum gratiæ puluerem diffundit in corda. Hæ sunt tres gratiarum species, imitantes auri qualitates.

Gratia Dei aureus puluis sancto in corda spiritu diffusus.

Aug. lib. 1. de sermon. Domini in monte.

Spiritus est ventus.

Psal. 148. 8.

Spiritus sanctus ventus diffundens aureum charitatis puluerem in corda hominum.

Psal. 1. 4.

Charitas aurea puluis sancto in corda spiritu diffusus.

Finis concionis est B. Mariæ nobilissimum sanguinem aurea primæ speciei ornatum gratia à primo Conceptionis instanti; vt ex tunc iam idoneum esset pigmentum, quo Verbum Dei literis rubeis, aureisque scriberetur. Medium autem ad finem hunc est gratia auxilij, quo ad eum perueniat prædicator; mentibus diuino splendore illustratis percipiant auditores, tactis eodem cordibus spiritu. Quæ quidem gratia quoad concionatorem illa quidem est, quam gratis datam in specie secunda constitui. Ab hac auxilij gratia prædicatio pendet instituta, vt ad finem perueniat præstitutũ: at hæc eadẽ auxilii gratia deriuatur à prima; quatenus gratum faciẽte gratia scatens Maria, nobis mediatrix est, cuius interuentu optatã nobis Deus gratiã porrigit auxilij, eãdem Virginẽ salutatione Angelica, in patronã, & matrẽ inuocãtibus.

AVE MARIA.

IN superioribus duobus sermonibus vitulus nobis materia extitit, & vitula. Aureus in primo vitulus: in illo scilicet, qui de venerandis libri huius tabulis differuit: in secundo, qui de eiusdem libri egit membranis, vitula fuit subiectum naturalis. Quid tertio huic sermoni dabitur? Colliget quidẽ hic

hic aurum ex primo; roſeum ex ſecundo vitulę ſanguinem, quo miſtas auro rubeas ſcribat litteras, ſcribendo idoneas viuo Dei verbo, in eiuſdem vitulæ membranis puriſſimis ſcribendo: puriſſimis dico Virginis viſceribus.

Minium aptiſſimum ſcribendis litteris auro contextis.

Ex omnibus, quæ ſuam, litterarijs pigmentis nullum minio, vel ſanguini ſimilius, vel litteris aptius efformandis. Capitur à membrana facilè, & amicè; à vitellina præſertim: cui & ipſum facilè applicatur: eſtque elegantiſſimus litteris color. Habet & hanc ad id muneris vnicè excellentiam, quòd auro aptiſſimè vniatur; vt & aurea ſint verba, & rubicunda. Cui & affinis eſt alia, commendata à Plinio, & nobis etiam nota experimus, quòd in creta generetur argenti, ſeu in argentarijs, nec alibi, metallis: præſertim in viui creta argenti. Diuinum illud, quod in Patris pectore auro ſcriptum eſt Verbum, imo Verbum ipſum, quod ipſum eſt aurum, nemo quidem dubitat, in ea tranſlatione, qua in vitellinis genitricis membranis fuit iterũ ſcriptum, eo ſcriptum fuiſſe pigmento, quod primæuæ ſcriptionis auro condecens eſt, atque concinnum. Talem abſque dubio fuiſſe Virginis ſanguinem, nemo inficias ire cogitauit: quem & habere propria ea, quæ propria ſunt minio, concedent omnes facilè, non ex ea ſolùm parte, qua eſt perfectiſſimum pigmentum; ſed ex ea etiam, qua proprius Chriſti ſanguinis rubeus eſt color ſimilis minio, vt in ſacris innuitur ſcriptis. *Iſta eſt religio victimæ, quam conſtituit Dominus. Præcipe filijs Iſrael, vt adducant ad te vaccam rufam ætatis integræ, in qua nulla ſit macula, nec portauerit iugum. Quia pro peccato vacca combuſta eſt.* Eſt litteralis Chriſti figura: tum quoniam vacca ſine macula; tum quoniam minimè portauerit iugum; proprij nempe criminis, etiamſi alienorũ portauerit peccatorum, pro quorum remiſſione factus eſt igne amoris holocauſtũ, & ex eo etiam, quòd rufus vaccæ color carnem figurarit Saluatoris; vt Auguſtinus intellexit: ſiue quòd, interprete Theodor. rufo colore deſignatur humanitas, propterea quòd ex rufa terra conditus ſit homo. Conſequenter eiuſdem Chriſti genitricem vacca illa deſignabat, cùm carnem ille aſſumpſerit ex matre: qua ratione Mariam vitulam oſtendimus in ſermone præcedente. Ergo Mariæ ſanguis minium eſt purum; ac proinde

Plin. lib. 33. cap. 7. Bermellon ſecria en las piedras de metal de azogue.

Maria ſanguis puriſſimus à Conceptione ſua

Chriſtus rufa vacca figuratus.

Num 19. 2.

Vacca rufa ſymbolum humanæ Chriſti naturæ.

Aug. q. 33. in li Num. Theodor. q. 36. in Nu.

auro associatum, ad Verbi viuentis scriptionem; cùm in pectore Patris auro scriptum sit diuinum hoc Verbum. Quid, quòd verbum hoc non in sola Patris; sed in alia quauis satis docta hominis, aut Angeli mente aureis est scriptum litteris, omnes mundi thesauros excedentibus? Solo verbo hoc, quod Dei est vnica sapientia, ditiorem se agnoscebat Sapiens, quàm reliquo opum, omniumque cumulo bonorum. *Infinitus enim thesaurus est hominibus.* Si hominibus infinitus est; quantus, rogo, erit in originali mente genitoris?

Deus aurũ est increatũ, purissimum, fulgentissimum, pretiosissimum.

Sapientiæ thesaurus infinitum.

Sap. 7. 13.

Inter illas, quæ circa verum Deum discussæ sunt quondam, opiniones non paucas, illa videtur apud plures viguisse nationes, quæ aurum colebat Deum. Omitto barbaras, & hebetes; satis quidem est scire, eos homines, qui lucidiore veri Dei cognitione fuerunt præditi, filios Israelis, vitulum aureum, tanquam vnicum Deum coluisse. Qui & illud non obscurè significarunt; in quacunque aurum sit figura, etiam vili, ac rudi, qualis est vituli: dignum esse adoratione. Adeo vt, cum in perfectioribus formis multis, ac varijs aurum esset formatum apud fœminas, varijs nimirum formis inaurium: in vnam sit redactum vituli formam; quasi dicerent illi; aurum ob sui materiam, pretiúmque naturale; non ob artificiosam formam, esse adorandum. *Fecitque populus, quæ iusserat, deferens inaures ad Aaron: quas cum ille accepisset, formauit opere fusorio; & fecit ex eis vitulum conflatilem: dixerunteque; Hi sunt Dij tui Israel.* Quæ cœcitas nondum à cunctis hominibus est longè: nec similes hodie Israëlitis sunt pauci. Quonam tendit homo ille, qui totum, quod multum habet, aurum seruat informe, aureos lateres; auream massam, puluerem aureum, domi absconsum in capsa, siue in theca: nullum formatum in monilia, pro vxoris, & filiarum ornamento; nullum in vasa pro mensæ, & aulæ seruitio, & elegantia? Imo qui nec format in pauperum victum, nec in vestes: quò in gloriæ coronam formaretur. Quisnam huius hominis est animus? Quæ incantatio? Quis finis? *Est & aliud malum, quod vidi sub sole: & quidem frequens apud homines. Vir, cui dedit Deus diuitias; nec tribuit ei potestatem Deus, vt comedat ex eo. Hoc vanitas, & miseria magna est.* Malum,

Aurũ apud aliquos habitum Deũ.

Exod. 32. 3.

Auaritia omni tempore colit aurum tanquam Deũ.

Eccl 6. 1.

quod vidi sub Sole: nam supra Solem nulla est huiusmodi deceptio. Frequens apud homines, cuius exemplum fuit inter alios plures Patroclus, vt notauit Aristophanes. Quid dicemus de huius generis hominibus? quosnam dicemus homines istos, nisi auri adoratores intentione tanta, vt nolint alia illud esse figuras, præter illam, qua in terra natum est rude? Addit Sapiens difficilia intellectu verba hæc. *Si genuerit quispiam centum liberos, & vixerit multos annos, & anima illius non vtatur bonis substantiæ suæ, sepulturáque careat; de hoc ego pronuntio, quòd melius illo sit abortiuus.* Ait verbis his, miserum hunc hominem nec in vita sua bonis suis frui, nec in morte. Hoc enim dicunt verba hæc; *Anima illius non vtatur bonis suis; sepulturáque careat.* Quænam sepultura? Certum est, nullum ex cadaueribus, quæ in terra sunt, inhumatum relinqui, nisi in rara contingentia. Intendit ergo Salomon dicere, huiusmodi auarum digna opulento homine carere sepultura; quæ pia solet opera includere. Adorat hic aurum adeo impensè, vt optet vehementer, manere illud semper intactum in æternum sub ea, qua est genitum figura: vt cùm corpus suum humetur in terra; in auro sepeliatur anima. Cùm enim animæ omnes iunctæ Deo in perpetuum esse cupiant; ardet anima ista intenso desiderio permanendi iugiter in auro; quod vnicum Deum arbitratur. Imo & corpus, si posset. Non licet silentio prætermitti infidum illud Israelitarum dictum: *Hi sunt Dij tui Israel.* Curnam plures Deos esse dixerunt eum, qui vnus tantùm erat vitulus? Vtique huiusmodi homines aurum solum multos putant Deos; vnius Dei nomen arctum tam magno Deo, titulúmque minutum arbitrati. Satis profectò nouerat pessimæ illius gentis indolem Ieroboam; qui ad firmandum inter eos regnum suum; Deum constituit callidus aurum. Erat Israelitica illa natio in tribus duodecim diuisa, quarũ tribus decem Regio Ieroboanis subdebãtur imperio; duæ sceptro Roboanis, qui Ierosolymis regnabat. Cúmque sacrum Dei templum esset in vrbe illa Ierosolyma, nec aliud præterea in vrbe vlla templum esse liceret; veritus Ieroboam, ne subditi sui ascendentes in templũ, Deum adorare, sensim in Ierosolymis incolæ remanerent; tale quip-

Aristophanes.

Eccl. 6.

Exod. 32.

Aurum ab auaris existimatur nõ solum Deus, sed omnes simul Dij.

Ieroboã curnam aureos fecerit vitulos in Deos.

piam tam perfidus, quàm ſagax commini ſcitur. Aureos (ait) hominibus iſtis Deos faciamus: quos cum apud ſe in vrbibus perſpexerint ſuis, minimè quidem recordabuntur Dei viuentis, vt pro eius adoratione, ac reuerentia, Ieroſolymitanum adeant templum. Sintque Dij iſti vituli forma; vt antiquum hic geramus morem. *Excogitato conſilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: nolite vltra aſcendere in Ieruſalem. Ecce Dij tui Iſrael; qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Fuit efficax adeò diabolica ars, vt ſecurum deinceps conſeruauerit Regnũ, nemine ex ſuis ab illa die templum Dei adeunte. Auidus Nabuchodonoſor habendi formam Dei ita, vt à cunctis Deus haberetur; hac vna arte vſus eſt, vt ſe faceret aurum. Vtque eſſet adeò magnus Deus, vt in orbe vniuerſo adoraretur; multum aurum ſe fecit; grandem in ſui repræſentationem iubens fieri aureum ſui ſtatuam. *Nabuchodonoſor Rex fecit ſtatuam magnam auream altitudine cubitorum ſexaginta, latitudine cubitorum ſex.* Iuſſit præconis voce dici; cadentes, adorate ſtatuam auream. Minimè fiet, vt me tanquam Deum populi adorent, ni fiam aurum, dixit Rex ille; qui nihil in carne corruptibili dignum adoratione cognouit. Nihil dixerim vltra in propoſitum hoc, præter vnum Sergij Galbæ Imperatoris factum circa aurum. Hic cùm aliquando fanum ingreſſus, aureum in Iouis capite intueretur coronam quindecim librarum; detractam capiti, conflari informem iuſſit in maſſam. Quonam incitamento moueri potuit homo ille tum ad expoliandum corona Deum ſuum, tum ad iacturam pretij laboris, qui magnæ erat æſtimationis? Nullus profecto alius eſſe potuit eius finis, quàm vnus is, qui noſtro congruit propoſito. Aurum ex ſe, dixit, ſupremus eſt Deus; nec fas eſt, vt in alterius Dei ſeruiat ornamentum. Imo nec artificioſa ei addatur figura, qualis eſt pretioſiſſimæ coronæ. Eſto forma ſua naturali; vt per ſe, & propter ſe adoretur; & colatur. Quidnam innuunt hæc? Niſi vniuerſalem hominum æſtimationem, quòd aurum ſit Deus; ſeu certe, quòd Deus aurum ſit. Nec ex vano poteſt tam generalis æſtimatio oriri fundamento: imo verè Deus aurum eſt verum: tametſi

3 Reg 12. 28.

Nabuchodonoſor quo fine auream fecerit ſtatuam.

Dan 3.1.

Statua aurea quo fine facta à Nabuchodonoſor.

Sueton. in vita Sergij Gal. c. 12.

Sergius Galba cur auream Iouis coronã fundi in informem iuſſit maſſam.

Corona Iouis aurea cur conflata à Sergio Galba.

non terrestre hoc, quod aurum gignitur in terra; sed spiritale aurum, purissimum, splendidissimum, pretiosissimum. Est aurum Deus; quippe res omnium defæcatissima, purissima, speciosissima, nitidissima, pretiosissima, glorioſissima: imo ipsamet gloria, pretium infinitum, fulgentissimus nitor, species ipsa, ac ipsa puritas, nulla crassitudinis mistione: in cuius conspectu naturale istud aurum obscuritas est, fæx, scoria, vilitas. O decepti homines! qui intensa adeo auiditate, aurum in terræ quæritis visceribus! Si super omnes aurum cœlos quæreretis! Quis ambigere potest, supremi cœli aurum collatione nulla esse pretiosius auro vestro hoc, quod in imo terræ gignitur centro? O Deus, Deus! opulentia mea! aurum meum! Quàm se pauperem sentit; quæcumque te vno anima caret! Quàm locupletem, quæcumque te, nec quid præterea, possidet! Tu es aurum perfectum: nam terræ aurum, tuum aurum est, non est tuipse: imo nec tui aurum indumenti; qui non aurum decorum, sed ipsum *Decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento.* Est tuum aurum, tuarum seruiens domorum ornamento. Hoc Agæi ore notum facis asserens: *Meum est aurum; meum est argentum.* Estque excellens adeo aurum hoc, quod est tuipse; vt natura sua forma ipsa sit, minimè in formas vllas variabilis. Hæc forma est forma Verbi diuini, eò quod Verbum istud Deus ipse sit. *Qui cùm in forma Dei esset; non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo:* vt ad Philippenses scribit Apostolus. Pſal 103. 2. Agæi 2. 9. Philip 2. 6.

Maria sanguis purissimus puritate cõcinna auro purissimo, quod est diuinum Dei Verbum.

Cùm ergo diuinum hoc Verbum aurũ ipsum sit, cumque item sit aurum suprema illa forma litterarum, quibus in paterno scribitur pectore; quonam attramento, quoue pigmento potuit scribi, cùm ex originali translatum est in virgineas membranas genitricis, minimè relictis aureis litteris illis, quibus in paterno iugiter scribitur pectore? Etenim in id facta est tranſlatio ista, vt litteræ aureæ, quibus in originali describitur Verbum, roseo pigmento tingerentur. Quàm igitur purum decuit esse hoc, cùm summæ puritatis auro coniungatur? *Vt de mũdissima matre mundissimus filius nasceretur*, ait Augustinus. Quod non obscure significatur aurato illo vestimento, quo amictam vidit Aug. ſerm. 2. de natiu. Domini, ad fratres in eremo.

Reginam istam Regius Vates, cùm admirans accinuit:
Psal. 44. 10. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate.*

Nemo vertit in dubium, auro fuisse exornatam Virginem nostram, tinctumque gratiæ auro sanguinem eius illo tempore, quo diuinum Verbum in membranis eius scriptum est. Sed propositum minium sanguinem eius indicat purissimum à primo conceptionis instanti. Hoc etenim minium purum (vt dixi) nascitur in creta, glebave metallina, quæ est eius excellentia singularis. Alia quæque metalla, quantuncunque pretiosa, gignuntur in glebis, in quibus & terræ est, & scoriæ admistio: etiam argentum, quod & terra, & plumbo mistum generatur: imo aurum ipsum, quod in natali creta tum ære, tum terra mistum reperitur. Vnde ignea egent purgatione. Solum hac minium eminet excellentia, quòd & terra glebę, & argento mistum nascitur viuo. Itaque illa, quæ in argento, & auro est scoriæ admistio; in minio est viui mistio argenti. Vnde tantum abest ab scoriæ mistione, vt illud potius quo miscetur, cùm argentum sit viuum, alia quæuis metalla sit purificans. Quam ergo mistionem in virginea hac gleba, in concepta Maria suspicabimur? Dicemusne, sanguinem eius, quod rubeum est minium, terra, & peccati scoria mistum generari? Si naturale minium, quòd in scribendis litteris auro iungendum sit, gignitur purum à natura: quanto puriorem à sua credemus conceptione sanguinem istum, qui in id genitus est, quo scriptæ diuino auro litteræ ornarentur? Terra itaque sanguis mistus fuit, cùm sit sanguis humanus: sed gratia simul mistus diuina, viuificans animam, viuida magis, quàm viuum argentum. Quòd si pigmenta aliqua, quibus & auro simul litteræ scribuntur, mista gignuntur scoria; nec minuit hęc litterarum splendorem, cùm à pigmento sit penitus absterſa: non ideò infertur, decuisse, vt ad scribendum auro, & sanguine Dei verbum, sanguis hic priùs purgaretur à sordibus. Nam si pigmenta illa purificantur, etiam purgatur aurum, cui ad scriptionem vniuntur. At diuinum hoc Verbi aurum diuini minimè potuit vnquam purificari: cùm ex seipso summè purum sit, & ipsa puritas. Vnde

Conceptio Mariæ Virg. purissimo sanguine facta. Simile.

consequenter nec pigmenti sanguinem purgari; decuit sed penitus purum generari, tametsi humanæ mistus sit terræ. *Caro Virginis de Adam assumpta, maculas Adæ non admisit: sed singularis continentiæ puritas in candorem lucis æternæ conuersa est.* Ecce ait Petrus Damianus: Licet Adæ terram hæreditauerit Maria, nullam tamen fæcem. Imo argentea illa gratiæ puritas, qua in vtero matris concepta fuit, in aureum gratiæ augmentum conuersa est, cùm diuinum Verbum ipsa concepit. Præclarè pater eius Dauid: *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus in fimbrijs aureis.* Gloria filiæ Regis, nempe Mariæ, in fimbrijs est aureis, quæ deforis eam circundant, ac decorant; tamen exit ab intus gloria hæc tota: à gratia illa, quæ à primordijs conceptionis incœpit, quasi intrinseca sanguini; non quia naturalis, sed quia simul cum sanguine infusa à Creatore.

P. Damian. serm. 3. de natiuit. Mariæ.

Psal. 44 14.

Conceptionis tempore purissimus fuit Mariæ sanguis.

Purpurissum sanguis est concha.

Purpurissū idoneum litteris scribēdis.

Purpurissū maximi pretij, quo tinctis vestibus vtebatur Romulus.

Conceptio Mariæ facta sanguine, cuius symbolū est purpurissum.

Perstringamus magis punctum hoc: ne quis euadat, asserens minium non esse sanguinem, sed terram. Sufficit quidem si terra sit; cùm & totus homo sit terra. Nihilominus, ad præcludendam euadendi viam, perspiciamus illum, quo ad formandas litteras vtuntur sanguine scriptores. Purpurissum est hoc; quod sanguis est piscis, nomine conchæ, vt Plinius scribit. Quod pigmentum pretiosissimum omnium esse scimus: purpureasque vestes maximis esse Regibus vsui. Quibus Romanorum Regem primum eiusdem Romæ fundatorem Romulum indutum, idem Plinius narrat Pretium purpurissi, illius præsertim, quod fert Tyrus, adeo supremum est, vt mille, & quandoque pluribus denarijs venditam libram dicat idem autor. Quid dicemus de illo, quo concepta est, sanguine Deipara? Nunquid minùs prouidus censebitur Deus circa sanguinem hunc, quo & induendus erat summus Regum Rex; non Romæ, vt Romulus; sed orbis fundator vniuersi, imo & Creator vnicus, ac vnicus Dominus, quàm circa piscis sanguinem, quem in terrestrium Principum decorum creat indumentum? Ergo tria illa, quæ pro fine hoc in purpurissum notanda concurrunt, plenius, atque perfectius in eum, quo ipse orbis Rex indutus est, sanguinem concurrisse, meritò sentimus. Præsertim, cùm sanguis iste, & summo Regi sit indumentum; & pigmen-

Plinius l. 9. c. 35. & 37.

Plin. lib. 9. c. 39.

tum etiam, quo diuinum Verbum, quod Rex ipse est, in virgineis fuit membranis scriptum. Prima purpurissi præstantia est eius puritas, & pretium: quanto magis purus ac pretiosus magis existimandus est Deiparæ sanguis, quo verbum Dei scriptum est? Quod si altera est purpurissi excellentia, quòd Regibus seruiat vestimento: qualis esse putatur sanguis Mariæ, quo solus cœli Rex indutus est? Verum longè altius in Mariæ sanguine est præstantia vltima; summa videlicet à conceptione custodia. Quis credat prouidisse Deum, vt ille qui seruiturus est Regum vestibus sanguis, à creatione sua seruetur in conchis, clausis strictè inter conchas duas, ne inficiatur; neve vlla indigeat purgatione: minimè autem curauisse, vt virgineus ille, quo Verbum Deum scribendum parabat, ab ipsa seruaretur conceptione, arctiore, quàm inter duas conchas, custodia, ac vigilantia; ne vlla vnquam purificatione egere videretur? Addimus & extremam purpurissi perfectionem, quam artis huius eminētissimus scriptor narrat Vitruuius: infusum argentaria creta purpurissum, præstantissimum esse pigmentorum omnium. Quodnam humanum cor non eleuatur ad contemplandum, quot præuenerit Deus summam conceptionem genitricis suæ puritatem argumentis; vt & gratiæ infusum conceptionis tempore ostenderet sanguinem exemplo purpurissi; & vniti argento viuo minij similitudine purissimum innueret sanguinem?

Conceptionis Mariæ sanguis purpurisso purior, ac pretiosior.

Conceptionis Mariæ sanguis custoditus inter cōchas duas.

Conceptionis Mariæ sanguis gratiæ diuinitus infusus.

Vitruuius li 7. de colorib. ca. 7. & 14.

Dicam, quod summum reor in hac parte, ex pictoria arte desumptum. Perfectissima quæque pigmenta præparatam pigmento alio exigunt tabulam; vt obscuriori murici superponitur purpurissum; purpurisso cyaneū. Ergo pretiosissimus Christi sanguis dilectissimā genitricis suæ, cæteraſq; dilectas sibi animas notabili hoc exornat discrimine. Nempe in reliquis omnibus roseus iste sanguis, tanquam astrum purissimū, rubro peccati superponitur murici, quo sua tyrannus insignit rubrica peccatores. *Factum est vulnus sæuum, & peßimum in homines, qui habebant characterem bestiæ.* Heu infelicem peccatoris animā! Quàm fœdo est peccati sanguine tincta per totum? Hic sanguis est, quem horrebat Psaltes, cùm orabat: *Libera me de sanguinibus, Deus:* id est de

Simile.

Pigmenta alia aliis superposita.

Cyaneus, Hilpanè, *azul fine.*

Sanguis Christi in animas fusus supra sordidum peccati pigmentum, vt illud operiat, atq; diluat.

Apoc. 16. 2.

Psal. 50. 16.

de peccatis; vt Aug. explicuit, Lombardo consequente. Aug. super Psal. 50. 16. Lombard. ibid.

Simile. Superponitur itaque purissimus Christi sanguis sub nigro sanguini draconis, tanquam purissimum crasso purpurisso. In quo concursu notabilius est aliquid; quatenus in quouis huiusmodi pigmentorum concursu non tam penitùs operit superpositus color colorem suppositi pigmẽti, quin suppositus color compareat aliquãtulum: alioqui, frustrà poneretur. Imo tertius quidam quasi ex vtroq; mistus color in tabula resultat. At in diuina hac pingendi ratione, qua Dei filius suam in animabus format imaginem, sanguinem suum adeò suprema arte adhibet pigmentum, vt suppositus peccati cruor, & color, minimè appareat iam; imo nequaquam maneat ibi, sed accedente Christi sanguine euanescat. Nec sistit hîc mirabilis ars; nam pereunte peccati pigmento, non ideo ille, qui manet in anima color sanguinis Christi talis in ea est, vt in rubea sua maneat specie. Sed nunquid est ibi tertius aliquis color, animam tantoperè condecorans? Imo altius adhuc miraculum. Non resultans ex prædicto pigmentorum, seu sanguinum concursu in anima color; non participans vtriusque coloris adspectũ: sed albus color, candidissimus. Mirabile dictu; sed dictũ infallibile: cuius causa est diuini huius sanguinis præstantia. Est namq; adeo efficax, vt supra maculosum pigmentum positus, illud penitùs disijciat, & abstergat; ita vt verum sit & pigmentũ, & lauacrũ. Est plana in Scripturis sententia, concinnentibus cœlestiũ seniorum labijs pronuntiata: *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna: & lauerunt stolas suas, & dealbauerũt eas in sanguine agni.* Apoc. 7. 14. Quis tale vnquam pigmenti genus vidit? Rubeo dealbatur animus sanguine. Hæc eminentia Christi est; hæc Dei eminentia. Est rufus sanguis, quia carnis, & terræ: sed est sanguis dealbans, quia diuinus Dei ipsius sanguis. Est appositũ valdè symbolũ huius ille, quem narrat Plinius, sanguinis elephantis, & draconini sanguinis concursus. Nẽpe in sæuissima vtriusq; belluæ pugna peremptus elephas cadens supra draconem, illũ pondere corporis occidit: consequenterq; elephantinus sanguis super draconis funditur cruorem; quorum mistura fit cinnabaris. Tria in hoc mirabilia. Primũ, nimius elephantini sanguinis splendor crasso

Sãguis Christi rubeus cũ sit, animas miro cãdore dealbat.

Elephas occisus à draconе, cadens super eum, interimit põdere. Eiusque cinabaris ex vtriusq; sãguine sic mistо.

Plin. li. 33. cap. 7.

draconis cruori superpositi: alterũ peregrina pigmẽti conditio, quòd nullus alius terrestriũ sanguis animantiũ aptus reperiatur ad pingendũ: tertiũ suprema vtilitas: nam qui sic mistus sanguis, simulando in tabula homini pigmentũ est pulchrũ, idẽ est salutiferũ viuo homini antidotũ, à viro, & peste sanans eũ. Sed longè quartũ mirabilius: quòd tria hęc elegantissimè conueniant glorioſissimæ illi, quã de inimico hominũ dracone potentissimus elephas, Dei filius, victoriã reportauit. Est diabolus draco: bestia illa, cuius cruore rubricatas peccatrices animas ostendi. Hoc enim nomine appellatur in cap. præced. illud, in quo bestia nuncupatur: *Vidi aliam bestiam ascendentem de terra; & loquebatur sicut draco* Hac enim draconis specie simulauit se diabolus, cùm Heuã fefellit ligni pulchritudine. Quod nec textus siluit ipse, dum dixit: *Draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus.* Elephas est Christus propterea, quòd animal istud præstantissimũ est omniũ animantiũ omni perfectionis genere. Superat terrestria omnia, omnes pisces, voluceres omnes intelligentiâ; de qua audiui ipse mirabilia ex eorũ, qui ex India aduentarunt, Iesuitarũ ore. Quin & prudẽtiæ Rex vocatur à Tullio in primo suo, in quo de natura Deorũ disserit libro. Traditũ fabro ęrario resarciendũ caldariũ examinauit elephas arte hac, si fracturas satis consolidasset. Impleuit aqua; videsq; adhuc stillã desilire, oppositi fabro oculis, quasi dicens: Vide quòd nondũ integrè refectũ sit. A duob. hoc ex prædictis Religiosis audiui. Est mirabili iustitia, & æquitate; ita vt pro occiso irritatore viro restitutionem fecerit elephas vxori, ferens quotidie in domũ eius lignorum sarcinam; quod fœminam questã audiret, eò quod deficiente coniuge, deesset sibi, qui vel ad furnũ adferret ligna. Mũditia eius nota est, tam celeri illa velocitate, qua immũda fugit animantia; quàm cura sũma, qua exeunte Luna, se circunspicit totũ, properatq; ad lauacrũ, si quas in se luti sordes deprehẽdit; ne Solis ortu appareat videntibus immundus. Narrat Pierius. Non minùs nota temperantia. Ductus coram Domino elephantus, cùm ex eius iussu plenum hordei modiũ sibi dari videret, qui dimidia modij parte assuetus erat victitare; diuisit in duas hordeum partes, quarum altera sumpta, alteram reliquit. Plutarchus est scriptor. Magnanimitas eius, ac li-

Draco pugnans cum elephãto interit, & perimit, succũbens cadenti super se interempto. Ex quorũ sanguinum mistione fit cinnabaris.

Cinnabaris quid sit.

Diabolus appellatur draco.

Draco, nomẽ diaboli.

Elephas symbolũ Christi.

Elephas perfectissimum animantiũ.

Elephas videtur pollere intelligẽtia: eąque prudentia Rex.

Elephantus iustitiæ, & æquitate mirabilis.

Elephanto magna mũditiæ cura.

Munditia elephantis.

Elephanti temperãtia.

Apoc. 13. 11.

Apoc. 12. 9.

Iulli lib. 1. de natura Deorum.

Pierius Valer. lib. 2. §. Pietas, & §. Declinator.

Plutarch. Sympos. 12.

Elephantus liberalis, magnanimus, & munificus.

beralitas exemplis ab Eliano multis indicatur. Hinc in Antonini Pij nummo elephas pro muscide in semicirculum sursum versus Lunata: inscriptio, *Munificentia Aug.* Mansuetudinem eius narrare non possumus: non quia non multam, sed quia multam; qua multas Oppianus replet paginas. Fortitudine virium cunctis præstat terrigenis. Magnum è littore in mare solus mittit nauigiũ. Ideò apud Ægyptios fortissimi hominis Hieroglyficum elephas. Qui testatur, est Valerianus. Regiam item maiestatẽ tam corporis signis repræsentat, quàm animi. Genua nunquam flectit; hoc regium est. Nihil non facit ductus honore: nihil, nisi honorificentissimis allectus verbis, facit. Iuxta omnia igitur hæc est elephas Christus, Dei filius. Hic est summa sapientia, prudentia summa, æquitas suprema, atque iustitia. Hic superat omnes puritate; hic temperantia; hic magnificentia, ac largitate, mansuetudine, robore, potentia. Hic nemini genu nouit flectere, vt ore dixit Isaiæ: *Gloriam meam alteri non dabo.* Imo omnes genua flectunt ei: *Vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Quid ergo minus à tã diuino poterat elephanto expectari, quàm quod cum infestatore nostro, dracone congressus, immenso eũ pondere suo cõminueret? *Et proiectus est draco magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus; qui seducit vniuersũ orbem. Nunc facta est salus, & virtus, & regnũ Dei nostri; & potestas Christi eius.* Ambo, fateor, congressi ceciderunt: sed subtus draco, oppressus pondere elephanti. *Qui mortẽ nostrã moriendo destruxit, & vitã resurgẽdo reparauit.* Quomodo reparauit? Fuso in animas nostras sanguine suo super draconis sanguinẽ, quẽ deleuit penitùs, ne vllũ iam eius maneat vestigiũ, quo suas esse animas contendat. Expressa est additio textus: *Nũc facta est salus; quia proiectus est accusator fratrũ nostrorũ: & ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni.* Hi sunt effectus sanguinis Christi, fusi super draconinũ in animas reductas. Hoc pigmẽtorũ excellentissimũ, imo nullus, præter sanguinem hunc, pigmentum est sanguis. Quinetiam simul est condecorans pigmentum, & salutiferum antidotum. Perpendite verbũ: *Nunc facta est salus; quia proiectus est accusator.* Isti (inquam) sunt in iustificatis omnibus effectus. At in Virgine illa, ex qua sumptus

Elianus.

Oppianus.

Elephas virium fortitudine validissima.

Pier. Valer. lib. 2. §. 1.

Elephantus Rex, tã corporis, quàm animi notis, ac indicijs.

Isa. 42. 8.

Christus Rex Regum, qui nullivnquam genu nouit flectere, imo omnes flectunt coram illo.

Philip. 2. 10.

Apoc. 12. 9.

Christus cũ dracone cõgressus cadẽs super illum, suo pondere interemit.

Apoc. 12. 10

est sanguis, habet sanguis ipse diuersũ longè, & sitũ, & tẽpus. Non enim in hac, sicut in cæteris, super draconis sanguinem sanguis fuit Christi; sed super purpurissũ, Christi sanguinẽ, palliũ pigmenti cyanei, Itaq; purpureo est concepta indumento sanguinis Christi; quo semper fuit grata: cui cyaneũ palliũ superuenit eo tẽpore, quo ipsa Christum concepit ipsũ: dignitas scilicet Deiparæ. Quod si illi, qui incarnatũ Christũ iusti præcesserũt, non fuerunt fruiti sanguine hoc, tanquã indumento, sed tanquã eiusdẽ sanguinis merito, vt Thomas explicat Angelicus: in matrem tamen duo hæc concurrerunt: tũ meritũ sanguinis, quod fuit sufficiens eam decorare; tum quod ille, quo ipsa concepta fuit, sanguis, futurus erat sanguis ipse Christi, quo nos abluit, & sanat.

S. Thomas 3 p. qu. 62. art. 6.

Conceptionis tempore Maria habuit purpuream tunicã sanguinis Christi, quo sẽper induta fuit, ac semper grata.

Maria conceptionis tẽpore habuit purpuream Christi sanguinem vestem: cui cyaneum superuenit pallium, quum Christũ ipsũ genuit ipsa.

Peruenit eousq; hominũ cura in præparandis Scripturæ pigmentis, cùm res magnæ scribẽdæ sunt, vt ad conficiendũ atramentũ vina quærãt purissima, incorrupta, defęcata. Et sanguis quidem vinũ est; sic appellauit sanguinẽ Moyses: *Sanguinem vuæ biberent.* in sanguinemq; mutari vinum dixit Poëta: *Fusaque in obscœnum se vertere vina cruorem.* Huc iam appositũ venit Euangeliũ, quo Mariæ narratur genealogia, sanguis, genus. Videamus quàm purũ ducat à primo sanguinẽ parente, quem Lucas numerat Adamũ. Etenim eadem cura, qua seruatur vinũ, quod Regi propinandũ est, debet credi factus, purificatus, custoditus sanguis ille, quo supremus gloriæ Rex non dicam potandus, sed gignendus erat, vt fieret homo. Principio vites plantantur in terra: deinde si defectus notatur inter vites, vacuus scilicet locus, cui vitis in vinea debetur, quod *Marra* dicimus Hispani, mergo fit supplementum à vite proxima protracto vsque ad vacuum illum locum, in quo palmes plantatur; minimè à matrice vite abscisus. Natus deinde fructus, in torculari calcatur pedibus: inde ad cuppas portatur mustum. Ex his in dolia, vasave similia elutriatur factum iam vinum, post musti feruorem: ideoque magna ex parte defæcatum, sed non omninò carens fæce. Hinc in vtres immittitur; quibus quocunq; commodè portetur. Hucusq; commune cunctis vinũ, tam plebeijs, quàm Regibus: sed hîc iam separatur, quod Regi ministrandũ eligitur: Regióq; charactere obsignãtur amphoræ, in quibus

Deut 33 14.

Virgil.

Vinum sanguis est.

Sanguis est vinum

Maria genealogia denotat conceptionis puritatem.

Simile.

Simile.

Vinearum plantandarũ ars: vindemia item: ac vini custodia, & purificatio.

Iiene marras la vigna. Echar mugron en la marra.

Cuppæ son las vebas, nolas copas.

Simile.

Vindemia conficienda series.

Simile.

Vinum quo ordine fiat, purificetur, custodiatur.

ad Regiã ferendũ est vinũ. Sunt in domo Regis cadi Cretẽses, in quos ex amphoris trãsmittitur vinũ, vt veteraſcat, & ſedetur. Tandẽ in auream infunditur phialã, quæ regia eſt, ſoliq; Regi deſtinata. Sed bibũt nihilominus hae phiala duo, Rex, & ante Regem delibator, qui, pro ipſius Regis maieſtate, phialæ vinum leui præguſtat libamento, quo minimè veneni ſuſpectum oſtenditur vinum. Quanta (rogo) puritatis eſt cura, ob reſpectum bibituri vinum Regis? Certe à vineæ plantatione vſque ad amphoras illas, quæ regia obſignantur nota, nulla maior pro Rege, quàm pro ipſis agaſonibus cura; imo nec vlla Regis recordatio. Lutoſis calcatur pedibus: feruétque plenum fœcibus muſtum: nec illæ, in quas infunditur, cuppæ omnino ſunt puræ, ſed pice circumlitæ: nec minùs lita dolia, in quæ elutriatur; tametſi in his magis ſedetur, & clareſcat. Maior longè cura, cùm in illas transfunditur amphoras, in quibus ad Regem portãdum eſt: tunc enim notabilis quæque feſtuca reijcitur: ſed nondum puritas omnimoda: nec deeſt ibi picis odor, & ſapor. Qui cùm in ipſa Regis domo in Cretenſes infunditur cados? Eliquatur tũc diligentia magna; relinquitúrque diu, ad quieſcendum, donec veteraſcat, & ſedetur, ſitque ab omni prorſus puluere purum. Tamen ne tunc quidem deeſt picis color, aut ſapor. At verò aureus Regis ſciphus nulla eſt pice delibutus. Nullus ibi odor, nullus ibi picis penitus ſapor. Puluis ibi permittitur nullus: nedum pallea, aut feſtuca. Quid, ſi incidat culex? Nunquid miniſtratur Regi vinum culice infectum? aut extrahitur ex aureo ſcipho culex, & vinum Regi deceat apponi? Abſit. Imo effunditur ex phiala vinum; quæ & abluitur denuo, vt alio vino repleatur. Eſſet enim inurbanitas magna, deficiénſque debitus maieſtati reſpectus, ſi vel à minima purificatus formica ſciphus Regi exhiberetur. Quin potius nec Regius prælibator defœcatum in ſcipho guſtat vinum; ſed effundit. Itaque certa concluſio eſt, nihil impuritatis, piceive odoris, aut ſaporis ineſſe vino, quod in aureo ſcipho, & bibit Rex, & præguſtat libator. *Vinea Domini exercituum domus Iſrael eſt;* Eccleſia videlicet fidelium. Vitis maxima Chriſtus, palmites homines fideles: *Ego ſum vitis, vos palmites.* Sed vi-

Cadus Cretenſis es la candiota.

Simile.

Simile.

Iſa. 5. 7.

Ioan. 15.

tis primitus plantata primus hominum fuit. Quamdiu fuit solitarius ille, vinea tota vacuis languebat locis: Hispanè, *Estaua la vigna con muchas marras.* Eduxit ea propter Dominus mergum ex vite illa prima, fœminam scilicet ex viro; cuius costam lateris tanquam palmitem tulit, nouam in vitem mirificè formandam. Gen. 2.18. *Non est bonum esse hominem solum*, ait Deus; loca sunt vacua in vinea ista: sola vitis Adam: Gen. 2.18. *Faciamus ei adiutorium simile sibi.* Vnde protinus dicitur; Gen. 2.22. *Ædificauit Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem.* Quæ licet distincta fuerit vitis: mansit tamen vnita viro, sicut viti mergum, vt expressit Deus dicens: Gen 2. 24 *Erunt duo in carne vna.* Vereor ne Hispanum nomen, *Muger*, ex Hispano nomine, *Mugron*, eductum putent Hispani, quòd mulier mergum viri sit; quemadmodum nomen Virago ex viro eduxit vir primus ipse. Inde totum humani generis vinum: sanguis videlicet totus. In quo nulla à principio maior puritas seruata, quàm si gloriæ Rex non fuisset ex eo bibiturus, eundem sanguinem assumens. Conculcauit virulentus serpens Adamum, conculcauit & Heuam, eorumque fructus, filios, nepotes, vinum sanguinem. Gen.3.1. Conculcauit in ligneo arboris scientiæ torculari filios, & nepotes cum parentibus, lethali inficiens tabe peccati. Inde in plures legis naturæ cuppas transfusum est mustum; Gen.6.1. in quibus tanto ferbuit ardore, vt omnis caro libidinis igne dicatur exarsisse. Euanuit totum fermè vinum ob nimiam carnis immunditiam. Nam impuritate mustum corrumpi, indicat magna illa cura, qua vinitores illud quotidie purificant. Totum penè mustũ corruptum fuit; Gen.6.12. *Omnis quippe caro corruperat viam suam*; vna duntaxat illæsa cuppa; maiori tamen, quàm Saaguntina; arcam Gen 7.1. dico Noëticam, in qua animæ octo seruatæ sunt. Nec ibi fæces defuerunt; filius Noë ex tribus vnus Cham, & posteri eius. Gen.9.22 Quin & iusti etiam omnes Olidam primæ cuppæ picem contraxerunt; donec sacrificio aliquo mundati sunt. A tetra dico originalis maculæ pice. E cuppa illa elutriatus est in dolia sanguis: sanguis hominum illorum, qui à diebus Noë, vsque ad tempus Abrahæ vixerunt. Ibi sanum partim, partim vinum corruptum: homines alij perditi, alij pij: at in cunctis illis picis sapor, & odor; originalis videlicet maculæ. In vtres illinc translatum est

Simile. Mulier educta ex viri costa, ad supplementũ vacuitatis vineæ, instar mergi, in eundem finem à vite protracti.

Mulier mergum à viro eductum.

Libido carnis ferbens mustũ fuit diluuij tempore.

Luxuria putrefecit caro.

Simile.

vinum temporibus Abrahæ; vt per vniuersum ferretur orbem. Ex quibus vtribus fuit Abraham, qui ad portandum vinum à supremo cæli Rege bibendum, electus fuit, ac segregatus. Vnde nec sicut communes vtres fuit, cum debuerit idoneum esse vas, quod insignibus Regis posset sigillari. Fuit ergo ille grandis quædam amphora, in qua sanguis ille portatus est; ex quo gignendus erat Christus. Ad hoc enim Deus eum elegit pronuntiatis ore suo verbis: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes.* Et quoniam quum huiusmodi amphoræ vinariæ separatim dedicantur Regi, fiunt semper simul duo ista, & vini defæcatio, & obsignatio amphoræ Regijs insignibus: ideo quum Deus ad grandem hanc Abrahamum elegit dignitatem, iussit eum, omnésque illius posteros circuncidi propterea, quod circuncisio illa erat sanguinis purificatio, & simul sigillum distinctionis, quo amphora illa, ac reliquæ omnes, in quas transfundendus erat vsque ad Christum, fuerunt distinctæ, ac sigillatæ. Fuisse enim circuncisionem illam illustrissimis stemmatibus Christi sigillatam, imo ipsum stemmatum sigillum, exprimunt Scripturæ; inter quas illa Pauli; *Abraham signum accepit circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei;* id est iustificationis hominum in virtute fidei, qua ex sanguine illo gignendum Christum fatebantur. Ac consequenter fuit quædam proprij peculij segregatio, quod elegit Deus in Abrahamo, vt soboles illa esset nota, ex qua gignendus erat desideratus gentibus Messias. Sic intellexerunt Iustinus, Iren. Chrysost. Cyril. Euseb. Epiphan. Orig. Athan. Theodor. Damasc. Cypr. Ambros. & Hier. Vnde arbitror ego, Dei mentem eam fuisse, vt ex tunc iam purificaretur sanguis ille, vt debitus filio suo respectus seruaretur. Nam & purificatio erat circuncisio, qua originale cassabatur peccatum, vt August. docuit post Cypr. & Prosper. & ante Gregor. Bedam, Bern. Hugonem Victor. & Ruper. omnésque concordes scholasticos cum Magistrat. & S. Thoma. Qua ratione incircuncisi vocabantur immundi. Tamen & isti omnes circuncisi primæ illius cuppæ redolebant picem, originali geniti peccato; à quo circuncisione mundabantur. Ideo *Conclusit scriptura omnia sub peccato.* Transijt ergo sanguis per omnes istos Abrahæ posteros ab amphora in amphoram translatus,

Gen. 22. 18. Rom 4. 11. Iustinus mar. in dialog. contra Triph. Iren. lib. 4. cap. 30. Chrys. ho. 27. in Gen. Cyril l. 1. in Ioan. c. 21. Euseb. l. 1. de præparat. c. 10. Epiph. hæres. 30. Orig. ho 3. in Genes. Athan. in Math. Theod. q. 67. in Gen. Damas. l. 4. c. 46. Cypr. l. 1. ad Quir. c. 8. Amb. ep. 72. Hier. l. 1. in ep. ad Gal. Aug lib 3. cõt. Iu. c. 18. Cyp. l 3. de Card. Christi operibus cap. 18. Prosp. epi. 84. inter Ambrosianas. Gregor. 4. moral. c. 2. & 3. Bed. l. 2. in Luc. 8. Bern. ser. 3. de circun. Hugo li. 2. de Sacram. part. 6. c 3. Rupert. in Gen c 33. Magist 4. sent. dist 1. S Tho ibi. Galat 3. 22.

Abraham segregatus, quo ferretur sanguis ad Christum gignendum.

Circuncisio signũ, quo signabantur vasa, in quibus latus est ad Christũ sanguis, quo ex Virgine est genitus.

iuxta itinera multa, per quæ ad Regiam Christi domum tandem est ductus. Ibi in duos illos venerandos Regiæ domus cados, Ioachimum, & Annam infusus: ibi diligentissime eliquatus; cùm eorum vita sancta fuerit; ab omnique querelarum genere aliena; tametsi à prima illa torcularis pice minime libera: à pice (inquam) maculæ originalis, donec circuncisione ac fide, purificati sunt. Ibi merum diu veterauit. Quisnam dixerit mihi, qua de causa tandiu fuerint steriles Ioachimus, & Anna, antequam gignerent Mariam? Nonne positum in Regijs cadis vinum per multos expectatur annos, vt veteraſcat, & sedetur? Videte ergo, quantum congruant omnia; cùm sanguis in Anna, atque Ioachim vsque ad senectam fecerit seruatus, vt in Mariam transiret purissimus. Cæterum cùm transijt in Mariam, in quodnam vas transijt, nisi in auream phialam, ex qua gloriæ Rex merum bibit vinum, sumpsit sanguinem? Quàm ergo esse decuit purum ab instanti illo, quo in Regiam est immissus phialam? Nunquid ibi pix? Nunquid picis odor? Picis color? Sapor picis? Certè omnia illa præcedentia vasa à torculari ipso, pice lita sunt: nunquam lita phiala, & hæc duntaxat nunquam lita. Quid de virulento peccati culice? Nunquid tetigit positum iam in phiala vinum? Si statim, ac incidit in phialam, manu Dei extractum dicere perrexeris; nescio equidem, quo Deus voluerit fine, seu prouentu, ne ille sibi seruaretur respectus, qui terrestribus semper Principibus seruatur. Præsertim, cum hi, qui in regio bibunt calice, duo semper sint, Rex & delibator; nec liceat huic ministrare Regi latices illos, in quos in scypho iam paratos, culicem incidisse perspexerit. Cœlestis autem Regis delibator nullus alius fuit, præter sanctissimam eius genitricem. Ipsa vinum priùs degustauit in ipso suæ Conceptionis instanti; in quo cum prolixus peccati culex ad sanguinem illum auidus properaret, præueniente Spiritus sancti exsuflatione reiectus abijt, discessit, aufugit, euanuit.

Simile.

Anna & Ioachim cur senes genuerint Mariã.

Maria cur à senibus genita.

Simile.

Maria purissimũ Dominici sanguinis vas.

Mariã originalis; peccati culex minimè tetigit.

Hic veruntamen celebris illa occurrit difficultas, quonam incitamento duxerit Matthæus hanc genealogiæ Christi lineam non ad Christum, nec matrem eius, sed ad matris

Genealogiã Christi cur ad Ioseph adducant Chronologi.

matris sponsum; cùm non Ioseph, sed Christi enarrandam proposuerit titulo illo, ac inscriptione, *Liber generationis Iesu Christi.* Non enim duxit generationem ad Mariam ita, vt diceret, Ioachim genuit Mariam, Maria autem genuit Iesum Christum; sed duxit ad Ioseph, dicens: *Mathan autem genuit Iacob; Iacob autem genuit Ioseph, virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Quomodo sanguinem istum, istud vinum, per descriptos hos patres, tanquam per apta vasa ad Mariam dicimus perduci, cùm non ad eam ducatur genealogia? At stylus iste nostrum diuinitùs fulcit institutum, Quoniam cum aliunde constet, eandem esse Mariæ, & Iosephi genealogiam, quatenus primogenita, aut vnigenita filia nulli nisi viro eiusdem tribus Sponsa tradebatur; voluit Deus, ad Iosephum duci genealogiam, non ad Mariam, vt Domina hæc mater prius, quàm filia enunciaretur? Nullo siquidem parente eius in recta linea nominato, dicitur: *Mariæ, de qua natus est Iesus.* Solus enim Dauid, & Abrahamus parentes eius nominantur in libri inscriptione, seu titulo: *Liber generationis Iesu Christi, Filij Dauid, Filij Abraham*; non in descripta genealogiæ linea, qua parentes omnes Ioseph parentes nominantur. Quod si ad Mariam linea duceretur; dicendum foret; Ioachim autem genuit Mariam, de qua natus est Iesus; sicque filia prius vocaretur, quàm mater. Elucent autem grandia Mariæ encomia in eo, quòd mater Dei priùs, quàm hominis filia nominetur: sed tria potissimè inter alia.

Matth. 1. 1.

Matth. 1. 15.

Christi genealogiam cur ad Ioseph, non ad Mariã duxerint Chronographi.

Maria non priùs appellata filia, quàm mater.

Maria praui sa à Deo priùs, quam parentes eius. Simile.

Primum est æterna Mariæ electio ad matris Dei dignitatem priùs, quàm parentes ei decernerentur à Deo. Est Philosophicum ex Aristot. dogma, vt quod prius est in intentione, id in executione sit postremum. Itaque cum sumptuosam domum fabrefacere decernis, ipsam ante omnia domum mente formas, de rupe mox, seu monte cogitas, ex quo scindendi sunt ad fabricam lapides. Cùm tamen quum ad ædificij executionem accedis, lapides abscindas priùs, quàm ipsam construas domum. Est potissima domus Dei Maria, vt ipse Deus notum facit dicens. *Sapientia ædificauit sibi domum*, de qua Bern. *Sapientia, quæ Dei erat, & Deus erat, ædificauit sibi domum, ipsam scilicet ma-*

Aristot. 2. Phisic.

Prou. 9. 1.

Bern. ser. 9. ex paruis.

Maria domus Dei.

Maria fabrefacta à Deo, vt esset mater eius.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

trem suam: ergo quod ante omnia structura in ista intendit Deus, idoneæ sibi matris formatio fuit, qua forma proposita, consequenter dispositum, ex qua rupe esset educenda; ex quo scilicet genere parentum. Genus enim, ex quo quisque producitur, lapis vocatur in scripturis, seu petra, ex qua talis homo eductus est, iuxta salubre illud Isaiæ monitum: *Attendite ad petram, vnde excisi estis. Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos.* Fuit igitur primum in Dei mente formandæ sibi matris compositio; electio deinde generis, ac parentum, ex quibus oriunda erat. *Missus est Angelus* (ait S. Bern.) *ad Mariam, nec nouiter, nec fortuitò inuentam; sed à sæculo electam, ab altissimo præcognitã, & sibi præparatam.* Cùm ergo liber hic generationis Iesu Christi à Deo ipso scriptus sit; illud ante omnia, quod in sua fuit primum intentione, scripsit, ea serie, qua ipse ab æterno disposuit: formandam nempe sibi matrem priùs, quàm prosapiæ eius electionem. Ideo priùs scribitur mater, quàm filia. Quod luculentiùs intelliget, quisquis Dei mentem in futura Christi generatione suspexerit. Cognita quippe à Deo possibili humani generis fabrica, Christum imprimis gigni hominem statuit: dein, de primo cogitauit homine. Omnes namque homines propter Christi gloriam facti sunt; isque omnium finis. Ergo cum Christum Deus priusquam Adamum mente conceperit; consequenter concepit priùs quàm Adamum eam, ex qua erat genitrice nasciturus. Quod non obscurè est in enarrata à Luca genealogia; quæ incipiens à Christo, ad retro maiores gradatim procedit verbis istis: *Ipse Iesus putabatur filius Ioseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat;* sicque consequenter vsque ad illud: *qui fuit Seth, qui fuit Adam.* Eximia Deiparæ excellentia. Liquet enim ex hac, omnia, quæcunque Deus in ea à primo posuit formationis instanti, intentionem hanc fuisse consequentia, vt sua essent digna parente.

Secundum, quod hinc Mariæ prodit encomium, venerabilis est eius apud omnes æstimatio. Habent enim hoc proprium quiuis hominum conceptus; vt eos homines, quos postquam in humiliori agnouimus gradu, in

Isai. 51 1.

Genus, seu stirps hominum appellatur petra in sacris litteris.

Bern. hom. 2. super Missus est.

Suares 3. p. tom. 2. disput. 1. sect. 3. & disp. 1. sect. 3. citãs alios.

Luc. 2. 23.

Maria eo modo in Scripturis commendata, vt summa æstimatione suspiciatur.

excelsa iam videmus dignitate, non tam sublimi suspiciamus conceptu, ac eos, quos in amplissimo semper agnouimus gradu. Vnde fit, vt idem ipse vir, ab inferiori eleuatus fortuna, non sit tanti apud suos, quibus quondam in humiliori fuit notus, quanti apud extraneos, qui nulla vnquam eum viderunt specie inferiori ista, qua nunc vident. Quid si, humiliorum nouerunt filium parentum? Magnus ille Athenienſis Themistocles, quòd in patria filius Neoclis, & Thraciæ fuisset cognitus, ibique cum pueris alijs communiter viuere; postea ad vrbis regimen euectus, rebúsque admirandus præclarissimis, multò inferioribus à sua, quàm ab extranea gente perspectus est oculis. In tantum, vt à nonnullis conciuium improperatus, magnificentissimo à Lacedæmonijs vectus sit curru, contexta floribus corona oliuę laureatus: altiorique adhuc amplitudine, ac gloria à remotissimo Persarum Rege, qui solum cum filijs nouit virum; parentes non item, nec ætatis primordia, atque fortunæ. Narrans Plutarchus, addit, questum sæpe Themistoclem ipsum, nunquam se fuisse admirationi Athenienſibus, qui extraneis vbique esset admirabilis. Altiori ergo æstimatione suspiciunt homines Mariam, dum intuitu primo matrem Dei audiunt, nihil aliud in ea cognoscentes, quàm si hominum filiam priùs agnoscentes, matrem Dei tandem agnouissent. Illa quippe altissima æstimatio, quæ matrem Dei audientibus offerretur, habitæ iam tanquam de filia hominum æstimationi superueniens, non parum quidem temperaretur, extenuaretur, minueretur. Id saltem absque dubio: tempore illo quantumcumque modico, quo eam Adæ filiam prius audirent homines, quàm Dei parentem, non adeò excelsa æstimatione suspicerent, ac ea, qua admirantur, dum norunt Dei matrem, præterea nihil. Vult autem Deus, vt ne illo quidem tempore exiguo, quod inter nominationem filiæ, & nominationem matris intercederet, minorem summa æstimationem haberemus Mariæ. Quisquis infimæ spinorum naturæ ignarus onustam piris videt spinum: fructum, & lignum nobilissima iudicat, lignum ex fructu iudicans, non fructum ex ligno. At nos, qui spinorum naturam agnouimus, ignobiles scimus, nulliusq;

Æstimatio hominum magnorum maior est apud eos, à quibus in alto semper perspecti sunt gradu, quàm apud eos à quibus in minori fuerant cogniti dignitate.

Themistocles maximi apud extraneos habitus: minùs apud suos admirabilis.

Plutarch. in Themistocle in principio.
Ibid. circa finem.

Mariæ summa à principio æstimatione haberi voluit Deus.

Simile.

Spinus insertus nobilitatur piris.

dulcis fructus feraces, præter pungentes, ac inutiles spinas: pira autem non à propria spinorum natura, sed ab inserto surculo producta. Ergo si Mariam audiremus ab humanis ortam parentibus, antequam audiremus Dei parentem, spinum putaremus, sicut & parentes cognoscimus spinos; ac consequenter spinarum feracem. Absit, ait Deus. Ostendatur primo exitu, prima narratione, conceptu primo, mater mea, pendente diuino ex hac arbore fructu, Filio Dei, vt Dei ferax noscatur arbor. Quumque postea hominum filia vbique narretur; sciant omnes, eam, quæ si paternam conditionem sequeretur, spinosum lignum fuisset futura, diuinam prorsus arborem esse, quippe quæ genuit fructum, Dei Filium, fructum Deum.

Maria fabrefacta ad mensuram ac regulam condignam matre Dei.

Tertium encomium est absoluta Mariæ puritas ab ipso Conceptionis instanti. Cùm enim Deus idoneam sibi matrem mente formauerit priùs, quàm genus eius, atque parentes disponeret mente; consequens certè est, omnia quæcunque circa eam dispositi, tali potius Filio, quàm talibus fuisse consona parentibus ab instanti illo Conceptionis. Quis enim artifex post decretum domus ædificium, formulámque lineis in tabula dispositam, omittat facere regulam, & metrum, quo lapides, ligna, cæteraque id genus adaptanda, absque puncto defectus, excessusve puncto metiatur? Quantò minùs opifex vniuersi, qui cœlorum machinam lineis, punctis, minutis, fecit mensurabilem, exactissimam omitteret in huius domus constructione mensuram à lapide primo; cùm ante omnem positum lapidem, formulam eius mente dispositam habuisset? Nunquid punctum aliquod à mensura discrepare permitteret; præsertim primum Conceptionis? Nec omisit indicare hoc, dum pro construendo manibus hominum suæ habitationis tabernaculo, non puncta solum, sed semipuncta etiam designauit. Misit è cœlo ad mensurandam fabricam Angelum: *Et ecce vir: cuius erat species, quasi species æris: & funiculus lineus in manu eius, & calamus mensuræ.* Et alibi: *Operuit omnia laminis aureis ad regulam.* Et rursus. *Arcam, cuius longitudo habeat duos & semis cubitos; latitudo cubitum, & dimidium; altitudo cubitum similiter, ac semissem.* Bone Deus! Tanta cura semissis? tanta mittendi mensо-

Ezech. 40. 2.
3. Reg. 6. 35.
Exod. 25. 10.

rem Angelum? Pro tabernaculo, pro templo, pro arca, & incuria aliqua, aut obliuio præsumatur in fabrica illa, quæ matris est fabrica; fabrica templi, arcæ, tabernaculi, in quo artifex corporaliter habitat, vt puncto primo deficientem à mensura domum censeamus? Quæro ergo à quocunque respondere volente: Si in fabri hac vllum vel puncti vnius esset erratum, vndenam talis error? Ex altera ex duabus his causis procedere defectum necesse esset; vel ex eo, quod artifex sic puncto erratam decreuisset mente sua; vel ex eo, quod cùm perfectam decreuisset, tempore tamen executionis, nempe conceptionis, defectu illo domus fabrefieret. Primum nescio, cui fundamento niti possit: præsertim cùm Deus matrem suam formauerit mẽte priùs, quàm lapsum videret Adamum, lapsam Heuam. Minùs potest dici secundum: esset enim artificis defectus, si eo tempore, quo manum imponit disposito operi, deuiet illud à regula, iuxta quam illud facere decreuerat. Nec obijci potest, quod idem possit pro alijs hominibus argumentum formari. Est enim causa latè diuersa. Alios namque homines, cùm Deus mente decreuit generandos, vidit Adæ filios, filios peccatoris, filios deficientis à regula genitoris, à qua defecit propria ille voluntate; & ideo formauit eos mente defectu illo, qui in ipsis erat, non ex Dei ipsius ordinatione, sed ex paterna hæreditate: matrem verò suam disposuit mente priùs, quàm Adami videret filiam. Imo esto eam disposuerit cognitam iam filiam peccatoris; ad eius artem pertinebat, vt ab illo exemtam disponeret næuo, propterea quod in propriam sibi omum disposuerit: alios non sic in propriam disposuerit omum, nec in proprios genitores

Conceptio B. Virg. quò impensius absconditur, eò luculentius fulget.

Supereſt, vt litteris his velamen aliquod adhibeamus: cm pretiosæ quæque, tam pictæ imagines, quàm scriptæ aueis litteris paginæ, velamento soleant operiri. At nesci quænam eas possit operire cortina: nam conceptio hæquò pluribus velaminibus tegitur, eò nitidiùs eluceſcit. Iempe quò pluribus argumentis impetitur, vt maculata dicetur, ac tetra; eò splendidiùs ostenditur candida. Quiiam vllius meminit temporis, in quo ardens surrexerit ontrouersia, inflatæque vndæ reboauerint, ad oc-

cultandum conceptionis huius splendorem; quarũ alium viderit effectum, præter vnum hunc, candoris huius incrementum, auctamque eximiè fidelibus in cordibus, in Christianis populis, æstimationem, confirmationem, prædicationem, conclamationem, deuotionem? Testes adhibeo currentes nunc annos, menses, hebdomadas, dies, horas, quadrantes; in quibus nihil aliud auditur in populis, in agris, in prædijs, in templis, in domibus, in angulis, in cubilibus; in ore virorum, fœminarum, adultorum, senum, puerorum, infantium, qui nondum ablactati dicũt, & concinunt, Maria ab originali peccato aliena. Testes nationes omnes, Italos, Gallos, Germanos, Æthiopes, Indos, Hispanos; rusticos, disertos, simplices, sapientes; qui solidissimis conceptionem hanc immaculatam ostendunt fundamentis. Quid dicemus ad hæc? Nullam equidem aliam causam esse posse cognosco, qua velamento crescat fulgor imaginis, præter vnam hanc, quod sit vitreum velamentum. Quod ad vitreum attinet velamen, longè est à proposito: cùm rationes illæ, quæ ad conceptionis obscuritatem prætenduntur, minimè vitreæ sint; vt quæ ex solidissimis, perspicuis, maturis, pijs, doctissimis sapientum hominum ingenijs. Restat vt sit crystallinum, nempe crystallinæ rationes. Tales ingenuè fateor; cùm ex Christi gloria petitæ sint; cui omninò expedit, vt nemo cœlesti glorificetur beatitudine, sanguine eius non redemptus. Crystallina ratio, imo adamantina. Talem ego profiteor, meique instituti illustratricem amplector. Multò enim splendidius fulget imago hæc, litteræ istæ, ipsa & gloria Christi, redemptione ruinam præueniente, quàm si lapsæ iam fieret redemptio. Nedum, quod posita contingentia, qua vel non esset inficienda peccato, vel à Christo nequaquam redimenda: altior profecto esset gloria Christo, esse filium matris, nunquam peccatricis, quàm redemisse animam vnam, Mariam dico, cùm infinitas alias animas redemerit. Fulget conceptio hæc rationibus istis crystallinis. Quapropter cum Ildefonso prædabo:

Conceptio Mariæ gratia plena ex Christi redemptione.

Maria à Christo redempta.

Ildef. ser. 2. de purificatione, & parturitione Mariæ.

Ergo in qua clausſtrum pudoris integrum permansit, nulli disruptio interemit; nullum peccatum primæ originis, vt cruaretur, viguit.

Maria est nomen excellentiæ.

Quisnam meminit regiæ illius constitutionis Hispanicæ anni 1584. qua optimatibus tituli præscripti sunt duo? Maiores omnes, quos Regni Grandes appellamus, Señoria vocari, statutum; licere nihilominus cuilibet, eos ex vrbanitate excellentiam nuncupare. Quis vidit hucusque ex illis vnum nominari à quopiam titulo inferiore, altiore relicto, qui licitè posset vsurpari? Cùm igitur mihi licitum sit, iuxta Ecclesiæ statutum, tribuere Deiparæ vel necessariò debitum plenæ gratia titulum, vel titulum spontaneum excellentiæ, qua omnes Adæ filios excellit in eo, quod à communi eorum labe immunis sit: quæ vrbanitas esset, quæ deuotio, quis amor, si excellentiæ hunc negarem titulum, cùm concedere possim? Planè ex semetipso excellentiæ est titulus Maria. Mirumque est, quod cùm Syriaca & Hebræa diuersæ sint penitùs nationes, linguæque differentes, sit apud vtramque Mariæ nomen idem, ac nomen dominæ. Quoad Hebræam, testantur Epiphan. & Chrys. imo & Rabbi Haccados, Iudæus cùm sit, addens nomen Mariæ inclusum esse in illis Isaiæ verbis: *Multiplicabitur eius imperium.* Quoad Syriacam, Hieron. Isidor. Bed. & Eucher. Nunquam ego te dicam vel vno instanti peccatricem, ô Deipara Virgo! nunquam ancillam, nunquam lapsam. Epiloga.

Maria tam Hebraicè, quàm Syriacè significat dominam.

Epipha. de laud. Virg. Chrys. ser. 142. Rab. Hacc. apud Galat. lib. 7. de arcanis, ca. 13. resp. 7. Hieron. lib. de nomin. Hebr. Isidor. li. 7. ethim. c. 10. Beda lib. 1. in Luc. c. 3. Eucher. l. 2. instructionum.

Conceptio Mariæ gratia plena ex Christi redemptione.

Maria à Christo redempta.

DE EADEM IMMACVLATA B. VIRGINIS CONCEPTIONE.

De libri inscriptione, seu titulo, atque stemmatibus.

SERMO IV.

Liber generationis Iesu Christi Filij Dauid, &c.

Matth. 1. 1.

Ioan. 6. 12.

EDVNDANTES quæque ex diuinis manibus reliquiæ tanta sunt veneratione seruandæ; vt sapida illa fragmenta panis, quo Dei filius multas in deserto turbas refecit, asseruare iusserit discipulos, dicens: *Colligite fragmenta.* Cur non & spiritalis fragmenta cibi impensiori cura conseruentur? Certè cùm B. Bernard. Canticorum librum assumeret explicandum, ne libri quidem titulum omisit, Dominici huius memor verbi: *Colligite fragmenta.* Quanto magis nos, qui genealogialem Christi librum adimus, titulum primò debemus expendere?

Titulus libri generationis Iesu Christi cur Dauidè, priusquam Abrahamè nominarit

Bernardus serm. 5. in Cant.

Vrgens valdè est in propositis Euangelij verbis incitamentum disquirendi, curnam ductus sancto Spiritu Scriptor, humanæ generationis Dominicæ librum ita disposuerit, vt dum titulum eius ex ducta ab Abrahamo, atque Dauide genealogia cõposuit, non Abrahami prius, quàm Dauidis fecerit mentionem; sed Dauidis priùs; cùm posterior hic, ille tempore fuerit præcessor? Quam notam non præterierũt Doctores illi, qui Euangelica verba enucleare

Mariæ immunitas à cõmuni peccatorum tributo, certaq; nobilitas.

cleare professi sunt. Veram quidem causam ordinis huius excogitarunt vnam illam, quam B. Hieronymus auctor primus expressit: eam tamen, quam (quia B. Deiparæ conceptionem minimè contingit) omittentes, congruam conceptioni huic, inclitæq; Mariæ nobilitati, proponendam vobis aliam inuenimus. Quam, & si totam sibi assumat concionem, nequaquam grauem, aut molestam, imò iucundam fore, & acceptabilem speramus. Cùm enim sacer Dominicæ genealogiæ liber hic adeò fæcundus sit, adeò venerabilis, vt nihil in eo sit, nec apex, nec littera, nec tabula, quod non sit sufficiens integræ concionis fundamentum; ea certè nos dispositione digessimus concionem, vt post transactas illas, quas pro libri tabulis, pro folijs, pro atramento prædicauimus; nunc iam pro ea, quæ hodie venit prædicanda, intentos in solum libri titulum, seu inscriptionem oculos conijciamus. Plena quidem concionis materia est, plenæque materia concionis: sed quæ propositam hanc difficultatem, ante omnia, obijcit diluendam; quanam mente Dauidem prius, quàm Abrahamum, proponendum putarit ex diuina inspiratione Matthæus. Difficultatis huius vera solutio, cùm pro certa Mariæ nobilitate exhibeatur, nobilis quidem ipsa est; quam ex vna hac facta ad humanam nobilitatem collatione perspicietis. ordinatus quiuis pro genealogia qualibet scriptus liber hanc, qua Matthæus est vsus, verborum dispositionē (vt ille scilicet, qui inter progenitores minus antiquus est, priusquam præcessor referatur) ita omninò exigit, vt si aliter verba annecterentur, præpostera, noua, dissonaque rationi, & castiganda foret dispositio. Quisquis enim tuam nobilitatem, immunemque à tributo conditionem intendit ex parte progenitorum commendare tuorum, non vtique dicet, te abauo, & patre esse sanguine clarum; sed à patre, & auo, & sic de reliquis, ascendens à proximo ad remotas. Locutionis huiusmodi quæcunque sit ratio, satis nobis est ad scopum nostrum communis vsus omnium illorum, qui de nobilitate sic loquuntur; vt planè nouerimus, vtentem, dum de prosapia loquitur, hac, quæ nullibi extra proprium de nobilitate tractatum congrua loquutio est, nihil penitus aliud in-

Hieron. l. 1. commētar. in Matth. initio.

Nobilitas generis, quibus verbis debeat cōmendari.

tendisse Chronographum, quàm ostendere, se quidem libro hoc de nobilitate Saluatoris tractare, in idque illum dirigere, ac scribere; ac consequenter in matris claritatem, per quam proposita hæc ad filium perducitur linea. Sed efficacius fulcit propositum elegans ipsa locutionis ratio: quam nemo aut labefactare potest, aut reijcere. Ratio hæc vna est; quia nobilitas tota in antiquitate consistit; & quò diuturnior antiquitas, nobilitas maior. Scimus autem ex Rethoricæ præceptis, in sermone quouis, ad affirmandam rem, eamque exaggerandam, instituto, ascendendum esse ab eo, quod minus est, ad id quod maius: alioqui superuacanea erunt verba, quæ exprimunt id, quod sub priori est enuntiatione. Ergo si quis post antiquiorem atauum expressum, vltimum exprimat parentem; ab artis deficiet institutis. Nimirum si affirmet, te ab auo, & patre esse immunem à tributo. Nam vbi ab auo te immunem dixit, à patre quoque immunem te significauit: cùm à maiori in posteros deriuetur immunitas. Qui verò te à patre affirmat immunem, nulla profecto ab auis te immunem insinuat consequentia, nisi & auum quoque expresè nominet: cùm contingat, à patre immunitatem incœpisse; fuisse verò auum sub tributo. Decuit igitur, Dauidem priusquam Abrahamum, in sermonem produci. Si enim diceretur, Christi nobilitatem ab Abraham originem duxisse, perperam quidem adijceretur, à Dauide quoque eam exoriri: imò nihil prorsus diceretur: cùm eo ipso quòd quis sit immunis à temporibus aui, dictum putatur eum esse à parente omninò immunem. Multa lucent alia in hoc eodem libri titulo, quæ, si gratia Dei adsit, propositam Reginæ nostræ nobilitatem elucidabunt. Quam quidem gratiam cùm in eius honorem flagitemus, eidem Deiparæ incumbit sua nobis interuentione eam impetrare.

AVE MARIA.

NObiliſſimi quique ac primarij viri, qui præclari generis, ſtirpiſque ſuæ, ac immunitatis, ad fulgoris oſtentationem facere cupiunt; non ſolùm ſcriptis in libello, ſeu codice autenticis litteris probatam eſſe moliuntur; ſed aureis inſuper, ac colore vario, diſtinctóque emblemate depictis, tum inſignibus, tum litteris belli titulum exornant. Video in noſtri huius libri inſcriptione, ſeu tabulis armigeros duos, quod *Hombres de armas* dicunt Hiſpani, qui in id duntaxat ponuntur in foribus, tabulisve libelli, vt vel ſolis ſtemmatibus perſpectis, ſignati eis viri conſtet nobilitas. *Liber generationis Ieſu Chriſti, Filij Dauid, Filij Abraham*: Quidnam ſunt Dauid, & Abraham in libri huius tabulis, inſcriptionéque ſtatim apparentes; niſi armigeri duo; duo inſignia in libri tabulis graphicè ſculpta, in manifeſtum ſignum nobilitatis, quæ in libro extenſiùs explicatur?

Mariæ nobiliſſimæ à peccato præſeruatio elegãtiſſimis figuris duabus deſignatur.

Elegantiſſimam hanc vtriuſque tabulæ ſculpturam ſpeculemur. Quonam Abrahamum depictum ſæpiùs intuemur emblemate, cùm in laminis æreis, ſeu in tabulis memoranda eius commendatur hiſtoria, egregia facta celebrantur? Tunc vtique ſculptum videmus iuuenem, ſuper comburendam lignorum ſtruem in altari ligatum manibus, inſtantique paratum ſacrificio: ſupra quem alius imminet multa venerandus ſenectute, ignem ſiniſtra tenens manu, gladium dextera, eleuatum iam, & imminentem, quem iam iam ſuper iuuenem vibrat. Sed ſimul depictus eſt Angelus; qui deſcendentem iam ſuper iuuenem gladium, vibrantiſque manum Abrahami prouidus cohibet, ac detinet; ne ſubiectum Iſaac percutiat, aut lædat. Videmus inſuper ibidem ſimulatum. *Arietem inter vepres, hærentem cornibus; quem aſſumens* Abraham *obtulit holocauſtum pro filio.* Hæc eſt alterius tabulæ figura, ſeu emblema. Gen. 22. 13.

Abrahami ſacrificium quid myſtic.

Nunc tabulæ alterius picturam videamus. Quiſquis imaginibus repræſentatam in tabulis Dauidicam aſpexit hiſtoriam; hanc ſe inter alias meminerit vidiſſe pictu-

ram. Adsunt Rex Saul, & sanctus Dauid in eadem dissimiliter tabula: ille furens, & frendens nequissimo contra Dauidem Spiritu inuidiæ; hic mansuetus, & benignus: ille tenens lanceam manu sua; citharam hic, siue psalterium, quo suauissimè psalebat: mittens ille lanceam in Dauidem; hic declinans ab ea, subtrahens nimirum versus latus vnum corpus suum, ita vt pergens hasta, fixa hæreat parieti. Littera textus sic se habet. *Innasit Spiritus Dei malus Saul; Dauid autem psalebat manu sua. Tenebátque Saul lanceam, & misit eam putans, quòd configere posset Dauid cum pariete: & declinauit à facie eius.*

1. Reg. 18. 10.

Sculptæ duæ hæ in duabus his tabulis historiæ quidnam designent perscrutemur. Dicetis vos, in tabula prima humilem valde obedientiam commendari; tum ex parte Abrahami, qui iubenti immolationem filij vnici Deo, absque mora vlla obtemperauit; tum immolandi Isaac, qui & parenti Abrahamo, necis executori, & præcipienti Deo promptissimus paruit, patiens se absque vlla ligari resistentia. Ex parte vero Dei peruigilem ostendi prouidentiam; qui cum ad extremum vsque expectet agonem, in vltimo ipso prouidentissimus subuenit, in pium valde testimonium charitatis, qua in spirituali hominum pugna, tunc demum afflicto succurrit athletæ, cùm in sæuis iam satanæ manibus esse videtur. Beati Gregorij verba sunt ista: *Electum suum Dominus castodiendo deserit, & seruando custodit; vt sic & seruus humilis proficiat, & hostis succumbat. Idem ergo in manu Dei est, & diaboli.* Ad hæc ex parte arietis, vepribus implicati, sacrum redemptionis humanæ mysterium figuratur: quatenus æternæ mortis gladius, qui ligato peccatis homini imminebat, super innoxium agnum, Dei Filium, temporali cecidit nece: ardentissimúsque ignis, comburendo in æternum peccatori, quippe super arida peccatorum ligna sedenti, præparatus eundem agnum in ara crucis positum, per horas aliquot torruit. Summum quidem, fateor, historiæ emolumentum, genuináque est interpretatio. Ad alteram ergo historiam properemus, quæ Saul, & Dauidem repræsentat.

Prouidentia Dei erga suos relinquit eos aliquando vsque ad vltimum agonem: vt succurrens illis eo instanti, magis eluceat.

Gregor. li. 3. moraliū. cap. 1.

Quidnam in Saulica hac, & Dauidica simul commen-

Ambitio facit hominem homicidam quatenus faciens metuentē, quòd à multis poteſt dilecta pelli dignitate; curat de medio tollere eos omnes quos ſic ſuſpectos habet.

datur hiſtoria? Horrenda quidem malorum congeries, quæ ex dominandi libidine oriri ſolet. Talis certè eſt, vt vel eos homines, quos ad ipſius imperij, vel adeptionem, vel conſeruationem fautores habent, odiſſe ſoleant, ac delere, regnandi quique auidi Principes, fundamento nullo metuentes, quòd qui regnum eis valuerunt tradere, aut ſubijcere; poſſint ſimiliter auferre. Nulla quippe alia Saul cauſa adeò vehementer perſequebatur Dauidē, præter vnam hanc, quòd videret cum adeò validum, vt Sauli ipſi regnum conſeruaret. Multa de Romanis Imperatoribus multis in propoſitum afferri poſſent: ſiue quòd Tyberius plures morti addixit hac de cauſa; ſiue quòd adiutores imperij ſui Macronem, & Enniam non alia ſpecie Caius trucidauit, vt Suetonius eſt auctor: ſiue quòd, vt ipſe Tranquillus commemorat, adeò facilis fuit in perimendis ijs, à quibus per inſomnia videbatur inuadi Claudius Cæſar, vt hanc eius tyrannidem videntes, quotquot de hoſtibus ſuis vindicari cupiebant, dicerent Claudio, ſeipſos in ſomnijs conſpexiſſe, ab illis eum hominibus corona priuari cum vita. Quidnam auidiſſimus Dominandi Saul in humili valde Dauide conſpexit, quo ratione aliqua vereri poſſet, ab illo ſe Regia eſſe pellendum poteſtate; niſi vnam illam fortitudinem, qua periclitans ipſius Saulis regnum liberauit. Præſertim cùm Gigantis, quem occiderat, caput, reportanti proceſſerunt obuiam, *Egreſſæ mulieres de vniuerſis vrbibus Iſrael, cantantes, choroſque ducentes in occurſum; & præcinebant mulieres ludentes, atque dicentes: percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia.* Tunc enim ait textus: *Iratus eſt Saul nimis; dixitq́, quid ei ſupereſt, niſi ſolum regnum? Non rectis ergo oculis Saul aſpiciebat Dauid à die illa; tenebatq́ Saul lanceam, & miſit eam, putans quòd configere poſſet.* Nec ſimile facinus occaſione ſimili, liuore correpti prædicti imperatores, alijque multi non perpetrauerunt. Nam & prædictus Caius Cæſar, nulla alia ex cauſa, alioue incitamento occidit Ptolœmeum, quàm quod dum Caius ipſe in ſpectaculis luderet, ingreſſus illuc elegantia florens Ptolœmeus, omnium ad ſe oculos conuertit. Quam ne illi necem inferret, minimè obſtitit, quod Caius ipſe vocaſſet ad ludos Ptolœmeum: nec quòd eſſet eius

Tyberius priuauit vita quoſcunque potentes agnouit, à quibus imperio priuari poſſet.

Sueton. in Tyberio. cap. 60 61. 62. 63.

Dominandi libido homines facit homicidas.

Sueton. in Caio Cæſare ca. 26.

Caius Cæſar priuauit vita fautores ſuos, quòd potentes videret, à quibus imperio priuaretur.

Sueton. in Claudio. cap. 37.

1. Reg. 18. 6

Claudij Cæſaris tyrānide trucidati qui inter sōnia ei coronā priuare videbantur.

Caius Cæſar nimio ambitionis liuore interemit Ptolœmeum.

Sueton. in Caio Cæſare c. 35.

consobrinus. Præterea ex parte Dei non minus in hac, quàm in prædicta Abrahamica historia, admirabile lucet prouidentiæ consilium, quo innoxium Dauidem tum in hac, tum in alijs sæpe mortis machinationibus de fortissima impij Saulis manu iam iam comprehensum liberauit. Et (quod miror magis) cum fortissimus omnium esset Dauid, posséetque pugnando se defendere: minimè quidem suis vsus est viribus, sed timore potius; timore (inquam) Dei, quem ob oculos habens, nunquam voluit infestissimum hunc inimicum discerpere, vt sæpe textus expressit: sed solo se Dei timore protexit. *Per timorem Domini declinat omnis à malo*: non quidem ab illo solo malo, quod ipse posset peccando committere; sed ab eo etiam, quod alij contra eum peccantes machinantur. *Declinauit Dauid*, verba sunt textus; actus est, metuentis declinatio; at cum timor hic sit Dei timor; liberat sanè sic timentes, multo securius, multóque glorioſius, quàm corporalis fortitudo.

Timor Domini liberat hominem nõ solum à crimine admittendo; sed à malis etiam temporalibus.

1 Reg. 4. 4. 26. 7.

Prou. 5 27.

Hasce auditores historiarum expositiones, intellectum hunc, fructus istos haurient, & seruabunt. Fateor & ego: genuinus planè intellectus est, proprius litteræ fructus: sed quoniam veneranda sacrarum eminentia scripturarum ea à cunctis agnoscitur, vt præter litteralem textus intellectum, mystica quoque fulgeat doctrina, & ea quidem figuris multis designata; audiant nunc adstantes. quàm præclarè duabus his duarum figuris tabularum immaculata Beatæ Virginis Conceptio, eiusque immunitas, nobilitas, & gratia designetur. Tabulam primam, in qua nempe Abrahamus, & Isaac sunt sculpti, videamus.

Quidnam designat filius iste senis Abrahami, super lignorum congeriem constitutus, manibúsque ligatus; dum pater eius & gladium vibrat, & ignem habet manu? Nulla quidem aptior originalis maculæ repræsentatio? Etenim cum primus omnium parens Adam vetitum arboris fructum manducauit: non solus ipse esu illo deliquit; sed filium etiam quemque obnoxium fecit ei, qua ipse damnatus est culpa, cumque turpiter infecit peccato illo, quod in Adamo ipso, cum actuale fuerit deli-

Peccati originalis figura, seu similitudo notanda.

ctum, fuit mortale quidem, inducens gratiæ, visionisque beatæ priuationem, horrendámque insuper sensuum pœnam, ac tormentum in filio autem quouis, cum non fuerit actu à se commissum, sed ab ingrato transfusum parente, quamuis mortale sit, vt quod gratia hominem, & beatifica priuat visione; nullam tamen sensuum inducit pœnam, nec dolorem. Nihilominus dum iustitia hominem, Adæ filium priuauit originea, quæ omnes eius partes, atque potentias sufficiebat ordinare; reliquit sanè eum actualibus expositum noxis, quibus tametsi in parato peccatis igne non sit; est proximus illi, faciléque labilis in illum, vt præter crebra misera experimenta, diuinæ indicant Scripturæ. Vnde quisquis originali peccato infectum hominem, figura velit apta simulare; sumat multa ex illa, qua Adam peccauit, arbore ligna, & super ea talem eius filium ponat; siquidem dum pater fructum manducauit; filio ligna arboris reliquit, super quæ constitutus est quidem sedens super tot ad peccandum dispositiones, quot sunt ligna. Sic aptè filium simulabit: dummodo simul depingat parentem, ferreúmque in manu eius gladium, quo filium, dum deliquit, sauciauit. Verba Pauli sunt ista: *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* Ecce Pater vnus filium quemque & temporali perimit, & morte miserum æterna, ferreo peccati gladio, quo deliquit. Additur emblemati huic, seu hieroglyphico stricta ex parte filij ligatio; in manu parentis incentiuus ignis. Hunc quippe portabat Abraham ac congestorum lignorum incendium, quo immolatus Isaac vrendus erat; qui super ligna refertur ligatus. Quid mysterij? Certè primus ille hominum parens, dum & sibi ipsi, & filijs suis originalem amisit iustitiam, vrentem peccati fomitem excitauit, quo in lignis dispositionis carnalis flammæ exardent peccatorũ. Hæc enim est communis Patrum loquela, seu phrasis, cum de originali loquuntur peccato. Est namque fomes hic procliuitas quædam naturalis ad malum, à qua continebat hominem originalis iustitia,

Simile.

Rom 5. 12.

Fomes peccati quidnam sit.

S. Thom. 3. part. q. 27. art. 3. Albert. Magn. in 3. dist. 3. a 6. Bonau. 3. dist. 3. parte 1. a. 2 q. 2. Doctores in 3. dist 5. Valent to. 4 disput. 2. q 1. punct. 4.

ne ad peccata propensus, sanctis prompte, & suauiter actibus incumberet; tametsi radicalis ad peccandum appetitus permaneret. Hæc dicunt Theologi. Quæ ergo aptior nominatio vrgentis huius procliuitatis ad illicita, quam si peccati fomes nominetur? Etenim sicut frigidum lignum aptum est, in quo flamma ignis accendatur, paulatim tamen, temporéque non modico, eo quod frigiditas resistat; cum autem titio est fumiganti illa ignis reliquia, quæ ex dudum extincta flamma relinquitur, vix igne ei admoto, protinus accenditur: ita naturalis hominum appetitus ad malum, dum originali in eo viget iustitia, quamuis capax sit, qui flammis peccatorum incendatur; non tamen promptè neque maximè, eo quod originalis obsistat iustitia: at ista peccato iam expulsa, fumigans manet appetitus, eoque semi accensus mali fomite, quem extincta iam peccati, iam extincti flamma reliquit. Erat quippe originalis illa iustitia benignus quidam ros, omnia passionum ligna irrorans, ac temperans. *Simile.*

Illa verò Isaac super ligna positi ligatio miseram illam constrictionem significat, qua infelix Adæ filius grauatum valde, & ad omnem se bonam operationem ligatum ferè manibus videt. Publica est deflentis Apostoli confessio. *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Nonne videtis fere ligatum manibus hominem? Alioqui audite rursum eundem clamitantem. *Velle adiacet mihi; perficere autem bonum, non inuenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio; sed quod odi malum, hoc ago.* Nec tamen hinc inferri licet, hominem quempiam ad bona opera esse impeditum: quoniam & si grauedo hæc, ac impeditio reliquia sit originei peccati: adest tamen cuique sufficiēs auxilium, ad vincula ista disrumpenda; vt ipsemet adijcit Apostolus, dicens: *Infœlix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei.* Est verò vlterius aduertendum, sculpturam hanc, qua cum quouis filio simulatur Adamus, ita formari posse, & quiuis alius naturalis pater cum genito suo depingatur.

Rom. 7. 22.

Rom. 7. 18.

Rom. 9. 24.

Nam

Nam ex quo Adam crimen illud ſuum traduxit in poſteros, ita illud tranſit, & graſſatur, vt ex iſto in hunc, & ex hoc in alium deriuetur. Itaque aptiſſima hæc, qua Abraham & Iſaac repræſentatur ſculptura, congruam certè repræſentationem oſtendit peccati illius, quo pater quiuis filium interficit, ac inficit, dum gignit. Inferunt vlterius ex diuinis his ſcripturis Theologi duo hæc, quæ ex infecta oriuntur origine; alterum debitum peccati, ſeu quòd genitus homo ſit obnoxius peccato; alterum vulnus ipſum, quod criminis ferro genitor infligit. Nunc iam mirabilis quædam Abrahamicæ huius tabulæ additio conſideranda venit: inſtantanea nempe gladij repreſſio, qua ſuccurrens Angelus, irruentem Abrahami manum compeſcuit, ne ſubiectum gladio filium interimeret. O puriſſima Virgo! ô immaculata? ô præclariſſima? Cernis triſtem hanc quam oſtendi picturam? Cernis hiſtoriam? Cernis tabulam? Hanc ſi aduſque perſpicias ad ſæuam vſque vulneris inflictionem; neutiquè infectum, omnéſque repræſentat, atque contingit auditores. At ſi prouidam hanc ab Angelo factam enſis cohibitionem ſpeculeris; prouidiſſimam conceptionis tuæ præſeruationem, immunitatémque diſpicies. Vtique ab vna te repulſus eſt ineuitabilis hic ictus, qui pertranſiit in omnes; *& ita in omnes homines mors pertranſiit;* vt in propoſita hac repræſentatur figura, vt vnica tua figuratur Conceptio. Sicut enim Iſaac intuemur ligatum, ac ſuper aram poſitum & ligna irruentiq; ſubditum machæræ: ita quidem, ô Domina, eo quod Adami filia ſis, à parentéque genita mortali, vulneri videris obnoxia, contrahens nempe commune hominum debitum, vt gladio deberes ſauciari; vt quæ ſuper communem lignorum congeriem ex ipſamet fueris Conceptione diſpoſita, manibúſque ligata, ne gladium valeres cohibere. At, eſto, tam acuto fuiſſes ſubdita gladio; tam tremendo peccato obnoxia, quod ego minimè definio; id tamen vnum ex propoſita hac me exhilarat hiſtoria; quia ſicut in ipſo percuſſionis inſtanti repreſſor gladii Angelus ſuccurrit, qui Iſaac ab ictu liberauit & nece; ita profectò, ô alma Deipara, in ipſomet Conceptionis inſtanti, cum acutus enſis ſuper te deſcendebat, vt communi læderet interitu, prouidus Angelus, non vulgaris certe, ſed ipſemet magni conſilii Angelus, vnige-

Peccati originalis debitum.

Suar. 3 part. q. 27. diſp. 3. ſect. 2.

nitus tuus, quem postea eras genitura, succurrit velociter, ictumque retundens compescuit, ac cohibuit. Facta vero in ariete vulneris executio; susceptam à diuino agno, filio tuo, significat necem: qui sicut pro illa, quæ filiis Adæ ex inflicto iam peccati vulnere imminebat æterna, in se tẽporaneam suscepit; ne inflictum iam nobis maneret in æternum: ita te vnam præseruauit, ne vel vno gladius noceret instanti. Nam & te à Christo confitemur redemptam: sed eo modo, quo imminens gladius Isaac, occidit arietem, intactum relinquens Isaacum. Facit huc mirabiliter, quod illa Isaac indemnitate, tua figuretur; qui in eo etiam tuam figurauit Conceptionem, quòd à senibus valde parentibus fuerit conceptus, prænuntiante Angelo, post longum parentum desiderium, quo ventris sui fructum exoptabant. Quæ omnia, cum tuæ altius congruant Conceptioni; mirabiliter iuuant, vt prædicta hæc Abrahami & Isaac repræsentatio congrua omnino sit tuæ figura Conceptionis. Accedat versiculus ille Psalmi 143. *Redemisti Dauid seruum tuum de gladio maligno.* Ecce redemptionem vocat eam, qua quis à gladio ante ictum liberatur; quo plane constat, protectionem hanc, qua ab irruente peccati gladio erepta est Maria nostra, verè esse redemptionem. Quæ ideo à Patribus præseruatiua appellatur redemptio, Dionys. & August. cum Theologis.

Maria à Christo verè redempta tũ sit immunis à peccato.

Psal 143. 10

Dionys. de diuinis nominib. c. 4. Aug. in Psa. 85.

Venio ad tabulam alteram, in qua Dauid cum Saule depingitur. Quemnam repletus malo spiritu, furens, frendens, inimicus repræsentat Saul, lanceam mittens in Dauidem; nisi malignum hominum hostem, qui torrido inuidiæ ardens liuore, rabidus, fremens, contabescens, lanceam in homines contorquet, dum originali feriuntur peccato; eamque conto tenus infigit, dum stimulat eos, ad omne genus flagitiorum? Quem vero Dauid ab ictu, & lancea ereptus designat, nisi B. Mariam; quæ cum communi ictui videretur exposita, dum Conceptionis tempore peccati debitum contraxit (si vere contraxit, nec iactum lanceæ præpediit) eo tamen instanti, quo corpus vnitum est animæ, declinauit ab ictu, subtrahens se ad latus alterum, vt lancea, casso vulnere, transiret. Illud namque verbũ, declinauit, nihil aliud designat, quàm celerem ad latus vnum corporis subtractio-

nem, ne à missa lancea læderetur. Cum enim purissima hæc Deipara virgo duo habeat latera, alterum ab ea parte, quæ est Adami filia; alterum, ab ea qua est Dei mater; ideo instanti illo, quo lancea in eam directa est subtraxit se velox à latere illo, ex quo est Adæ genita, inclinans in alterũ, quo erat Dei genitrix futura. Maior enim est vis, tam boni esse filij parentem; quàm mali parentis esse filiam; etiam si actu filia sit; non actu mater, sed certa assignatione, & electione. *Natura gratiæ cedit, ac progredi non sustinet: quoniam ita futurum erat, vt Dei genitrix ex Anna oriretur*, ait B. Damascenus. Damasc. de Dei genitr. natiu. Orat. 1. non lõge à principio.

Hęc duo sunt, quæ in duabus libri nostri tabulis depinguntur stemmata. Inter quæ scriptus est aureis litteris titulus nominis Iesu: Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham. Quæ cum primum disertus quisque viderit; facile quidem agnoscet, librum hunc pro nobili à vectigalibus immunitate descriptum; & si ad legendum ea, quæ intus scripta sunt, minime procedat. Nam & in humanis voluminibus, in quibus aliqua huiusmodi cum inscriptione insignia fulgent, parum versatus in curia esset ille, qui videns in titulo litteras aureas, distincta coloribus stemmata, quibus solum dicitur, liber, seu probatio, ac executoria Domini Claudij, pergeret vltra inuestigare, quæ intus scripta sunt, quasi nondum sibi satis sit factum, donec extrema ostendatur sententia. Imo dum tibi Claudius suæ ostendit nobilitatis libellum, asserens; ecce, vide, & crede; tunc vtique si disertus es tu, viso huiusmodi titulo, dicis ei: sufficit, Domine: sat quidem est, elegantissimum hunc titulum vidisse, quin libellum pandi, necesse sit. Nisi forte cum Claudio litem geras, pro qua expedit tibi, ne nobilis sit; aut regiorum sis vectigalium exactor. Numquid nos, qui ad Mariæ festum conuenimus, aliquam cum ea litem gerimus, pro qua nobis expediat, vt tributis illa obnoxia sit; vt scripturæ librũ pro discutiẽda eius immunitate perscrutemur, cũ titulũ libri tam sũptuosis ornatũ videamus figuris: *Liber generat. Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham*? Quasi non conducat magis nobis, vt in genere nostro, nostráque prosapia, nobilissima prorsus inueniatur Regina, quæ Angelicam excedat dignitatem. An es tu diuini fortè Regis pro tributis exactor, vt

Simile.

origineas nobilium maculas incumbat tibi perſcrutari? An verò homo adeo à curia remotus, qui magnifico iſto in tabulis titulo perſpecto, nondum immunitatem fatearis, donec ſcripturæ reuoluas proceſſum, executoria iudicis ſententiam perquirens?

Mariæ immunitas à peccati originalis tributo ideo non expreſſe omnino affirmatur ſcriptis, quod ſufficiat vbique nobilitatis notorietas.

Sed eſto, quis veſtrum vrbanitatem velit offendere, ne in ſcrutinio ſiſtat ex ſola tituli inſpectione: certe cum res notoria eſt, nota nempe viri, fœminæve nobilitas; nemo quãtumuis invrbanus, & rudis, eam audebit diffiteri, ſi vel ſola in foribus intueatur inſignia; imo nec inſignia videat in foribus, ſed ſolam perſonæ dignitatem. Si quando regiorum vectigalium exactor aliquis, vel miſſus pro alieno ære à iudice ædilis, domum viri primarii, ac nobiliſſimi, regia tributa exigere ingrediatur, aut pro contracto debito equum viri, vel arma deferre, ſeu deponere: dabiturne huic oculis inſpiciendum nobilitatis inſtrumentum, ſeu libellus, vt legat regiam immunitatis ſententiam? Imo nec adſpiciendus deforis exhibebitur titulus: eſtque omnino indecens tanti viri dignitati, ſi vel ſolum libelli inſcriptionem pro defenſione ſua manifeſtet; quaſi nulla eſſet ſuę nobilitatis notorietas. Quid igitur facit huiuſmodi vir? Dicat profecto ad exactorem; Heus tu, noſti, quam intraueris domum? Sciebas me huius domus eſſe habitatorem? Dictum eſt tibi; cuiusnam ſint ædes iſtæ, quas ingredi non es veritus? Per ſalutem meam, ſi ſeruos accerſero, faciam te lignorum ictibus pelli, donec oſſibus totus conteraris. Abſterret adeò vehementer miſerum vectigalium miniſtrum huiuſcemodi vir, vt nil aliud valeat reſpondere, quàm vt dicat; Ignoſce, Domine, non enim ſciebam, domum hanc, domum eſſe tuam. Si ergo primarius quiſque vir tam proprium ſui putat honoris, vt ad ſuę nobilitatis cognitionem libellus nullus, nullum exhibeatur inſtrumentum, ſed ſola ſufficiat notorietas, vel ex ſolis his, quæ in foribus domus ſculpta ſunt ſtemmata, vel ipſa viri dignitate, & ſi nulla in foribus ſculpantur inſignia: quænam patitur ratio, quæ lex, quæ vrbanitas, quis vſus, vt ad cognoſcendam illuſtriſſimæ Virginis Mariæ immunitatem, nobilitatem, claritatem, affirmet quis, debere hanc in proprio nobilitatis libello, nempe in bibliorum libro, ex Dei eſſe commendatam ſententia; cum adeò ſit illuſtris noto-

rietas non solum prædictis his insignibus, sed etiam, & hoc multò magis, ex eo, quod regis mater exprimatur verbis istis; *Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus?* Nihil profecto notorium magis in iure, quàm plena Augusti libertate gaudere Augustã: tametsi hæc ex Augusti gaudeat priuilegio. *lege trigesim. prim. ff. de leg. & Senatusconsultis 10. ti. 5. lib. 1.* Itaque *Matri plenitudo gratiæ debebatur*, vt ait B. Cyprian. Si debebatur; notum vtique est, hanc ei impensam plenitudinem; cum notum sit, numquam Deum deficere in his, quæ sunt debita: Suppositio primo gratiæ gradu, qui minime debitus impendit.

Lege 31 ff. de legib. & Senatusc. lib. 10. tit 3 li. 1. Matth. 1. 16.

Cypr. tract. de cardinalib. Christi operib. ser. de Natiuit.

Audio aliquos dicentes, eo instanti, quo Maria concepta est, nec eam fuisse Dei Matrem, nec vlla insignitam dignitate. Sed dicãt mihi ij, tributone iudicarẽt subiectam virginem illam, quam Rex habet electam, vt vxor eius sit, suorumque mater filiorum; etiamsi nondum sit in sponsam assumpta? Textus expressus est; *electio dat ius. lege sancimus Cod. de Senatoribus.* Habet electa ius, quamuis nondum sit vxor, neque mater? Quod si dicere audeãt, puellã hanc in primo illo Conceptionis instanti non solum non fuisse matrem, nec sponsam; sed nec electam in Dei matrem; absurdam profecto sententiam pronuntiarit, quisquis talem dixerit sententiam. Omnes enim, quotquot in filios adoptauit Deus per diuinam gratiam adoptionis, eos profecto, antequam gignerentur, elegit, vt præstituto tempore amicos faceret, & filios. Textus est expressus ad Ephes. *Elegit nos in Christo ante mundi constitutionem, vt essemus sancti. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ.* Si adoptiuos filios ante conditum mundum Deus, vt essent filij prædestinauit, ac elegit; quanto magis naturalem matrem ante conditum mundum elegisse in id, vt esset mater, æstimandus est? *Missus est Angelus ad Virginem, nec nouiter, nec fortuito inuentam, sed à sæculo electam, ab altissimo præcognitam, & sibi præparatam*: ait Bernardus. Si ergo ante conceptionem, mundique formationem fuit electa Maria, vt esset mater; quisnam dicat, quod electa iam, in ipso Conceptionis instanti, & caruerit gratia, & cõmuni fuerit tributo subiecta? Id certè omnino est dissonum rationi.

Lege Sancimus C. de Senatorib.

Ephes. 1. 4.

Bern. homil. 2. super missus est.

Non fuerit parum vtilis proposito celebris illa, quæ in Hebræorum foribus est signata stemmatum rubrica, qua à communi sunt clade liberati. Cum enim Dominus vltorem in omnem Aegypti communitatem, cœlicum Angelum mittere pararet, qui nudo ense vniuersas Aegyptiorum percurreret domos, omnia quæ eorum primogenita necaret; præuenit electos Israelitas, vt legalis agni cruore ædium suarum postes insignirent; vt vltor ille Angelus domos illas præteriret intactas, in quarum foribus eam rubricam intueretur. Exod 12.23 *Transibit enim Dominus, percutiens Aegyptios: cumque viderit sanguinem insuper liminari, & in vtróque poste, transcendet ostium domus, & non sinet percussorem ingredi domos vestras, & ledere.* Si ob id solum, quòd ex illa Hebræorum progenie filius Dei erat nasciturus, tantæ fuit Deo curæ seruandi eos à communi exterminio, ferreóque gladio, iubens eorum fores insigniri sanguine agni, qui in eum finem necabatur; vt illius cruore regalia Christi stemmata cælarentur in portis saluandorum: quanto ardentiori cura credendum est, matris suæ ianuam (quæ Conceptio est, qua intrauit in mundum) pretiosiore insignijsse sanguine diuini illius agni, Christi Iesu, quem typicus ille figurabat? Quantonã diuina hæc ipsius Dei mater proximior erat Deiparens, quàm quiuis illorum antiquorum, quorum tantam Deus gessit curam? Et quidem in propositum hoc non parũ profuerit, si vtriusque textus conferamus sententiam, huius nimirum, quo Hebræa prosapia à communi narratur gladio liberata, & Paulini illius, qui peccati gladio homines omnes dicit corruisse. Etenim verbum transeundi, quo nempe gladius pertransijt vniuersos, adeo est in vtróque notabile textu, vt tota historia atque religio transitus à Deo nuncupetur. Vndenam? nisi ex eo, quod pertransiens gladius à domo in domum Aegyptiacam, Hebraicas ædes pertransiuit illæsas. Verba Domini sunt ista. Exod.12.26 *Cum dixerint vobis filij vestri, quæ est ista religio? dicetis eis; victima transitus Domini Dei est, quando transiuit super domos filiorum Israel in Aegypto, percutiens Aegyptios, & domos nostras liberans.* Verba autem Pauli sunt hæc: *In omnes* Rom. 5.12. *homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Ecce verbum, pertransiit, vtrobique præcipuum est vt primus ille transitus, certa huius figura noscatur.

Non me latet rationi huic opponi posse, roseũ diuini agni cruorem tunc hominis ianuam insignire, cum infunditur ei per baptismũ; transitũque illum temporalẽ propriã fuisse figuram transitus huius, quo æternæ mortis ferrum eos trãsit illæsos, quos tam pretioso inuenit sanguine notatos. Quem transitum Cõceptioni aptari posse, omnino difficile videtur. Sed enim purissimus hic seruatoris agni nostri cruor, quamuis in nemine inueniatur, donec baptismate infundatur in animã, si de communi loquamur instituto; est nihilominus vnica Mariæ præeminentia, quòd ipse eius sanguis, quo cõcepta est, ipsiusmet agni sit sanguis; siquidem sacer ille, quo viuit sãguine Dei filius, quẽq; ad imprimẽda nostris insignia foribus effudit, ille ipse fuit, qui conceptionis tẽpore erat in Maria, à qua ille sanguinem accepit. Quod si eo tẽpore nondum erat diuinus sanguis ille, nec in redemptionis pretium erat fusus, nec oblatus: fuit nihilominus sufficiens, ad hoc, vt reuerenda essent insignia guttę sanguinis illæ, quæ sanguis Dei futurę erant, vt ex tunc iam quicumq; eas cerneret vltor, facta trãsiret reuerentia, ex respectu ad illã, quæ postea erat sãguine illo faciẽda hominũ redẽptio. Quod negare potest nemo, etiã exijs, qui Cõceptioni huic immunitatẽ non cõcedũt; cũ etiã hi factã in matris Virgini huic plenissimã sãctificationẽ fateãtur; ac ex cõsequẽti, posita Mariæ Dñici sãguinis insignia, quo ibi fuit sãctificata; cũ nõdũ esset baptismate abluta. Non grauabor opponere ipsi mihi quod aduersũ nostro apparet instituto; vt firmior ex obiectionis dissolutione appareat veritas. In consũmata quauis pictura, seu effigie etiã ferro sculpta, vmbræ sunt aliquæ: alioqui minime perficietur effigies decuit ergo, vt in pulchris his Mariæ insignibus obscura aliqua vmbra intermisceretur, vt inter vmbras candor esset lucidior. Hanc mihi obiectionem opposuerim in gratiã eorũ, qui, vt se Mariæ ostẽdant defẽsores, affirmãt quòd eius gratia, atque nobilitas, si post deletã maculam superuenit ei, nitidior fuerit, ac illustrior, quam si nulla præcedente labe infunderetur. Sed vnum id à deuotissimis his deuotè quæram. Si Dominus Deus committeret eis, vt matris suæ vitam ordinarent; sinerentne, tetra prius eam infici macula, quàm gratia affici splendenti, an candida potius à principio imbuerẽt gratiæ claritate? Te defẽsor

Macula semel homini impressa, quantumuis ab eo funditus deleatur, non tamẽ ab hominum memoria.

Mariæ, qui me audis, vt respondeas, quid faceres, vrgebo. Dicesne, facerem, vt fœtida prius sordesceret macula? Non vtique credo, te dicturum. Consule pectus tuum, animum consule; inuenies sane plenum desiderio auertendi à Maria quidquid obscurum est, quidquid ignobile, quantumuis possit superueniente deleri candore. Consule item perspectissimum illum prudentiæ promptuarium, magnum Senecam; à quo hæc accipies verba: *Si possent homines sibi facere sortem nascendi; nemo esset humilis, vnusquisque fœlicem domum inuaderet.* Si ergo Dei matrem absque macula à te in ea occasione faciendam fuisse (quod de tua pietate iudico) concedas; cur, rogo, faceres, ne Dei matrem litura contingeret, quam ei plane maiori fuisse dignitati contendis? Sanè impressa semel macula quæque quantumcumque efficacibus deleatur instrumentis, sui tamen memoriam tenacem prorsus conseruabit.

Senec. de sent. Orat.

Pater, hominum immortalis est infamia;
Etiam tunc viuit, cùm esse credas mortuam.

Plaut. in pers. Scena. quæres.

Si vel vnico fuisset B. Virgo maculata puncto, seu instanti; quis dubitat, eam labis memoriam perpetuo fuisse permansuram, quamtumuis superueniente gratia, ac celsitudine? Scimus, multis in locis post finita verni temporis poma, Hyemalia quædam poma succedere, quæ Hispani, *Peros*, appellamus, vernorum dulcedinem supplentia. Fateor, B. Virginem, etiamsi aliquando acris saporis pomi illius scientiæ fuisset particeps, potuisse ita purificari, vt nullus iam in ea esset sapor pomi illius, quod omnes nos quotidianis sapimus actionibus: at nihilominus post vrentem illam peccati æstatem tenax quædam, succederet hyems; & in ea aliquis pro pomo illo fructus, nomine, *Pero*, cuius sapor maneret, si non in ipsa intus Maria, saltem in ore Satanæ, qui suaui se delectatione iactaret, ipsam Dei parentem aliquando sibi fuisse subiectam, suisque in manibus statutam; imo eius ancillam, sicut cæteras. Quo fructu in ore eius posito summe oblectaretur, blateraretque ac garrularetur de tanta iactabundus dignitate. Nec illo res vacaret periculo, quo & auersi filio Virginis homines, minusve ei affecti, seu deuoti, huiusmodi fructum ore tenerent, ad promouendum illum ore suo, in recordationem,

Simile.

Sabemos que en muchos lugares de Europa, y otras partes despues que passa el verano y se acaban las manças nas, succeden en su lugar vnos peros imbernizos, que suplen por el las sufficientemente. Yo quiero conceder que aiũque la Madre

recordationem, quòd Deiparæ ipsa Adami pomum aliquando, vt reliqui, gustasset. Accidit sæpe, (omnes testes estis) vt amicarum cuneus fœminarum in dulcem comiter confabulationem conueniat, qua nobilissima, ac honestissima Aurelia casu venit in sermonem. Hanc miris Agnes effert encomijs, nihil illustre, nihil magnum præteriens, quin ei vndelibet attribuat: quid tunc asserit Liuia? Ita quidem est; nec quisquam poterit, vel minimum ei æstimationis suæ punctum iuste detrahere. Est absque dubio nobilissima genere, modestissima verbis, vita irreprehensibilis, verumque fœminis pudicis exemplum: Tamen. Ecce, tamen, amici, quod omnia verbo vnico eneruat encomia. Ecce tabificum tamen, quod *Pero* Hispanè vocari dixi; cuius sapor in ore murmurantium, in ea fœmina, contra quam ore sumitur, venenum est. Sumitur ore suauiter pomum, & aliena dulciter mordetur fama. Quidnam est, Tamen, istud? Ipsamet, quæ dixit, tamen, Liuia, illud sponte absque stimulis edisseret. Est quidem, ait, Aurelia hæc pluribus adhuc, quàm dicitis vos, absoluta virtutibus, ac numeris: tamen aliquando, multis retro abhinc sæculis, nescio quæ in quemdam ex atauis eius tetra cecidit macula, quæ ne toto quidem fluuij torrente vnquam abluetur. O dulce, Tamen! Quid sequitur hinc? Cras in alio cuneo, seu confabulatione dicet Maxencia: intolerabilis est tanta Aureliæ præsumptio, ac ex-

Simile.

de Dios vbi era pro bado el sabor de la mançana de Adam contrayendo el peccado original; puditra su hgo purificar la tan enteramẽte, que no quedara en ella sahor alguno de tal fructo, ni se echara de ver en su persona rastro de peccado: mas concordo esso, ninguno me podra negar, que epassado el estio del peccado original, yllegado el ybierno, en que aquel fomes peccati estubiera apagado, que dara en lugar de la mançana vn pero imbernizo, y a que no en la misma Senora, a lo menos en las vocas de los hombres, y por lo menos en lader e nemigo, que cona que el Pero se sabor corra, y se jactara de que en algun tlempo fue su esclaua, gestuuo de baso de su dominio la que es madre del Rey del cielo, y de la tierra. Estan en conuersacion en vn estrado media dozena de Senoras, y viene à caso à platica Aurelia: pobre della, ausente, y en vocas des occupadas? Qual saldra del la bildo (Comienca la Senora Doria Ines à dezir marauillas de la nobleza de su linage, de su discrecion, de su prudencia, de su admirable honestidad, de su modestia, y compostura: que respondera Liuia? Por cier to que todo esso cabe enessa senora, y mucho mas; y que por mucho, que se diga de sus requisitos, nunca sed iracodo loque mesce, Pero, Pero? Nodico yo? He à qui el Pero, que con vna breue pa la brica de Iarreta el honor, que estaua enpie. Vn Pero que si en do dulce en la voca de las que Lotoman en la lengua para pronunciatio; es veneno para la otra pobre, de qui en se trata. Esta el pero suauem ente en la voca, y muer de se la fama agena condulcura. Que pero es este, veames? que quiere dezir? ad onde cira? yo seguro que la misma Senora, que lo tomo en la voca, lo explique presto, sin que selo rueguen; ya esta reuencando por declararse. Yo confiesso (dize ella) que essa senora merece, que se digan della, aummas bienes que los que se handi cho: pero contodo esso dizen que en vno de sus antepassados cayó vna mancha, que desdoró ne poco à supostoridad: y hasido gran lastima, que en tan illustre linage aya succedido tal desastre Este es el Pero, que muer de la Senora Liuia. Que se seguira de este Pero? que manana en otro es trado dura Maxencia, & cætera.

tollentia: non est profecto, vnde tam grandi infletur apparatu. Quoad ipsam eius personam spectat, omnes fatemur, nihil in ea esse, quo minus valeat, quo vlla ei, vel minima possit iustè macula inuri; id enim grande esset peccatum: apagessis: liberet nos Deus à tam exitiali detractione. Tamen multa possunt in hominum prosapia interuenire, quæ etsi non omnino inficiunt personam, sunt tamen ei sufficiens silendi causa, seq; humiliandi, & comprimendi; deposita gloria, & arrogantia, qua super alios lucere contendit; eisque præferri nullo videtur fundamento. Hæc est fœminarum, virorúmque loquela: hoc semel impressæ sordis vestigium; quod & si à maculato possit homine radi; ab hominum ore nequaquam. Cum Claudium Cæsarem familiares multi precarentur, vt infectum quemdam nobilitaret; acquieuit ille precibus libens: sed re peracta, dixit deprecatoribus; ecce sicut rogastis, nobilitaui: *Littura tamen extet.* Quæ quidem macularũ reliquiæ multo diurniores sunt, ac sordidiores cum ab spiritali deriuantur dedecore, quam cum à naturali hæreditantur stirpe, qua à subiectis tributo parentibus genitus est homo hic, qui talibus reliquijs sordescit. Certè diuinus ipse Scripturarum textus adeò exactus est in cunctis hominum, quos describit, actibus referendis, vt, cum præclarissimas alicuius res gestas miris ad cælum vsque extollit encomijs, ipsumque hominem perfectissimum vndique commendat; si qua tamen in eum, vel minima cecidit macula, nequaquam parcat, eam in medium inter omnes afferre dignitates. Quænam grandiores hominis possunt exaggerari virtutes, quã glorioſæ illæ, quas Dauidis refert Eccleſiasticus? Et tamen vnam illam sordidam labem, qua & ab Vria coniugem abstulit, & ei necem intulit, inter præclarissima ornamenta eius collocauit. *Quasi adeps* (ait) *separatus à carne: sic Dauid à filijs Israel. Inuocauit Dominum omnipotentem:* Eccl. 47. 2. *& dedit in dextera eius tollere hominem fortem in bello, & exaltare cornu gentis suæ. Sic in decem millibus glorificauit eum, & laudauit eum in benedictionibus Domini in offerendo illi coronam gloriæ. In omni opere dedit confessionem sancto; & excelso in verbo gloriæ. De omni corde suo laudauit Dominum; & dilexit*

Sueton. in Claudio. cap. 10.

Maculas perfectorum hominum funditus deletas, non parcit Scriptura afferre in medium inter praclarissimas eorum excellentias.

Deum, qui fecit illum. Et stare fecit cantores contra altare; & in sono eorum dulces fecit modos. Et dedit in celebrationibus decus, & ornauit tempora vsque ad consummationem vitæ: vt laudarent nomen sanctum Domini, & amplificarent mane Dei sanctitatem. Dominus purgauit peccata ipsius: & exaltauit in æternum cornu eius, & dedit illi testamentum, & sedem Regni in Israel.
Ecce in medio præclarissimarum virtutum non relinquitur mentio delictorum. Sed mirandum magis, quòd in occasione, qua mentio Dauidis casu & obiter incidit, hoc ipsum memorandi genus, & expressiori quidem narratione seruetur. Narrans quippe vitam Abiæ, qui fuit degener Dauidis pronepos, ait; *Nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut Dauid patris eius: eo quod fecisset Dauid rectum in oculis Domini, & non declinasset ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ. Excepto sermone Vriæ Hethæi.* 3. Reg 15. 3.
Quid te foret, ô purissima Domina, si vlla in magnalibus tuis fuisset exceptio? Quid me foret, si tam tristem in textu exceptionem reperirem? Corruit ergo adinuentio dicentium, grandia hæc Deiparæ stemmata glorioſiora esse, ac lucidiora, si super obscuram peccati vmbram distendantur virtutum colores, gratiæ aurum; cùm semel posita maculæ vmbram, nullis super positis dissimulari splendoribus, auro nullo, ostenderimus. Multóque magis, quàm sanguinea nobilitas, claram radicitùs puritatem exigat diuina hæc, quæ à virtutibus oritur nobilitas; itaut nulla eius possit macula fucari, eò quòd sola hæc integra nobilitas sit. Petrum Damianum audiamus: *B. Maria, licet generosa sit patrum stirpe progenita; ab illo tamen trahit excellentissimæ nobilitatis genus, qui de illa est nouo nascendi genere procreatus, & per clarissimam sobolem omnem humani stemmatis excedit nobilitatem: clara pro auorum titulis; sed incomparabiliter clarior generatione prolis.* Petr. Dam hymno de Beata Virgine.
Hæc ille. Est enim animi nobilitas, vt quæ ex virtute orta, adeo genealogiali nobilitate sublimior; vt dempta propria hac, prosapialis illa prorsus sit nihil: imo denigret magis: cum turpe sit, teipso deficere ab splendore illo, quo progenitores tui coruscarunt. Hoc enim vel ethnici illi statuere Poëtæ, qui parum de virtute curarunt.

Nobilitas vera in vera animi virtute consistit.

Stemmata quid faciunt? quid prodest, Pontice, longo
Sanguine censeri? Pictos ostendere vultus
Iuuenalis Satyra 8. *Maiorum, & stantes in curribus Æmilianos?*
Tota licet veteres exornent vndique ceræ
Atria; nobilitas sola est, atque vnica virtus.

Demosthenes in Olynt. Sed quid dixit Demosthenes? *De nobilitate parum laudis prædicare possum: bonus enim vir mihi nobilis videtur: qui vero non iustus est, licet à patre meliore, quam Iupiter sit, genus ducat, ignobilis mihi videtur.*

In quo non possum non accusare homines non paucos, qui summa cura nobilitati consulere nitentes, adeò inurbani sunt, vt pro humana immunitate tuenda, veram, quæ in virtutibus sita est, nobilitatem relinquant; imo eam pro vana hac genealogiali commutant. Contremunt ossa, cum audio aliquos dicentes; Deum ipsum potius, quàm honoris mei punctum relinquam. *Quam vilis es*, ait Dominus Deus, *iterans vias tuas*: id est eas vias, quibus contaminatam criminibus genealogiam duxisti. Sola vtique hæc est vera nobilitas, quæ à virtutibus oritur; alia vana est, ac modici fructus & honoris. Cùm ergo spiritalis hæc, sanctáque nobilitas adeò excelsa sit, vt progenialem altissimo exuperet culmine: tantam profecto integritatem vndique poscit, vt vel minimus in ea longè appareat næuus; vt inter præclarissimas Dauidis eminentias tetram eius maculam perpetua vidimus memoria radicatam. Est enim adeò virulenta peccati malitia, vt quamcunque tetigerit mentem, altas in ea veneni generet radices. Cuius non inepta ratione petitum mihi videtur symbolum Titira, exigua valde auicula, similis paruo culici; quæ, cum leuiter faciem pungens aculeo, manumve, seu pedem, vix vllum sui relinquat vestigiũ: illud tamen, quod minimum impressit stigma, veneno incussit plenum: quod incipit mox paulatim serpere, donec faciem horrenda quasi lepra inficiat totam, seu totum pedem, manumve, quam leuiter momordit. Et (quod peius est) profundas quasdam, instar neruorum mittit intra faciem, manumve radices, quæ nullo vnquam euelli possunt instrumento. Huius generis muscæ innonnullis Peruani Regni sunt locis; in quorum vno Indorum oppido, Achotama nomine, Indam fœmi-

Ierem. 2.36

Symbolum.

Peccati reliquiæ Symbolo quodam insinuatæ.

nam ore, virum manu Hiſpanum, peſſimo iſto languore vidi laborantes. Quid aliud fecit tabificus ille Paradiſi anguis, cùm oculos Heuæ, Adami momordit manum; illos, vt ligni adſpectu afficerentur erga vetitum fructum; hanc vt exhibitum à fœmina fructum caperet, & comederet? Non vtique ſolum fœminæ vultum lepra peſſima fœdauit, cuius pudore ſe ſub arbore abſcondit; nec ſolam viri infecit manum, quatenus ad prauos manſit actus propenſus; ſed profundas adeò in hunc, & in illam miſit criminis radices, vt eorum crimen originale ſit, quod à radice hac in omnes eiuſdem Adami, & Heuæ ramos, cunctos nimirum ab eis oriundos lethale hoc virus diffundatur. Si ergo Mariam noſtram vel vno ſuæ conceptionis inſtanti, aut inficeret macula, aut minimus peccati pungeret culex: aliquod profecto in ea vſque ad mortem permanſiſſet, & nigræ vmbræ, & morſus tabifici veſtigium. Hoc autem nemo non totis negat viribus, concedere non abominatur. Verba ſunt iſta Cyprianì: *Lex carnis legem mentis non infeſtabat: rebellio nulla quietem ſpiritus abigebat.* Cyprianus ſerm. de natiu. Chriſti.

Conceptionis Mariæ puritas & claritas intimis fideliũ præcordijs ſentitur.

O puriſſima Deipara! Quidnam quæram teſtes; quidnam expreſſa in litteris ſacris teſtimonia, quod nulla prorſus, non dicam in te, ſed ne in tuæ quidem nobilitatis ſtemmatibus tetra peccati appareat vmbra; cùm in corde ipſe meo tua hæc ingenuitatis ſtemmata intrinſecus ſentiam non expreſſa, ſed impreſſa, omnis generis fulgoribus candida, abſque vlla alicuius generis vmbra, ſeu caligine? Facile quidem foret mihi, glorioſiſſima tuæ ingenuitatis ſtemmata in manifeſtiſſimum omnium publicitatis locum edidiſſe; cùm vexilla quæque in id facta ſint, vt in apertiſſima & plateam & campum producantur, dicatque ſeruus tuus Ildefonſus, tuarum ſtemmata virtutum in publico plumata vexillo, omni propulſa obſcuritate: *Nulla fœditas diræ conditionis ei, in qua vexilla virtutum micarunt; nullum peccatum primæ originis:* Tamen oſtentatio hæc, licet ampliori ſit pompa, minus tamen iucunda, quàm interna iſta, qua cordibus noſtris glorioſa hæc ſtemmata experimur impreſſa. Quoties enim immaculatam Mariæ conceptionem vel ab alijs audio, vel ipſe mente concipio; roſea quadam, ac rubea ſentio cor meum iocunditate ve- Ildef. ſer. de Purifica.

ſtitum, omnis prorſus obſcuritatis experte. Vnde impreſſam cordi meo alacritatem hanc illuſtriſſima agnoſco nobilitatis tuæ, ô Deipara Virgo, ac ingenuitatis inſignia; præſertim cùm non meo ſolùm, ſed cunctis etiam fidelium cordibus id ipſum contingere intellexerim. Fuit itaque dilectiſſimo Filio tuo tantum gloriæ tuæ, ac honoris ſtudium, vt pro cælandis tuæ immunitatis ſtemmatibus, non tabulas elegerit, non laminas: ſed nobilia ipſa hominum corda, vt ipſum etiam ſculpturæ ſubiectum ſit præ omnibus nobile. Non adeò alacriter orturus mundo Sol ſplendidiſſima circa Orizontem ſuæ præmittit claritatis inſignia, puriſſimo auro, varijſque, ac fulgentiſſimis diſtincta coloribus; ac interna hæc, quæ aureo puriſſimæ conceptionis tuæ nomine, varijſque excellentiarum coloribus tuarum, micant ſtemmata, cordibus noſtris infun-
Epilogus. dunt lætitiam. Epiloga.

IN EADEM IMMACVLATA B. VIRG. DEIPARÆ CONCEPTIONE.

SERMO V.

De sacro propositi libri textu.

Liber generationis Iesu Christi Filij Dauid, filij Abraham.

PARTES libri huius omnes à tabulis, quibus clausus est, seu coopertus, ad extremam vsq; subscriptionem, totidem prædicare sermonibus, in primo (vt audistis) proposuimus. Hodiernum hunc, sacer ipse libri textus contingit expandendus, ad indagandam immaculatæ conceptionis Mariæ immunitatem. Sed quis sacri huius libri expensionem aggredi audebit, cùm nemo in terris, nec sub terra, imo nec in cœlis quidem sublimibus valuerit eum aperire, donec diuinus agnus, Dei filius, *Accepit de dextera sedentis in throno librum: & cùm aperuisset librum, quatuor animalia, & viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno.* Tamen diuini huius Domini benignitas tanta est, vt postquam librum suo aperuit sanguine, faciens nota interitu suo mysteria illa, quæ obscura erant; ministrorum tandem mentes suorum ad aperiendum librum, aperuerit diuino afflatu suo, vt scribit Lucas, dicens: *Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas.* Cùm autem B. Virgo assidua sit nobis aduocata, vt nostros filius eius sensus adaperiat: quis dubitat, eam

Matah 1.1.

Apoc 5.7.

Luc 24 45.

pro præsenti concione, quæ in sui honorem instituitur, promptiorem nobis affuturam, si angelica fuerit salutatione humilius inuocata?

AVE MARIA.

IN proposita sacri libri, ad inquirendam Deiparæ immunitatem, expansione, non est certa (vt videtur resolutio, vtra sit gratior auditoribus, sedulane expensio, & explicatio; an plana, atque syncera contemplatio, qua integrum librum clausum ore sumentes, in edulium potius, quàm in curiosam inculcationem accipiamus. Liber etenim iste non solùm pro verborum solet expressione à prædicatoribus lingua, & labijs accipi; sed pro suauissima etiam palati voluptate, pro qua integer totus absque vlla expansione comeditur, non exiguo prædicationis emolumento. Sic manducandum exhibuit eum Deus Ezechieli, cui tertio Prophetiæ capite dixit: *Comede volumen istud, & vadens loquere ad filios Israel. Et aperui* (ait Propheta iste) *os meum, & cibauit me volumine illo: & factum est in ore meo, quasi mel dulce.* Mirabile vtique mysterium! Ad prædicandum magna animi vi, eximio fructu, sumptus ore liber, non expanditur ad explicationem verborum; sed clausus absque explicatione comeditur. Nec minus admirandum quod manducatus liber, ori sit dulcis, in vberiorem prædicationis fructũ, ac prouentum. Quod cùm ita sit, certè si qua est edendi integrum librum opportunitas, hæc videtur potissima, qua nobilissima Deiparæ Virginis prædicatur immunitas, qua ab infecta originali peccato communitate sequestrata est. Amænissimam siquidem iucunditatem, ac dulcedinem, dum sumit ore librum hunc pro Iesu Christi generatione, immaculataque matris eius conceptione recolenda, nemo est qui non sentiat. Quis non summè exhilaratur, & exultat, dum immaculatam conceptionem Mariæ vel accipit ore, vel auribus similiter percipit? Deuotus quisque, qui immaculatam audiens conceptionem Mariæ, videt, eum, qui illam sic pronuntiat, vlterius

Ezech 3.1.

Conceptio immaculata Mariæ, vel ore pronuntiata, vel auribus percepta, dulcis est, suauis, exhilarans, iocunda, lætificans, grata.

terius progredi, ad latiorem eius probationem, dicit protinus ei: Siste, amice, siste; noli vlterius pergere. Ego contentus sum dulcedine hac à Mariæ audita conceptione fluente: ne, quæso, me in subtiliores intromittas discursus, quibus ab hac diuertor auditione, ab hac abducor suauitate. Repete, repete immaculatam Mariæ conceptionem: nam ab ea profluens lepida suauitas, sufficiens est mihi testimonium, quòd à primo cœperit conceptionis instanti scaturire. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, delitijs affluens, innixa super dilectum suum?* De deserto ascendit affluens delitijs Dei mater. De deserto, nimirum, de ariditate conceptionis humanæ, gratia, atque virtutibus deserta, ascendit hæc delitijs affluens. Nouum planè, & mirandum: quæ est ista? Nam nulla alia mulier ita grata ascendit de deserto. Sed quid dixerim, mirum, & nouum? *Super dilectum suum innixa est.* Non progenitorum fragilitati, sed filij innititur fortitudini, qui iam nunc ex conceptionis instanti dilectus eius est, ipsaque eius dilecta. Affluit ergo tot delitijs Maria, vt minimè tot esse potuissent, nisi à primo ductæ conceptionis instanti. Meritò deuotissimus eius Bernardus nuncupat dulcedinem Mariam mundi Solem; vt quæ illum sola iucunditate replet, ac lætitia; quæ si à nobis abesset, nihil nisi cæca appareret caligo, tetraque in animis afflictio. *Tolle* (ait) *corpus hoc solare, quod illuminat mundum; vbi dies? Tolle Mariam hanc, maris stellam, maris vtique magni, & spatiosi; quid nisi caligo inuoluens, & vmbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquuntur?* Quid innuit Rex vates, cùm cecinit: In templo eius omnes dicent gloriam? Quodnam est Dei templum? Nonne mater eius? Imò hæc gloriosius, splendidiusque templum manufacto. Ita eam appellat Germanus, dicens: *Templum Domini animatum templo Domini inanimato dedicatur.* Ergo in templo hoc, quod suæ Deus habitationi fabrefecit, *Omnes dicent gloriam.* Gloria claritas est, fulgor, splendor, puritas, nobilitas, omnisque obscuritatis, ac impuritatis exclusio. Dicant ergo in Maria gloriam omnes, dicant claritatem, fateantur fulgorem, splendorem agnoscant; conclament puritatem; nobilitatem concinnant, eamque ab omni impuritate, atque caligine prædicent im-

Cant. 8.5.

Bern. serm. de Natiuit. Mariæ.

Psal. 28.9.

Germanus Archiepisc. Constantinopolit. in encomio Deiparæ, quando adductafuit in templum.

munem. Omnium labia, linguæ, fauces, palata, sumpto suauissimo hoc purissimæ conceptionis nomine, libroque isto, quo ipsa implicitè continetur, dulcescant, plaudant, oblectentur. Habet & mundi lætitia templum suum: nam Deam lætitiæ Vitulam, & delitiarum Voluptam statuerunt antiqui; cuius simulacrum in dedicato ei templo colebant. Sed num in templo hoc humanæ lætitiæ omnes dicunt gloriam? Num omnes conclamant lætitiam? Mirabile est, & perpendendum, quòd in eodem ipso lætitiæ templo triste Angeronæ (quæ agoniæ Dea est) simulacrum collocatum scribat Macrobius: cui Deæ sacra à Romanis facta 12. Kalend. Ianuarij testatur Plinius. Dicent ergo gloriam omnes? dicent iucunditatem? dicent lætitiam in humanæ templo Voluptatis, in quo simul est cum voluptate agonia? Quis vmquam puram sensit absque agoniæ admistione lætitiam? Nec præterire licet, quòd Angeronam istam ore fuisse obseratam, & obsignatam insuper, notauerit Plinius. Quoniam profectò vbi ouantes concitat lætitia ad conclamandum, concinendum, iubilandum; ibi ora claudit agonia, ferreoque comprimit sigillo, ne in vllam valeant exultationis vocem erumpere: aut certè, vt cùm præ gaudio ouantes cœperunt concinere; mox superueniente causa mœroris vrgentissima, in triste alacritas silentium conuertatur. At in sacratissimo hoc Dei templo, Maria, quot, & quoties dicent homines gloriam, & lætitiam? *In templo tuo omnes dicent gloriam*, ait Chori Rector. Templum vtique hoc non est sicut humanæ templum lætitiæ, in quo alij gloriam à Voluptæ infusam simulacro; mœrorem alij inditum ab Angerona clament lugentes: sed omnes absque exceptione vlla dicent gloriam; eò quòd immaculatæ conceptionis Mariæ nomen, & auditio, pectora, corda, viscera, præcordia ineffabili repleat voluptate, lætitia, dulcedine, alacritate, refrigerio. Adeò certum est, adeò omni carens exceptione, vt & illi viri, si qui sunt, qui ad exprimendam conceptionis huius puritatem, ore sunt obserato, lingua speciali sigillo signata: dicant etiam ipsi gloriam in templo isto, gloriamque prædicent conceptioni Mariæ; eò quòd, cùm pij sint, communem fidelium corde suo percipiant voluptatem audito nomine conce-

Macrob. li. 1. Saturn. Plin. lib. 3. cap. 5.

Lætitia mundi multa miscetur agonia.

Voluptas mundi afflictione sociata.

Delitia mundi multa amaritudine.

Conceptioni Deiparæ, etiã qui infestam dicunt, fatentur gloriosam.

ptionis Mariæ: cuius puritatem, cùm ob labiorum seras, linguæque sigillum, promere nequeant; concinunt tamen gloriam conceptioni, quatenus saltem confitentur, infectam etiam conceptionem Mariæ in illustrissimam ei gloriam cessisse; eò quòd post vnicum dumtaxat infectionis instans, copiosissima sit à Christo gratia redempta. Quòd si hi etiam, qui illustrissimam hanc conceptioni Mariæ negare gloriam videbantur, clarissimam ei dicunt gloriam: nemo restat iam, cui non arrideat gloriam ei dicere; imò in templo hoc omnes dicunt gloriam. Quid ergo? sistemusne hîc, libri dulcedine contenti, qua integrũ hunc ore sumentes oblectamur; an expandere pergemus, vt eum explicantes, digerentesque, propositam conceptionis puritatem, ac gloriam perscrutemur?

Conceptionis Mariæ sanctitas ex ijs, quæ scribũtur de ea in textu, non obscurè deducitur.

Sufficiebat certè libri non expansi deuoratio. At ne quis putet eius nos expensionem fugere, aut timere, aperiatur bonis auibus liber; scriptus in eo textus discutiatur. Quidnam in eo reperimus propositã hanc conceptionem commendans, aut insinuans? *Iacob autem genuit Ioseph, virum Mariæ, de qua natus est Iesus.* Quid vltra legimus? Hodie nihil vltra; at prosequitur textus, eiusdem Mariæ purissimam etiam post filium conceptum, virginitatem planè exprimens; dum turbatum de sponsæ sibi intactæ ventre Iosephum certiorem facit missus à Deo Angelus, à nullo eam viro grauidatam: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Quid amplius scribit de Maria? Factam ab ea Elisabeth visitationem: lætum eius partum; purificationem; fugam in Ægyptum, & inde reditum: afflictionem pro filij absconsione, & pro inuentione lætitiam: spiritus diuini plenitudinem, qua Dei verba corde conseruabat: præsentiam eius in nuptijs Cana Galileæ, factamq; à filio precibus eius vini in aquã conuersionem: prędicatã eius à muliere laudem, & gloriã, dicente ad eius filiũ: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti:* assistentiam eius iuxta crucifixũ filiũ, & eiusdem filij curã, quam eam Ioanni ministrandam cõmisit: feruentem eius orationem, qua cum expectantibus S. Spiritum Discipulis præsidebat in cœnaculo, vbi idem S. Spiritus superuenit in eam. His autem verbis, factis, & gressibus, quidnã resonat, quod purissimã

Mat. 1.16.
Mat. 1.20.
Luc. 1 39.
Mat. 1.25.
Luc. 2.22.
Mat. 2.14.
Luc. 2.42.
Luc 2.19.51
Ioan. 2.1.
Luc 11.27.
Ioan 19 25.
Act. 1.14.

conceptionis Marię immunitatẽ videatur innuere; nedum expreſsè cõmendare? Vlterius rogo, quidnam eſt, quod cùm tantæ Dominæ exprimatur virginitas, puritas conceptionis taceatur, ſi tali verè puritate ab originali macula immunis fuit, ac præſeruata? Nũquid minus nobilis eſt claritas animi, quàm corporis, vt cùm hæc ſcriptis referatur, ſilentio illa omitti debuerit? Non ergo videtur tali Virgo diuina immunitate à peccati rubigine aliena.

At ego ex his ipſis dubitandi rationibus, ſeu ex his, quæ alicui fortè dubitandi rationes ſunt, propoſitam Deiparæ immunitatem non obſcurè videor mihi colligere. Imprimis enim (vt de relatis his omnibus ſcripturis generaliter loquar) nulla certè ne apparens quidẽ ratio eſt, qua, cùm Dominę huius excellentias, pręrogatiuas, virtutes, dignitates, actuſq; feruentiſſimę charitatis, ſummęq; perfectionis, fideles vniuerſi excedenti numero fuiſſe concedãt; ne paruo quidem numero narrentur in textu, cùm hę, quas retuli, ſcribantur hiſtoriæ: niſi vna ratio hæc; quod narrata hęc nequaquam ſunt propriam Deiparę dignitatem conſequentia; cùm nihil tantę matri derogaret, ſi nec viſitaſſet Eliſabeth, nec vllis nuptijs intereſſet: vnde iſta eius acta minimè ſcirenturà nobis, niſi ſcriptis mandata aſſeruarentur. At plena perfectionum eius conſummatio, vt nota ſit cunctis, nulla expreſſiori eget narratione, quã viri cuiuſuis genitrix eget explicatione, quòd ſit mulier, vbi hominis exprimitur mater: cũ non minus conſequens ſit Dei parentẽ perfectionũ plenitudo cunctarũ, quam viri cuiuſuis genitricem propria mulierũ conditio. Inde enim ſcimus, quod plus gratię ei collatum fuerit ad vincendum omne peccatum, quod concipere meruerit eum, qui nullum habuit peccatum.

Conceptionis Mariæ nobilitas, & immunitas ſcripturis ſatis commendata.

Videor exiliter firmauiſſe propoſitum, qui cùm conceptionis Mariæ nobilitatem in ſacro oſtendere textu propoſuerim, ſolùm oſtenderim nunc ſatius eſſe librum minimè expandere; nunc aperto iam, & reuoluto eam ibi exprimi minimè debuiſſe, cùm ex ſeipſa nota ſit. At certè propoſitam cauſam nequaquam adire recuſo; non effugio, non metuo. Præſertim cùm verbo vno adeò expreſſa ſit, vt nulla meorum egeat ampliatione verborum. *De qua*

Mat 1.16.

natus est Iesus. Etenim quisquis suam intendit nobilitatem notam facere; altero è duabus probationis vtitur genere: primò, eam radicitus lite elucidans ex origine; secundò, si parentes eius probatam libello habent, probans solam ipse filiationem, quod scilicet notus, certúsque sit illorum filius parentum. Mutua item consequentia, dum quis nota est certitudine nobilis; nulla egent parentes alia suæ nobilitatis probatione, quàm ea, qua illius probantur esse parentes. Si ergo Christi notoria est nobilitas; nil aliud exigitur in matre, quàm vt parens eius comprobetur; vt nota sit nobilitate. Est autem Christus notorijs nobilis testimonijs: veteribus testibus nobilitas eius testamento veteri pronuntiata est, Patriarchis, nimirum, & Prophetis. Dauid Rex magnus testatus est eum Dei Filium ex ipsius Dei Patris confessione; *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Salomon item Rex vocat eum, *Speculum sine macula.* Moyses, & Elias concurrerunt in Thabor ad ostensionem gloriæ eius, quem tanquam summum gloriæ Regem adorantes, illustrissimum ei perhibuerunt testimonium. Vnicus autem ex vtroque testis testamento; *Venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine*, de nobilitate, de claritate, de certa à peccato immunitate; quod exhibuit dicens: *Ego vidi; & testimonium perhibui; quia hic est Filius Dei.* In nouo similiter testibus nouis. Apostolorum Princeps testatur, scribens; *Qui peccatum non fecit*: & Apostolorum Apostolus; *In filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula. Qui, cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, purgationem peccatorum faciens, sedet à dextris maiestatis in excelsis.* Quid plura? Pater ipse Deus publica cum voce, semel, & iterum fatetur naturalem filium dicens: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: Cum ergo filij adeò sit notoria nobilitas; quid iam, vt nota quoque sit nobilitas matris, desideratur aliud, quàm certa filiationis probatio? Hæc certè est, quam in textu scribunt Chronologi, dicentes; *Mariæ, de qua natus est Iesus.* Meritò dixit Augustinus. *Talis suo modo sit mater, qualis, & filius.*

Christi nobilitas probatur.

Psalm. 2 7. Sap 7.26. Matth. 17 3.

Ioan. 1. 7.

Ioan. 1. 34.

1. Pet. 2. 22. Hebr. 1 2.

Matt. 3 17. Luc 9. 35.

Aug serm. 20. ad fratres in eremo.

Genealogia Mariæ cur trahatur ad Ioseph.

Nec imminentem sciolorum timeo obiectionem; quod Reginæ huius nostræ immunitas, aut communitas, ex

parentibus potius, quàm ex filio petenda sit; eo quod eximia hæc filij nobilitas sera aduenerit Mariæ, quum Dei Filius humanam ab eo naturam accepit; propterea quod, quam à matre habet humanitas, diuinitati vnita sit post genitam matrem. At contra hos video in textu ipso probatam mihi defensionem. Humanam Christi generationem scribentes Matthæus, & Lucas, genealogiæ lineam ad Ioseph trahunt, non ad Christum, nec ad matrem. Huius causam nemo ex Patribus non considerat: sed concordant omnes, ideò id ita fieri, quod, cum Iudæorum lege vxor quæuis, præsertim parentum suorum hæres, deberet esse ex tribus mariti, ac consequenter lineam genealogiæ ad virum trahi, non ad vxorem, esset in vsu; vsitatum scriptorum morem seruarint Lucas, & Matthæus. Ita Chrysost. Eutim. Theoph. Hieron. Ansel. & reliqui Prudens, fateor, & vera sententia. Iuxta hanc tamen censentur Chronologi intendisse scribere, Mariam, & Christum esse ex tribu Iuda, cuius fuisse, Ioseph, narrant in hoc loco; non tamen narrant reliquos post Iudam Christi parentes; cum præcessisset ille Mariam duobus circiter millibus annis; triginta quinque etiam Iosephi atqui præcessissent post Iudam: tametsi ex Dauide etiam Christum descendere, constet ex libri inscriptione. Et (quod præcipuè perdendo) cum iuxta propositam in eadem libri inscriptione, non Ioseph sit genealogia, sed Christi, & hic secundum carnem ex sola sit natus matre sine viro; non vtique videbatur seruanda à Chronologis illa scribendi solos viros consuetudo, quæ in ipsa rerum fundabatur consuetudine: cum generatio hæc extra rerum consuetudinem sit, modumque naturæ; nec possit hæc Christi generatio ad ipsum vsque duci, nisi per mediam ducta parentem, vt verè ducta est. Cum enim proposita generatio narranda, non Mariæ dicatur generatio, sed Christi; non potest intelligi, quod Chronologi fugerint, genealogiã ad eum ducere per mulierem, cum effectu per mulierem duxerint. Opposita igitur videtur Dei mens, ac dispositio: vt nullus ex progenitoribus eius sacro recolatur Euangelio, nisi sola mater glorioſissima; tametsi in libri inscriptione, non in linea, mentio fiat antiquissimi Dauidis, & Abrahã antiquio-

Num. 36 6. Chrysost. hom. 2. in Matthæũ. Euthy. in Ma. 1. Theoph. ibid. Hier. ibid. Ansel. ibid.

ris, propter ostendendum promissionis complementum, qua progeniem eorum fore Messiam, iurauit Deus. Lineam ergo hac serie disposuit Dominus, vt suo, & matris honori consuleret. Suo quidem, quoniã excepto Dauide, & Abrahamo, qui inscriptione referuntur, de nullo parentum gloriatur, nisi de sola genitrice. Hæc (ait) est totum genus meum secundum carnem; hæc tota mea generatio. Matris autem, quia vult, vt solam Mariæ cum filio relationem attendamus, eam, qua ad progenitores refertur, minimè attendentes. Quasi dicat Deus ipse; quum de matris Mariæ agitur sobole, ac progenie; ne recolatis parentes eius, sed filium, filium meum. Attendite, quod mater Dei sit, non quod hominum filia; vt cognoscatis, quidquid in ea est, præter humanam duntaxat naturam, nequaquam hominum defectus, sed Dei puritatem redolere. *In Maria totius gratiæ, quæ in Christo est, plenitudo venit, quamquam aliter*, ait appositè Sophronius. Sophron. epist. de Assumpt. Mariæ ad Paulam.

Simile. Facit pulchrorum conditio lignorum, de qua Deus Aggæi calamo scribit: *Nunquid iam semen in germine est? & adhuc vinea, & ficus, & malogranatum, & lignum oliuæ non floruit?* Nonne perspicitis speciosas has plantas, in quibus, cum florentissimæ sint, ac iucundissimæ, nulla in eis est pars seminis, ex quo suam originem duxerunt. Attendite ergo diuinæ huius plantæ, matris meæ speciositatem, virorem, angelicam fragrantiam, germen Deum, non originem: quoniam adeò profecto pura est, ac si ex nulla origine processisset humana. Agg. 2. 20.

Nec minus notandum, quod de templo suo per eundem Prophetam dixit Dominus ipse: *Ponite corda vestra à die hac vt supra, antequam poneretur lapis super lapidem in templo Domini.* In lapideo templo prius corda poni fundamenta, quam lapides, vult Dominus: quid de viuo eius censebimus templo, quod matrem eius esse, iam ostendimus? Vtique priusquam templi huius materiam, corpus, & animam, sanguinemque ex quo facta est, posuisset creator; cor ipse suum posuit fundamentum ante omnia: vt quidquid supra tale construeretur fundamentum, adeò purum esset, adeò sanctũ, vt esse decebat, quod super tam sanctum fundamentum ponebatur. Præuia autem hæc Agg. 2. 16.

cordis Dei positio nihil aliud est, quàm electio illa, qua Deus Mariam fabrefecit fine hoc, vt esset mater eius.

Mariæ Conceptio toto Euangelij libro purissima cõmendatur.

Est alia non debilior in textu ipso propositi ostensio. Pro qua adstantes scire oportet, expressam quamlibet rerum narrationem vel signato fieri actu, vel exercito. Scripsit mirabilem Plutarchus librum de sapientum virorum profundissimo ingenio, grauibus sententijs, dignissimis notari dictis: proprium verò ingeniũ, dicta propria minimè commendat; cum plures sint, ac grauiores, quas ipse dixit, dum aliorum scribit sententias, quàm eæ ipsæ, quas scribit aliorum. Quis dicat, in libro hoc neque ingeniũ Plutarchi, neque sententias commendari, eo quod nullo signato verbo commendentur? Sanè ipso exercito actu, quo eas protulit, multò expressius, ac illustrius scribuntur, quàm si actu diceretur signato, tale fuit Plutarchi ingeniũ, talia dicta. Librum hunc genealogiæ Iesu Christi pariens edidit Maria: nam liber iste, cum sit nouũ testamentum, Christus ipse est, qui expressè testatur: *Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo.* Liber, quod est æternum Dei Verbum, quo concipit omnia, & omnia seruat scripta, vt Psaltes modulatur: *In libro tuo omnes scribentur.* Liber vitæ, de quo Eccles. *Hæc omnia liber vitæ.* Cum ergo librum hunc in lucem ediderit Maria, expressumque à Patre, in sui vteri membranis impresserit ipsa: quis dubitat, vniuersas aduſque perfectiones in libro hoc scribi de Maria actu quidem exercito; quamuis signato illas duntaxat, quas expediebat explicari.

Christ⁹ liber vitæ, omnia continens.

Luc. 22. 20.

Psalm. 137. 16.

Eccl 24 32.

Et (vt concio hæc dulcissimo Mariæ cantu fruatur) notum facio vobis. Cicadæ cantum non ore quidem edi, sed ventre; cũ ore careat hæc, sumptúq; aculeo roris guttis viuat, vt Eurip. Soph. Aristoph. & Pier. testantur. Quid dicã de diuina auicula nostra, quæ suauissimo cæli infunditur rore, Dei Verbo? Si enim hæc ipsum in vẽtre habet verbũ: quid necesse est, vt ore loquatur, aliusve pro ea, Cõceptionis suæ explicans puritatem? Nunquid oris verbum adeò luculenter, altéque loquitur, ac verbum, quod ipsa habet in vtero, quod est æternum Dei Verbum? Nõne inclusum in vtero verbum, matris suæ dicit puritatem? loquitur ergo ventre Maria, dicens de seipsa quidquid dignũ est diuino Verbo, in vterinis mẽbranis gloriã canente. Quis Mariam nostram

Cicada ventre non ore canit. Simile.

Euripides. Sophocles. Aristophanes apud Pieriũ lib. 26. pag. 192.

Mariæ Conceptio toto Euangelij libro purissima cõmendatur.

nostram neget Cicadem, cum vtrâque floreat cicadæ proprietate: tum vt susceptο in os viuat cæli rore; tum vt vocem in vtero habeat, non in ore. Suscepit quidẽ rorem cæli Maria, cum suscepit vtero Dei Verbum, quod ros ipse est, dicente Deo Patre; Fluat, vt ros, eloquium meum. Quidni & secunda polleat proprietate Cicadæ, quæ pollet prima; vt vox scilicet Verbi in vtero eius attendenda sit, non in ore. Deut. 32. 2

Nec prætereundum, quòd Cicadæ cantus nullis sonet articulis distinctus, sed murmur absque articulis, eo quòd canet non ore, sed vtero: quid ergo necesse est, immaculatã conceptionem expressis articulis audire, vbi Verbum Dei plana vox est in vteris eius. Ventre ergo canit Maria. Imo in vtero eius canit verbum. Appositè Augustinus: Quia Christus Verbum Dei est: etiam, factũ Verbi Verbum nobis est. Ergo dum verbum caro fit in Maria, verbum dicit matris gloriam; vt prophetia hæc: In templo eius omnes dicent gloriam, etiam ore verbi, & Mariæ ore compleatur. Aug. tract. 24. in Ioan.

Christ⁹ liber vitæ, omnia continens.

Est ergo dicens immaculatam Mariæ conceptionem impressum Dei verbum; quod, vt luculentius impressum fit, in eiusdem Mariæ vterinis membranis est impressum. Inde plane loquitur, inde sonat, inde auditur; illuc aures inclinandæ sunt, vt audiatur. Dicebat quondam gloriam Patris in alienis posítum labijs, veterum nimirum Prophetarum: nunc iam propria in ventre Mariæ assumpsit labia verbum ipsum, vt proprijs ibi loquens labiis, præclarissimam eiusdem Patris, nouæque matris gloriam incomparabili concinat excessu. Ipsamet mater confitetur. Dicit sponsus sponsæ. 8. cap. *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus lilijs.* Quisnam aceruus tritici hic? quæ lilia ista? Aceruus Christus est; sic intelligunt omnes, & Dominus ipse granum se frumenti nominauit. Lilia autem quænam sint, ab sponsa ipsa inueniet expressum quicumque præcedens 5. cap: requisierit. *Labia eius lilia*, inquit. Si labia verbi lilia sunt, & lilia in ventre sponsæ aceruum tritici, verbum videlicet, circundant: plane quidem exprimitur, labia verbi in matris ventre dulcius loqui; indeque audienda esse, & auscultanda. Quid ergo quęrimus expressam verbo in charta scripta puritatem conceptionis Marię; cum verbum ipsum in purissimis vteri eius membranis impressum, vallatum sit labiis, labiis suis? Cant. 7. 2. Ioan. 12. 24 Cant. 5. 13.

Cicada ventre non ore canit. Simile.

quasi dicat textus; totum Dei verbum labia efficitur ad exprimẽdam tuam puritatem, per secula omnia venerandam. Iam audio vos, solertissimi auditores: iam audio vos, vestrãque obiectionem. Ne vos à me non audiri existimetis. Audio dicentes: si conceptionis puritatem ideo in textu exprimi non debuit, quod ex se nota sit, cum ad debitam Deiparæ spectat dignitatem: cur virginitas eius in textu expressa est, valdeque commendata; cum hæc etiam similiter sit nota; nec minus ad dignitatem pertinens Deiparæ? At certe ex dignitate hac non videbatur virginitas necessario deduci: imo contrarium; cum partui naturaliter repugnet virginitas. Vnde nisi expresse scriberetur in textu; minime crederetur à plerisque. At summa Conceptionis suæ munditia quod, rogo, habet cum matris Dei conditione dissidium, quamve non habet conuenientiam, vt expressa indigeat narratione, eo quod expresè scribatur virginitas? Imo verò ipsamet Dei summa cura, qua matris voluit integritatem minime latere; eandem profecto arguit diligentiam erga animæ matris puritatem. Quanto enim minus decens est debitæ genitrici Dei puritati macula animæ, quam corporis? Imo illa quidem magis. Nam facta ex coniugio virginitatis amissio, minime turpis est, minime fœda, aut indecora: nullum fœminæ dedecus, nullum peccatum, nulla macula: at originale peccatum peccatum est, macula, dedecus, turpitudo, & ingrata à Dei oculis auersio. Non ergo minori debuit esse Deo curæ interna matris suæ, quàm corporalis puritas; tametsi hanc expresserit non illam: eo quod hęc suspicioni obnoxia esse soleat, illa omni vacet suspicione.

Pudicitia fœminarum paruo indicio suspecta.

Certè adeo suspecta est pudicitiæ causa in muliere, etiam non suspecta; vt indiciũ quod uis minutissimũ vehementem gignat turbationem, quæ nullo, nisi Dei testimonio sedari possit. Turbatur Ioseph tumore ventris Virginis illius, cuius eximia sanctitas cunctis, & ipsi imprimis erat probata; & turbatur tamen stupore tanto, vt auctoritati ipsius Virginis suam Deus addat auctoritatem, dicens ei; *Noli timere; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Quid Ioseph dixerim? Quid ipsius Virginis sponsum? Cum ipsamet Virgo pro sẽmetipsa turbata sit externo penitus indicio, quo pa-

Virginum puritas exiguo indicio marcessit.

Matt. 1. 20.

Fœminarum pudicitia modico indicio suspicioni subiecta.

ritura dicebatur ab Angelo; cum nullum in se sentiret indicium; imo tam firmum tuendæ virginitatis propositum, quantum ipsa indicat turbatio. *Turbata est in sermone eius*; non in aliqua turbationis causa, quam in se ipsa experiretur. Cum igitur adeò vitrea sit, suspecta adeò pudicitiæ res; ad Dei prouidentiam spectabat, vt expressis verbis omnem puritati matris suæ aduersam oblitteraret suspicionem. At, contra Conceptionis eius puritatem, quænam suspicio est, vt puritas hæc deberet expresse commendari: cum huiusmodi puritas; consequens sit tam supremæ matris conditionem? Tantum abest, vt aduersa illi videatur.

Virgo quacumque vel apparēti impudicitiæ specie turbatur.

Luc. 1. 29.

Arca Noe immaculatæ Conceptioni Mariæ luculenter applicita.

His retunditur obiectio prædictis scripturarum testimonijs oppositа eo, quòd non expressa sint, sicut est virginitas expressa, qua obiectione semota, mire eluceſcunt, & quæ testimonia adducta sunt, & hoc etiam vnum, quod adijciam; non propterea explodendum, quod allegoricum; sed placidis potius auscultandum auribus, quod immaculatę Virginis Conceptioni adstipuletur. Inundaturus Deus diluuialibus aquis terram vniuersam, propter horribilius diluuium peccatorum, volénsque ex omni animantium specie, humanæ imprimis, germina reseruare aliqua, ex quibus iterum propagarentur species; solam Noe familiam cooperto aquis orbe in naui conseruauit, quam vocauit Arcam, vt sæpius audistis: vt ex illis tum brutis, tum vtriusque sexus hominibus, tam humanum genus, quam brutorum rursus propagaretur generatio. Erat clausa vndelibet Arca, vnico ad hominum, animantiúmque ingressum constans hostio; quod, postquam omnia introducta sunt, ingressique homines, clausit ipse à foris Deus. Hæc sunt verba textus; *Inclusit eum Dominus deforis.* Vbi Vatablus legit; *Clausit Dominus post eum.* Sed & originalis textus Hebraicus: *Clausit Dominus super eum*, quæ est Pagnini translatio. At Septuaginta legunt; *Clausit Dominus Deus arcam deforis eius.* Quidnam mouit Deum, vt ostium deforis clauderet, cum inclusi in arca homines, possent claudere ab intus? Vtique clausura hæc non fuit communis balbarum clausura, quæ ferreis connectuntur seris; sed propria naualium ostiorum,

Cōceptio Dei puræ virginis clauso manu Dei hostio Arcæ Noeticæ diuinitus designata.

Arca Noe facta à Deo extrinsecus clausura, qualis fuerit

Genes. 7. 16: Vatab. ibi. Hebræa. Pagninus. Septuaginta.

quorum fortes bitumine liniuntur, ſicut reliquæ nauigij tabulæ, ac iuncturę. Nam bitumine hoc arcam iſtam intrinſecus, extrinſecuſque obliniri, Deo ipſi curæ fuit. *Fac tibi arcam de lignis leuigatis: & bitumine linies intrinſecus, & extrinſecus.* Nec poteſt aliter intelligi: tum quoniam inutilis eſſet dictio illa, de foris; tum, quoniam clauſura ipſa nullo fieret fine. Cum enim præcepiſſet Deus Noeto, vt totam conſtrueret arcam longiſſimo viginti ſupra centum annorum labore, à quo eum eximere poſſet, adhibens Deus ipſe manum ſuam operi, vel vnico inſtanti; neſcio equidem, cur à ſola portæ clauſura eum eximere voluerit, claudens eam ipſe, ſi claudere ab intus poſſet Noetus. Poſſet autem nullo labore claudere, vt verè effectu clauſit, ſi communem intelligamus clauſuram. Quæ ergo à Noe clauſura fieri nequiuit, ſola extrinſeca fuit rimularum clauſum, quæ bitumine claudendæ erant extrinſecus. Hanc ergo Deus fecit ſolus, nec vtramque tamen, ſed extrinſecam tantum, eo quod intrinſecus potuerit claudere Noe, & effectu clauſerit: nam Deus de foris clauſiſſe perhibetur, vt intrinſeca litura facta à Noeto intelligatur. Itaque quod incluſi homines facere nequiuere; Deus aſſumpſit peragendum. Quidnam eſt originale peccatum, niſi quoddam generale diluuium totam inundans terram, perdens totam, hominibus cunctis miſere ſuffocatis, ac æterno animarum interitu peremptis? Qui ergo prouidentiſſimus Deus tanta diſpoſuit cura, vt cum familia ſeruaretur Noetus, vt conſtrueret arcam, vt liniret extrinſecus, & intrinſecus, vt oſtij rimulæ clauderentur bitumine, cenſebitur ne minus in ſpiritali prouidus diluuio, ne quid circa diluuium hoc facere præterierit, quod in aqueo illo tanta fecit diligentia? Prouidit ſane, vt vnus eſſet Noe, minime diluualibus ſubiectus iniurijs, à quo iuſtorum ſoboles propagaretur vniuerſa: nempe Chriſtum Ieſum Noe diuinum, Noeto illo primo figuratum, iuxta Origen. interpretationem; vt cui Noeti nomen potiſſime competit, quippe quod requies interpretatur. Accedit quod primi illius Pater Lamech appellauit eum Noe dicens: *Iſte conſolabitur nos in terra, cui maledixit Dominus.* Etenim Chriſtus requies noſtra eſt; qui & egreſſus ab arca, cepit à Deo benedictionem, vt creſceret, & repleret terram. Qui etiam, ſicut Noe,

Genes 6 14.

Noe typus Chriſti.

Orig hom. 2. in Geneſ.

Chriſti ſymbolum Noe.

Geneſ 5 29.

septẽ secum animas saluauit in arca, saluat exornatos quosque septiformi gratia filios suos. Et sicut ille primus per lignum suos liberauit, & aquam; ita Christus per Crucem, & baptismum. Qui ergo Deus tanta fuit prouidẽtia erga Noe secundum supra primum; negligeret ne arcam Noe secundam, cum adeo supra primam fuerit vigilans? Imo tanto perfectius exegit hanc; quanto Noe secundus præstat primo. Arca Maria est, vt pote, quæ diuinum Noe nouem vtero mensibus portauit, vt Chrysipus contemplatur, & Ambrosius similiter, loquens de fœderis arca. Ideo strictioribus, quam lignearum arcæ tabularum, iuncturis virtutum contignata est; perfectiori longe oblita bitumine. Iunctura fidei; bitumine charitatis. Est (inquam) fides vnio tabularũ; quippe fideles omnes vna iungens Ecclesia; sicut ligna multa in nauigio vno contignatio; quæ nihilominus aquarum non resistit ingressui; quandoquidem fidelis homo, si nullo arctiori defendatur obstaculo peccatorum est stillicidijs expositus. Charitas verò bitumen est, quæ, quamdiu manet, perditionis aquis vetat introitum; estque arctior, quam sola fidei vnio; vnde Communio Sanctorum appellatur. Pulchre moralis glossa, bitumine illo arcæ Noeticæ intrinsecus adhibito, ac extrinsecus, strictam charitatem, tum erga Deũ, tum erga proximos designari commẽdat. Pulchre, inquam; quoniam quæ erga Deum est, interius, ac firmius hæret cordi; quæ verò erga proximum visibilis est, ac exterior magis. Cæterum alia quoque via vnum idem Charitatis bitumen & intrinsecus linit, & extrinsecus. Quatenus scilicet gratia, & charitas distinctæ sunt, iuxta quorumdã sententiam, qualitates; vna eadem qualitas, iuxta aliorum sententiam. Est igitur tum vna, tum distincta, in quantum vnum idem supernaturale bitumen, & intrinsecum est, & extrinsecum. Prout intrinsecum est, dicitur charitas, quæ proprios in corde, & à corde exeuntes elicit actus, tametsi ab infuso diuinitus habitu; nam *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis,* & ea ipsa vocatur gratia, prout omnino ab extrinseco in hominem venit, ita, vt nullam ipse qualitate hac operationem eliciat; quæ est gratiæ conditio; hęc enim minime operatiua est, sed hominem muniens, ac Deificans. Ideo titulus seu inscriptio tractatus

Fides contignatio fidelium in vna Ecclesia.

Charitas bitumen rimularum, defẽdens ab aquis peccatorum.

Noe typus Christi.

Charitas & gratia iuxta intellectum vnum, eadẽ vna qualitas est: qualitates distinctæ secundũ alium intellectum.

Christi symbolum Noe.

Gratia & charitas sint ne distincta.

Chrysip. de laudib. Mariæ. Ambr. ser. 80.

Glos. mota. in cap. 6. Genes.

Rom. 5.

S.Tho. 1.2. q.109. de gratia apud Theologos est hic, quem & 109. S. Thom. inscribit; *De exteriori principio humanorum actuum*; scilicet de gratia Dei. Contignationem igitur hanc exactissimæ fidei, perfectissimæque bitumen charitatis, & gratiæ in Deifera arca sit per omnes tam homines efulsisse, quam Angelos, nemo fidelis non fatetur. Cur enim minori curæ Deo fuisse putetur contignatio hæc, atque bitumen, quam Noeticæ arcæ litura, & contignatio? At, cur, qui perfectione tanta arcam hanc nostram vndecumque liniuit, vt libentissimè concedunt omnes, minori circa ostium eius se gereret cura, quam circa arcæ fores Noeticæ? Cur non clausisse de foris ostium existimetur. In quo etiam Conceptionis gratia distincta est à reliquis virtutibus. Reliquas enim omnes, & operari potuit, & operata est purissima Virgo; cum ab intrinseco eliciantur: at Conceptionis gratiam quonam modo potuit ipsa facere, ad eamve disponi cum in ipso conceptionis instanti, quo anima fit, facere nil posset? Id ergo, quod Maria facere nequiuit, fecit de foris Deus. *Clausit Dominus arcam de foris eius*, bitumine gratiæ, ne originalis imbribus maculæ non litæ rimulæ paterent. Et, vt est in Kaldaica Paraphrasi: *Protexit Dominus super eam*. Nonne Maria, *Hortus conclusus, & fons signatus* simul appellatur? Vndenam? nisi ex eo, quòd Cõceptionis ostium non solum clausum fuerit aquis; sed signatum insuper propria Dei manu, proprio annulo, quo sigillum suum diuino gratiæ bitumine impressit. Cur non clauderet deforis, ea, qua ostium arcæ Noeticæ clausit firmitate, atque litura? Cur non annulo suo; cum Babylonis Rex diuino Dei ipsius instinctu obsignauerit annulo ostium laci leonum, in quo erat Daniel inter eos? Nonne in puncto ipso Conceptionis rapidus inferni lacus leo animam expectabat Mariæ, vt truci morsu laniaret? Cur minus se erga matrem ostenderet prouidum, qui adeo prouidus fuit erga fidum seruum Danielem? Liberauit quidem à leonis morsu glorioſissima victoria, vt omnes Mariæ dicant gloriam. Liberauit vnicam hanc arcam suam à cũctis peccatorum stillis; vt in arca hac omnes dicant gloriam. Liberauit omnino templum suum hoc ab omni infectione peccati; vt in templo isto omnes dicant gloriam.

Kaldeus.

Cant. 4. 12.

Dan. 6. 17.

Canit igitur textus immaculatam Mariæ Conceptionem

ſuauiſſima delectatione legentium. Canit actu exercito, canit nec non ſignato, dum concinit; *Mariæ, de qua natus eſt Ieſus.* Reſonat ſuauiter in textu; reſonat in ore, ac in auribus reſonat: in abſconſóque ventre non abſconditè: ſed multò gratius, ac expreſſius. Omnes itaque, in templo dicunt gloriam: gloriam in viuo templo iſto concinunt vniuerſi: Angeli, homines, montes, colles, ac flumina: linguæ hominum, textus, vterus, membranæ: ac ipſummet vnicum Dei Verbum in ventre latens canit matris Mariæ puritatem, immunitatem, dignitatem, infuſam à conceptionis puncto vberem gratiam, nunquam ne puncto vno aliquando intermiſſam vſque ad completam in cæleſtibus gloriam.

IN EADEM IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS FESTIVITATE.

SERMO VI.

De libri punctis, & apicibus.

Matth. 1. *Liber generationis Iesu Christi Filij Dauid.*

EXISTIMABVNT forte aliqui, nihil vlterius in libro hoc supereſſe dicendum, poſtquam textum eius prȩcedenti expandimus concione, nequaquam rurſus expendendum. At, qui in ſolis eis, quibus clauditur tabulis, in ſoláque eius inſcriptione, ſeu titulo, quæſitam Deiparæ Virginis immunitatem, qua abſque vlla eſt contagione concepta, afflante Deo hilares inuenimus; nonne eandem in apicibus libri in iota, in punctis deprehendendam confidemus, ſi ipſe nobis afflauerit Spiritus? Diſpiciemus autem, Spiritum ſanctum horum ſcrutinio affuiſſe punctorum, ſi cum infuſa à Conceptionis nomine dulcedine, aliqua audientium vtilitas; cum ſcitè dixerit Horatius.

Horat. in arte Poetic. *Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci.*

Appingat ergo concio hîc punctum; nec vltra verbum pronuncietur prius, quam cælicam hanc miſcendi vtile dulci ſancti Spiritus gratiam imploremus, Beatámque Dei parentem ſimul aduocemus mediatricem.

AVE MARIA.

Ampliſſimæ

Conceptionis Mariæ gloriam vel minutissima ipsa scripturarum puncta commendant.

AMplissimæ pro victorijs gloriæ cupidi viri quique, seu fœminæ, tunc demum illustrissimam sibi sperant comparandam, quum tenuissimis vicerint hostes instrumentis: eoque illustriorem, quo illa sunt debiliora. Ideo illa Samsonis victoria, quum mille ferro nullo peremit Philisthæos, sed sola iumenti mandibula, præ omnibus glorioſa est. Qua ratione obsessi à Dauid in Ierosolymis Iebusæi, dicebant ei, è muris vociferantes: *Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos, & claudos dicentes; non ingredietur Dauid huc.* Hoc est ad resistendum tibi, & tuis, nulla quidem necesse est virorum ope fortiorum: cæci, & claudi sufficiunt; audi eos dicentes; *non ingredietur Dauid huc.* Superba planè vtrorumque arrogantia; glorioſaque eorum fuisset victoria, si tam debilibus vicissent instrumentis, & non potius superati à Dauide, corruissent. Grandis propterea admirationis fuit illa, quam de Thraciæ Rege Polymnestore reportauit Hecuba Regina Troianorũ. Hæc, enim Regni sui periculo afflicta, filium suum Polydorum Regi illi tradiderat educandum, magnamque cum eo auri copiam in eius victum, & thesauros. Cúmque amisso iam Regno, in Thraciam misera aduentaret; filium suum à perfido rege iniqua thesauri cupiditate occisum intellexit; cum impius ille naturali diceret puerum morte interijsse. Quibus tunc armis de tam infido, sceleratóque Rege vindictam sumpsisse putanda est, exagitata doloribus mulier; quæ amisso extorris fugiens Regno, tam diram reperit filij necem? Non erit nouum, nec mirabile si vnguibus dilaniasse fide fragum referatur adeò lacessita, adeò rabida fœmina: sed exiliori vsa est vltionis instrumento. Dissimulans namque illatam filio necem se agnouisse accersit secreto eundem homicidam Regem, accepturum ab ea reliquum auri quod ipsa absconditè portabat secum; vt cum commisso prius thesauro custodiret. Hilari ille animo sequutus est vocantem Hecubam; quæ continuo ingressum cubile eius aggressa cum multis adstantibus ibi puellis suis, tanquam furens inuadit tigris; omnésque famulæ incautum Regem ligauerunt. Tunc illa; nunc mihi,

Iudic. 15. 15

2. Reg. 5. 6.

perfide, nequam, cupidè, auarè, pœnas dabis; sumensque acum, cuspide eruit misero oculos, vt tanto magis contenta exiret ex vltione, quantò debilius erat instrumentum. Narrat Euripides historiam, qui etiam addit, solutum vinculis post erutos oculos Polymnestorem, ad sonitum pedum Hecubæ inclinasse aures, vt eam apprehendens, dentibus, ac vngulis laniaret. Partam à Dei matre victoriam, qua toto vitæ curriculo dæmones subiecit, fuisse glorioſissimam, nemo est qui ambigat: cùm ne minima imperfectionis labe præbuerit eis ansam gloriandi. Ideò indictum illud mulieris cum serpente certamen, de quo ad serpentem diabolum Deus: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem; ipsa conteret caput tuum; & tu insidiaberis calcaneo eius.* Omnes Patres intelligunt futurum inter diabolum, & Mariam certamen; quo illius hæc horrendum victrix caput contulit. Sed quid sibi vult, quod confractus iam capite, calcaneo fœminæ insidietur diabolus? Vtique nulla alia ex causa esse videtur, quàm quod amissis ille oculorum luminibus in pugna, ad Mariæ gressus inclinabat auditum; vt vel ex pedum sonitu eam capere posset, ardentioréque rabie discerpere, quam Hecubam Polymnestor. Quod cum ita se habeat, nemóque dubitet Mariæ victoriam præ victoria Hecubæ, Samsoniſque victoria fuisse glorioſam; consequens meritò iudicatur, illud, quo Maria diabolum icit, instrumentum minutius acu, & acus cuspide minutius. Quodnam? Vtique acus cuspide minutius, ac exilius instrumentum nosco nullum; nisi fortè quis contendat dicere, punctum potuisse assumi instrumentum: hoc quippe solum cuspide acus minutius est: nempe (vt Hispano vtar vocabulo) *solo el punto es mas menudo que la punta, aunque sea punta de aguſta.* Sed hoc quomodo potest esse punctionis instrumentum, quo Satanæ oculos eruerit Maria? Certè adeò minutum, adeò exile est, quod verè est punctum; vt prorsus sit indiuisibile, inuisibile penitus; ferè nihil; punctaque mille millia simul vnita modicæ formicæ non æquentur. Quomodo ergo punctum vnum, plurave puncta aptum Mariæ fuisse in percussionem Satanæ existimabuntur instrumentum? Quomodo nostræ concionis obiectum quam

Euripides in Hecuba.

Genes. 3. 15.

de libri punctis instituimus? Quid foret, si illa nobis subiret mens, vt de libri punctis, & apicibus totum tentaremus prædicare sermonem; quærentes in his propositam Mariæ immunitatem, liberamque à peccato Conceptionem? Quodnam tanti instituti fundamentum inuenire possumus in punctis his, qui fermè sunt nihil? At quomodo assumptum istud effugiemus; cum iam proposuerimus prædicandum? Nec pœnitet me, quod proposuerim: nam immaculatæ Mariæ Conceptioni omnia absque exceptione, vel minutissima ipsa librorum puncta, exilésque apices libentissimè seruiunt, ac ministrant: séque offerent ista in tam placidæ prædicationis testimonium. Quid moror? Quodnam est totum controuersiæ punctum in celebri hac Conceptionis quæstione; nisi punctum vnum? illud nimirum, in quo concepta est. Nulla ergo libri huius pars aptior est instituto quam hæc puncta.

Puncta, & apices in scripturis necessaria.

Posita in libro quouis inter litteras puncta nihil penitus dicunt: nihil addunt, nec adimunt legitimæ litterarum sententiæ, suntque, ac si non essent, quoad effectum explicandi conceptum: At sunt nihilominus necessaria ad deuitandam confusionem; quæ sublatis illis cæca est, magnúmque legentibus fastidium, molestia non modica. Noui hominem, qui si incognitis quascunque finxeris, litteris scriptam videat chartum, dummodo punctis ordine dispositis; non difficulter intelligit, & explicat; qui tamen ægrè, cespitans; & laborans, eam legit scripturam, quæ aut nullis prorsus, aut præposterè dispositis confunditur punctis, etiam si notis scripta sit litteris. Domino igitur Deo tantæ curæ est exacta suorum in libro hoc scriptorum verborum perfectio, vt non solum in clausulis, ac litteris; sed ne in ipsis quidem minutissimis punctis vllum prorsus defectum patiatur. *Amen dico vobis, donec transeat cœlum, & terra; iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege.* Matth 5.18. Summa quidem est, & admiranda Dei erga verba sua fidelitas, & (vt Hispani dicunt) punctualitas: vt terram totam, totum patiatur cœlum potius deficere, quàm vnum suorum apicem verborum. Maximè cum in cæli ordine, puncta, & ordo punctorum omnino necessaria sunt, nec vnquam ab orbe condito, ordo cœlicus iste, vel vno minuto discrepa-

Scripturarũ sacrarũ apices, & puncta cura sunt Deo.

rit; adeò, vt scribant hodie Astrologicæ artis professores eam, quæ post mille annos eclypsis futura est, omniáq; eius puncta, atque minuta: Scripturæ autem apices, & puncta non adeò necessaria sunt: vt quæ eam nec mutant, nec peruertunt; siue rectè sint, siue præposterè disposita. Quoniam profectò pertinens ad integram Verborum Dei dispositionem punctum, aut iota expediens est magis, quam omnis prorsus terra, cœli omnes. Tota quippe cœlorum punctualitas hæc, qua firmissimi sunt, ac indeficientes, ex summa Verborum Dei firmitate procedit, dicente Psalmo-
Psal. 32.6. grapho; *Verbo Domini cœli firmati sunt.* Quapropter, si turbatione perculsus dicas Deo; Vide, Domine; quia cœlorum puncta deficiunt, eorum ordo peruertitur totus; dicet ille, transeat. *Donec transeat cœlum, & terra.* Transeat, transeat, transeat: non tamen patietur, nec dicet, transeat, si quis modicum aliquod à verborum suorum scripturis
Matth. 13 31 punctum adimere attentaret, aut addere. *Cœlum, & terra transibunt; verba autem mea non transibunt.*

Conceptionis Mariæ puritas ad Dei honorem spectat.

Nunc libens valdè sic procedo. Si tanta Deo est de minutis his libri istius punctis cura, ac circunspectio; quis credat curam fuisse minorem erga matris suæ puncta quæcunque maximè erga punctum Conceptionis; cum illud sit primum, & quasi aliorum fundamentum, ex quo iusta pendet reliquorum dispositio? Dicet fortasse sciolus quispiam; sacri libri puncta, & puncta parentis nequaquam esse in æquo gradu; eo quod libri puncta ad Verbi Dei spectant veritatem, quam omnino oportet esse infallibilem: at puncta quæuis genitricis non ita ad Deum spectare; eo quòd secundum carnem, Dei sit genitrix. Fateor, puncta hæc nequaquam esse in æquo gradu: at non sicut obijcit sciolus iste; sed vice prorsus versa. Nam scripturæ apices, & puncta nihil profecto addunt, nec adimunt summæ verborum veritati; punctum verò hoc Conceptionis Mariæ multum quidem adimeret dignitati eius, si minus iustum nosceretur. Imò (vt dictum est) controuersia tota circa solum hoc versatur punctum, cùm de Mariæ conceptione differitur. Vtique tu, qui honori tuo consulens es, non minus ægrè feres, si quis tibi dixerit; filius es ancillæ, quàm si dixerit,

mentiris. Cur igitur Deus, qui, ne veritas sua puncto appareat deficiens adeò obnixè his, quæ scripto verbo suo apponuntur, punctis intendit, patiens existimetur, vt quis ei verè dicere posset; es ancillæ filius; vt verè filij ancillarum sunt quotquot à parentibus geniti; quæ origineam labem contraxerunt. Imò multò minus patiens huius, cùm ob quemcunq; defectum punctorum minimè possit Scripturæ veritas argui, aut obscurari: sit verò obscura valdè ea, quæ peccato maculatur conceptio. Vtique Scripturæ puncta extra verba sunt, eorumque sententiam: punctum verò conceptionis humanæ minimè est extra virum aut fœminam conceptam: ac ex consequenti tetra eius macula est, dedecus, & abjectio. Et matrem Deus suam tam sordido puncto inficì, ac labi dissimularet? Quantum honori puncta conciliant! Nostis planè vos, trita phrasi vestra homo quisque honorem conseruans, non solùm *hombre de honra*; non solùm *hombre* de puncto *de honra*: sed absolutè *hombre* de puncto dicitis Hispani; quòd honor, & punctum vnum quid sint, in vnoque puncto totus honor consistat.

Conceptionis Mariæ puritas ad Dei honorem spectat.

Conceptio Mariæ multas habuit causas dispensandi sibi in communi cursu cõtrahendi peccati origin.

Hic iam silet objectio, quòd originei labes peccati generale sit filiorum Adæ curriculum, transitus communis, cursus ineuitabilis, iuxta verbum Apostoli: *In omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* Rom 5.12. Non enim cursus conceptioni hominum lutosus tam regularis est, sicut cursus cœlestis; cùm natura hic, ex accidenti ille sit stabilitus; & tamen posse hunc deficere potius, quàm libri huius puncta, creator eius asseuerat. Imò effectu defecit aliquando; ne verbi Dei deficeret punctum. Quidni in transitu hoc, quo *in omnes homines mors pertransijt*, in communi hoc hominum cursu dispensaret creator, ne mater eius lutoso cursu inficeretur, cùm in cœlestis cursus ordine ac gyro dispensarit? Notandum est, valdéque notandum. Facta circa regularem cœlorum cursum dispensatio bis tantùm legitur in biblijs: ex duabusque his dispensationibus altera pro verbi fidelitate, altera pro tuenda vera in amicum fidelitate, facta est. Altera (inquam) cum facta Ezechiæ Regi de differendo, quem sperabat, interitu, pollicitatione salutifera, petitisque ore Regis

certis à Deo complendæ promissionis indicijs. *Inuocauit*
4 Reg. 20. 11. *Isaias Dominum, & reduxit vmbram per lineas, quibus iam descenderat in horologio Achaz retrorsum decem gradibus.* En ob promissionis fidelitatem cursus cœli retrocedit. Dispensatio altera illa fuit, qua victor Iosue, persequensq; victoriam, anxius quòd Solis appropinquaret occasus, quo hostes adusque consumere non posset, cœlorum cursum fecit retineri, dicens: *Sol, contra Gabaon ne moueatis; & Luna*
Iosue 10. 13 *contra vallem Aialon. Steteruntque Sol & Luna, donec vlciscerentur se gens de inimicis suis*, dispensante Deo circa Solis cursum, cursum Lunæ propter amicum Iosue. Itaque is, qui indeficiens est cœlorum cursus, propter duo hæc dispensatur à Deo, vt retrogrediatur, & sistat; nempe tum propter verbi, tum propter amicitiæ fidelitatem. Quod si huiusmodi duobus tantùm inuenit locum dispensatio, quis dubitat in gloriosa Marię conceptione dispensauisse Deũ, vt ille sisteret cursus, qui communis est cunctis; *In quo omnes peccauerunt:* cùm in conceptionem hanc vtraque dispensandi ratio concurrat, & fidelitas verbi, & amicitiæ debita fidelitas? Est fidelitas verbi; siue illius fidelitas verbi,
Gen. 3 15. quo Deus dixit ad serpentem; *Ipsa conteret caput tuum;* siue Verbi diuini, quod à Maria erat concipiendum. Est amicitiæ certa fidelitas, cùm maior inter Deum & matrem, quàm inter Deum & Iosue sit necessitudo, ardentior amor. Nec poterit quispiam, nisi mente cœcus, non videre omnes dispensandi pro amicitia causas in conceptione hac interuenisse: vnicam pro amicitia Iosue; vt ei nimirum Deus gratum faceret, seu placitum. Nam causa Iosue minimè quidem ad eius personam, sed ad vnum eius actum pertinebat; causa Mariæ ista personalis est, à qua personæ pendet nobilitas. Præterea, ex properante cœlorum cursu, si hic solito modo properaret, nec verbis Iosue detineretur, nulla Iosue sequeretur iactura; sed solus victoriæ, gloriæque defectus; nec gloriæ quidem, aut victoriæ; sed victoriæ, & gloriæ consummatæ, cùm iam antequam Sol & Luna sisterent, esset ille victor; pro solaque prosequenda victoria, cœlos sistere præceperit. Mariæ verò, si instanti primo contraheret maculam, non solùm triumphalis gloriæ illius omnimoda instabat amissio, sed dedecus etiam,

quo ab hoſte victa laberetur. Ad hæc, ex illa cœleſtis curſus, & retrogreſſione, & ceſſatione, nonnullum vniuerſo mundo oriri malum videbatur, cœlicarum retentio influentiarum: at ex eo, quod communis labendi curſus propter Deiparam ſiſteret futuram; quænam orbi influentiæ abſtraherentur, cùm illa potius conceptionis puritas diuinarum mundo extiterit initium influentiarum? Eſſetne ſummus erga matrem amor, ſi decem pro Ezechia gradibus curſus retrocederet; pro Ioſue pluribus immobilis ſtaret; pro matre ne vno abſtraheretur inſtanti? Quid tunc diceret mater; aut ſaltem poſſet dicere Deo? Fili, ſic, ſic agitur mecum? Hiccine eſt in matrem amor, vt cùm cœli curſum propter Ioſue ſiſtere feceris, propter me non feceris curſum ſiſtere luti? Certè apud me exile eſt in contra argumentum, quod originalis peccati contractio communis ſit curſus; cùm etiam curſus ſit communis actualium iter delictorum: in quo tamen Deiparam nullatenus lapſam, omnes ingenuè & fatentur, & prædicant. Quod & Iuſtinianus Laurentius iuſſit aduertere, cùm dixit: *Erat planè ſicut à carnis colluuione immunis; ita à peccati labe extranea.* Quidnam poſſet obijci æternæ ſapientiæ, ſupremo concilio, quod à communi hominum excidio matrem faceret exemptam? Vide Domine, quia curſus communis eſt, originalis peccati contractio; tranſeat. Vide, quod in Mariam debitum tranſeat peccati. Tranſeat. Vide, quod in *omnes homines mors pertranſeat.* Tranſeat. Tranſeat quidquid obijcitur: quod ad meam attinet parentem non tranſeat. Nec tranſeat Sol, nec Luna tranſeat; ſed ad eius imperium ſiſtant immobiles. Dixit ergo Maria in ipſo ſuo conceptionis inſtanti; Sol, ne mouearis: ſiſte Luna. Quibuſnam verbis potuit dicere, dum adhuc conciperetur in vtero? Non quidem verbis; at non lentiori verbis imperio. Ipſo etenim adſpectu ſuo primo, quo ſupra Solem candida ſubito apparuit, hæſit Sol penitus immobilis, hæſit & Luna, tam ſplendente ſtupefacta fulgore.

Laur. Iuſt. lib de perfectionis gradib. c. 1.

Quis ambigat, ſummam Deo fuiſſe curam, ne vllum matri deficeret punctum ex his, quæ ad eius nobilitatem ſpectant, & honorem; cùm nobiles quique viri totum ſuæ nobilitatis negotium ad minutiſſima referãt puncta? Sunt

in varijs regionibus, ac populis, tuendæ nobilitatis, illustrisque à tributo immunitatis modi varij. Is inter alios egregius est, quo nobiles nostræ nobilissimæ Hispalensis vrbis vtuntur. Nullo nostrates subijciuntur tributo: qua ergo ratione à plebeijs illustres discernentur? Hæc vnica est; vt ab extraordinaria rerum venalium exactione, quam *Sisa* dicimus Hispani, sint immunes: quod vulgari vocabulo dicitur, *Voluer la blanca a la carne.* Id est, statuto pro libra carnium pretio additur as, communi populi ærario decretus. Hunc nobiles viri minimè impendunt: sed cùm taxatum pro libra pretium soluit famulus, redditur Domino huiusmodi as, nec communitatis cedit ministerio. Videre est exquisita nobilium circa huiusmodi assem diligentia: omnes ferè fortunas amitti potius patiẽtur, quàm assem istum, eò quòd sit vnica eis nobilitatis probatio. Tantane hominum cura pro minuto æris, eò quòd sit nobilitatis argumentum; & negligat Deus minutũ punctum conceptionis matris suæ, à quo non probatio nobilitatis, sed ipsamet nobilitas, totaq; à tributo dependet immunitas? Quidnam originale peccatum esse putatis, nisi plebeïam quandam huiusmodi assis in commune vectigal contributionem? Etenim anima nostra in ipso conceptionis instanti carnem carè emit, non quidem in macello, sed in vtero matris, eam sibi vniens in æternum. Cara caro est; cùm sit animæ ipsi molestissima, facienſque eam multarum subiectum ærumnarum. Sed ante omnia vnum soluit anima minutum in propria vrbis applicitum, quo fit peccati tributaria. Nulla siquidem in carne est qualitas praua, qua cùm vnitur carni anima inficiatur; cùm caro ex se sit criminis incapax: tamen ex eo solùm quod carnem accipit, à parentibus primis naturali ductam generatione, manet sub tributo, & quidẽ in propria vrbis dedicato. Quænam sunt propria vrbis? propria communitatis? propria populi? nisi proprij hominum affectus, effectus proprij, propria opera? Heu quàm praui in animam affectus, quàm turpia verba, quàm peruersa opera ex puncto illo deriuantur, in quo creata carnem accipit anima! Hæc sunt omnium propria populorum, propria multitudinis, propria hominum. Fassus Dauid sua coram Domino facinora, nullum

Simila.

Peccatũ originale caro carnis emptio.

S Thomas 1.2. qu. 81. art. 1 Theologi ibi.

Peccatũ originale qua ratione contractum.

Peccati originalis effectus pessimi.

nullum aliud excusationis, qua se quoquo modo tueatur, genus inuenit, quam pessimas has originalis peccati reliquias, prauas inclinationes, siniſtros affectus, quibus quasi raptatur ad illicita. *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci:* Psal. 50. 7. tamen, *Ecce*, Domine, *ecce enim in iniquitatibus conceptus* Psal. 50 8. *sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Propriè ex Hebræo, *Peccato fouit me mater mea.* His pannis inuoluit me in vtero, iniquitatibus, peccatis, flagitijs: hæ sunt, quibus in ventre me obuoluit membranis, cùm me ibi concepit. Graphicè legit Augustinus: *Peccato me aluit mater mea in* Auguſt in *vtero.* Iam inde à ventre peccatorum in me regnat semi- Psal. 50 7. narium. Quæ cùm ita se habeant, sanctissimam Dei matrem tale pensum minimè soluisse, & ab effectu constat, & à causa. A causa quidem, quoniam Dei matrem communi plebis subijci tributo, neutiquam decebat; nec tam fœdum in ea turpitudinum radicari plantarium. Ab effectu item; quoniam indigni isti communitatis affectus, & effectus ex peccato illo promanantes, nullum in glorioſa Deipara locum habuerunt; nec est, qui vllum peccati in Maria non abhorreat concedere aut effectum, aut affectum. Quod attendens Damascenus, scitè concludit, ab originali talium causa malorum immunem fuisse matrem illam, quæ omni prorsus est immunis effectu. *Immaculata* Damaſcen. (ait) *quæ nihil cum terrenis affectibus habet commune.* Fuit ita- Aſſumptio- que Deo maiori curæ integer matris honos, ne puncto ne. vno, ne pro asse quidem subderetur tributo; quàm nobili cuique proprius honor in cauenda assis solutione.

Conceptio Mariæ diabolo ſtupenda.

Non obscurè ostendit summam hanc Dei curam summa serpentis cura in insidiando inimicæ sibi Virginis calcaneo. *Tu* (Dominus ait) *insidiaberis calcaneo illius.* Ex varijs Gen. 3. 15. quippe, quibus istæ calcanei insidiæ interpretationibus prædicari possunt, omnes in hoc vnum confluunt, vt minutissima Deiparæ puncta Satan perscrutari censeatur.

Quis neget attentissimam hanc diaboli curam insidiandi matris Virginis calcaneo minimè fuisse aliam, quàm curam perspiciendi gressus eius; hos nimirum, quos dicimus, omninò semper fuisse compositos, à cespitantibus hominum gressibus diuersos? Vndenam cura tanta? Nisi vt ex gressibus rimaretur originem? Cùm planè videret, tam

punctualem gressuum compositionem nequaquam posse ab infecta peccato origine procedere.

Nisi fortè quis intelligere velit, intentã hanc diaboli curam in eo constitisse vt deprehẽderet, pũcta ne calcei punctis congruerent pedis, essentq; ad iustã pedis mensuram calceamenta. Quòd si intendit hoc, concedimus ei facultatem calceis metiendi pedes, quibus gressus eius pulchri sunt, & calcei similiter pulchri. Hanc Sponsus miratur pulchritudinẽ, dum asserit: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis!* Miratur ergo solers Satan tam iusta pedũ punctis puncta calceorũ; cùm nulli mortaliũ iusta omninò sint, eò quòd primo saltẽ puncto, quo concepti sumus, calcei sint pedibus laxiores. Designat enim iustitiã calceus, atq; ideò in contractibus apud Israëlitas soluebatur à pede illius, qui se alteri adstringebat, vt latè Rabbini, Nidah, & S. Cypr. Quasi diceret homo ei, cui calceũ tradebat: iustitia in causa ista apud te est; ego maneo destitutus iure iustitiæ, ne adversus te nunc me defendam. Quod in speciali contractu accipiendi coniugem, defertam defuncti cognati vxorem, non ex sola fiebat consuetudine, sed ex lege Deuter. 25. c. *Tollet calceamentum de pede eius.* Quod effectu in lib. Ruth executioni mandatum reperimus: *Tolle calceamentũ tuum; quo statim soluit de pede suo.* Sunt non minus præclara, quàm clara in propositum illa moribundi Regis verba, qui vt successori filio Salomoni iniquam nimis Ioab iniustitiam puniendam intimaret, hac vsus est phrasi: *Effudit sanguinem belli in pace; & posuit cruorem belli in balteo suo, qui erat circa lumbos eius; & in calceamento suo, quod erat in pedibus eius.* Balteum esse iustitiam, constans dogma est; cùm hominem cingat, ne laxetur; sintque verba Isaiæ: *Erit iustitia cingulum lumborum eius.* Quare cùm pari ordine de balteo & calceo loquatur Dauid, dum ait, *Posuit cruorem belli in balteo suo, & in calceamento suo:* satis planè significat iustitiam æquè vtroque signari: cùm balteus hominem, gressus cingant calceamenta. Iniustus (ait) qui effundens sanguinem belli in pace, ponensque cruorem belli in balteo, & calceamento, fœdauit iustitiam, quæ ipsum est calceamentum, & balteũ. Vnde ergo est, vt cùm pedes metiri honorabile sit iustitiæ munus, serpens metiri Deiparæ gressus videa-

Rabbini in Deut 25. 9. & Ruth 4. 8. Nidah c. 5. fol. 45. b. Cypr. lib 2. aduers. Iudæos c. 18.

Iustitia calceo designatur.

Calceus symbolum iustitiæ.

Deut 25. 9.

Ruth 4. 8.

3 Reg 2. 5.

Isa. 11. 5.

Vitiorum mensores sũt dæmones, quorum singuli singula vitia actumpitudines singulas metiuntur.

Dæmonia singula si gulis viti metiendis sunt præp sita.

Serpens m ledi tus ptat metien hominum gressus.

tur? Mirum est, quod in arte quauis sint artifices, tum proprij, qui metiuntur, vt faciant opera ad mensuram; tum intrusi, & vagi, qui cùm eiusmodi opera non faciant, metiuntur nihilominus curiosè, ad inculcandum, inquirendum, calumniandum. Huius extremi generis non homines solùm, sed dæmones etiam sunt artifices. Itaque virtutes, & vitia proprij eorum vitiorum præpositi dæmones metiuntur. Asmodæus interpretatur metiens ignem, ductus ab Hebraïco verbo, & nomine, *Esmedad*, quòd libidinis ignem metiatur, de quo Tobiæ tertio capite. Serpens ideò serpens est, quòd terra serpat, metiens è vestigio hominum gressus, quàm recti sint, quàm deuiantes. Insidiabatur calcaneo Mariæ callidus serpens, gressus eius considerans, ne puncto à recto deuio tramite; considerans calceos, ne puncto pedibus inæquales; hoc est, pedes ne puncto inæquales iustitiæ calceis designatæ: ne puncto quidẽillo, quo in vtero matris concepta est: cùm omnes filij Adæ inæqualem pedi, saltem puncto illo, gerant calceum: nempe puncto illo sint iniusti, donec interueniat aliquod iustificationis instrumentum. Insidiari autem calcaneo potius, quàm pedi dicitur serpens, quòd calcanei calceatio, perfecta calceatio sit: cùm sæpè contingat calceum pedi intrusum, nondum calcaneo circumdari; vnde calcanei opertio, perfecta calceatio est. Nimirum, cùm perfectè iustus tunc sit homo, cùm iustificatur consummatè, circumdato iustitia calcaneo: nemo quidem est, qui ante huiusmodi iustificationem nudo calcaneo non incedat: Hispana phrasi, *Que no traiga los talones de fuera*: Trita paræmia est, calcei radi calcaneum, etiam cùm pars reliqua integra seruatur. Sic Poëta:

Hebræa.

Tobiæ 3. 8.

Damonia singula singulis vitijs metiendis sunt præposita.

Serpens maledictus reptat metiens hominum gressus.

Continuis rimis calcanea scissa rigebant.

Virgil. in Moreto.

Quod perspicuè sciens callidus serpens, Mariæ calcaneo insidiabatur, admirans, quòd ne in illo quidem rimam, aut rugam videret vllam: nec puncto inęqualem calceum pedi in ipso puncto conceptionis.

Aliter discurrent alij. Dicere, *Tu insidiaberis calcaneo illius*, fuit quidem dicere, *Sutor, ne vltra crepidam*: Id quod calumnianti imaginem sutori dixit pictor Apelles. Calca-

neũ enim sæpius calcei, quàm pedis significat calcaneum, vt ex relato Virgilij carmine constat:

Continuis rimis calcanea scissa rigebant.

Tu ergo serpens calumniator, calcaneo insidiaberis calcei; illud examinabis, illud notabis, ac discuties; non Mariam ipsam, quam summa ego perfectione consummaui. Hucusque peruenit facultas tua: calceum perscrutaberis: ipsam perscrutandi Mariam facultas tibi non conceditur. Et, cùm plurimùm scrutaberis id, quod in ea pertinet ad corpus, quod pellis quædam est; non quod spectat ad animum. Videbis, non inficior, Mariam, quoad corpus, à communi hominum conceptione non differre: at quoad animam, purior erit conceptio, quàm oculi tui sciant speculari. Ne vltra crepidam: nam ad meũ spectat honorem, vt nullam tu maculam inuras ei, quam summa ego, qua potui perfectione, mei imaginem feci. Sed enim si propositam primò insidiarum serpentis interpretationem prosequamur, grande quidem fatebimur erutorum oculorum indicium intentionem hanc, qua Mariæ calcaneo insidiabatur. Non enim adeò tenui cuspide Polymnestorem ob filij necem oculis priuauit Hecuba; ac serpentẽ Deipara, ob necem Adami, patris sui, spiritali vita, ac corporali ministro serpẽte destituti. Non (inquam) adeò tenui cuspide, cùm minutissimis libri huius punctis serpẽtis oculos fregerit mater nostra, Dei mater; illo præsertim puncto, quo purissima concepta est, inter cętera puncta glorioſissimo. Ideò fractus oculis serpens, insidiatur fractricis gressibus, vt his auditu cognitis, capiat fractricẽ, eamq; rabidus discerpat. Gressus Mariæ insidiatur Satan, vt eam ex gressibus agnoscat, inuentamq; minimo errantem puncto comprehendat. Frustrà applicat aures; pedum eius sonum super citharæ harmoniam audiet ordinatum. Exspes reuertetur ex isto gressuum scrutinio.

Mariam esse omni labe immunem agnouit ex auditu gressibus insidiator.

Est veruntamen valdè notabile, intentam hanc aurium applicationem: ad dignoscendum fœminæ gressus, & ipsam ex gressibus fœminam, non serpẽti soli, sed alijs etiam vbique competere. Imò nihil magis vbilibet commune, quàm vt fœminæ omnes, quæ, & quales sint, ex auditu noscantur, capta ex gressibus aure notitia. Qua nec carent

Fœminæ non solùm oculari notitia, sed auditu etiã cognoscuntur, qua, & quales sint.

Pudicitia fœminarum ex perceptis auditu gressibus noscitur.

cœci, qui nil vident; nec Dei Prophetæ, qui ob conspicuum absconditarum rerum intuitum, videntes appellantur. Vtraque erat Ahias conditione; cœcus, & videns; ideſt, cœcus præ senectute Propheta; qui nihilominus impiam Ieroboam vxorem, quantumuis se dissimilantem, ex auditis gressibus agnouit. *Cum ergo illa dissimularet, se esse,* 3. Reg. 14. 6.
quæ erat; audiuit *Ahias sonitum pedum eius*; *& ait: ingredere vxor Ieroboam.* Nescio quid speciale habet fœminarum conditio, vt omnes earum gressus, vel ad libidinem, vel ad pudicitiam referantur. Quoties enim auditis prauis Aureliam orestilam, rectis Hortensiam gressibus incedere, Hispanè; *Lucrecia anda en malos passos, o anda en buenos passos*, impudicis eas fœminas rebus, vel pudicis intendere, concipitis. Aliter in viris: qui cum varijs soleant negotijs insistere, dubium est, cuinam rei honestæ, cuinam turpi incumbant, cum gressibus rectis, aut peruersis dicuntur ambulare. Causam igitur noscendi ex gressibus mulierem, non valdè obscuram reperimus.

Fama fœminarum magnus index.

Illa mihi omnino ignota est, prorsusque inextricabilis: cur scilicet, mulierum conditio, quæ & quales sint dispiciatur auditu: cum notitia hæc ex gressibus sumatur. Huiusmodi notitiam procedere ex auditu, certum planè est; nec quicquam crebrius, aut communius. Audistis, passim infamatam in populo Aristophanam; cuius si originalem inquiritis testem; nemo, qui à se in dedecore quouis deprehensam fateatur, inuentus est. O bone Deus! Quonam fundamento adeò libera, adeò publica, adeò nuda fit de fœmina hac vbique collocutio, tanquam de omnino dissoluta, ac planè perdita; si testis ex visu cognoscitur nullus? Nescio: at nemo scit. Hoc vnum video: omnes eius gressus ex totius populi auditu cognosci. In mutuis fœminæ multæ visitationibus, ac cuneis; in publicis vagi homines conuenticulis; in alearum mensis lusores, nil ferè aliud colloquuntur; & tamen nullus est, qui viderit. Eò vsque procedit, vt accedente Ecclesiastico, vrbanoue iudice ad delicti scrutinium, probationémque, vt laxatam cohibeat mulierem: nullus prorsus testis inueniatur in vrbe. Certè parum abest, vt dixerim, debere superiores iudices, ex sola hac ex auditu habita notitia ad mulieris re-

Indices superioris absque multo scriptorum strepitu peccantes debet cohibere.

Cap Nouit de iudicijs. Cap. Qualiter, & quando 2. Cap. Inquisitionis de accusationibus.

pressionem procedere, cum nemo testis inuenitur. Non quod censeam, solam ad iudicandum famam sufficere; qui non ignorem, ne ad inquirendum quidem alienas vitas, eam sufficere, nisi legitimis circunstantijs concurrentibus, ex naturali iure, explicato in Cap. Nouit de iudicijs. Cap. Qualiter, & quando. 2. & Cap. Inquisitionis de accusationibus, vniuersali Doctorum consensione. Imo non parum grauatam aliquorum iudicum conscientiam video, qui absque legitima fama, alijsque ex iure requisitis, vel vnam scribunt litteram ad cognitionem criminalium causarum, præsertim fœminarum: cum multo minus recuperabilis sit ea, quam ipsi destruunt inquisitionibus famam, quam quæ popularibus disperditur linguis. Sed dico nihilominus superioribus iudicibus, vt pote quorum nulla in quempiam maleuolentia præsumitur incumbere, vt habita certa criminis cognitione, sufficiens perditis remedium adhibeant, dissolutásque compescant, nullis spectatis tabellionum instrumentis. Nam re vera in causis libidinis habitus ex auditu gressuum rumor, rarò falsus est testis; etiamsi causam ignoremus, qua pedum rumor tantus sit, vt in toto populo audiatur.

Indices non possunt licitè inquisitionem facere delictorum absque legitima fama, alijsque requisitis præcedentibus.

Es por ventura de los Chapines este rumor de los passos por ser los Chapines corchos que rechinan?

An ex sandalijs rumor tantus; eo quod hæc subernis constent stridentibus corticibus? Fortè concederemus, nisi oppositum experimento constaret. Tunc enim fœminarum gressus latius in populo audiri solent, quum depositis fiunt sandalijs. Imo quæcunque in turpitudinem intendit gressus; pedes nudat sandalijs; imo & calceis; ne ex eorum sonitu deprehendatur. Et gressus isti sunt, qui totius populi auribus audiuntur. Vtinam omnes semper incederent sandalijs; imo omnes semper gererent soccos, quorum rumor longè latior est; vt se deprehendendas verentur. Dicetis vos; huiusmodi socci solum apti sunt pro lutoso tempore, lutosis locis. Ideo dixi ego: vtinam omnes vterentur soccis. Nam viæ quidem mũdi huius omni tempore lutosæ sunt. *Inquinatæ sunt viæ illius omni tempore* Peruenit Dauid ex prolixo itinere in Dei templum, petiuitque ab Achimelech Sacerdote manducandum aliquid sibi, & famulis suis, multa ex diurna inædia deficientibus fame. Qui cum nihil prorsus præter sacros inueniret pa-

Coccos.

Psal 19 5.

nes à mensa sublatos, vt calidi pro illis ponerentur, audirétque à pio Sacerdote, nefas esse vesci panibus illis inquinatos quosque libidine viros, respondit ei; *Si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri, & nudius tertius; porro via hæc pollata est.* 1.Reg.21 5. Difficilia satis Regis verba: sed plena mysterio. Quidnam est hoc? Cur sapientissimus, à Deo instructus, viæ immunditiam in propositum immunditiæ carnalis adducit? Est ergo absque dubio hæc illius socia; labilis vtraque, vtraque lubrica, & lutosa. Alioqui extra propositum loqueretur tantus Propheta: quod omnino absit, cùm verba eius hæc Dei ipsius sint verba. Voluit dicere; quod est ex parte nostra, nihil quidē nobis conscij sumus: sed tamen minimè nos fatemur iustos, cum sæculi via suapte natura lubrica sit, sempérque lutosa. Ergo si omni tempore via lutosa est, socci forent proficui omni tempore, ad conseruandam pudicitiam; ac consequenter rumorem nudorum gressuum deuitandum. Manet ergo insoluta difficultas; cum rumorosa ista gressuum fama nequaquam ex sandalijs oriatur. Vnde igitur? Nulla apparet origo. Quod si naturalis nulla est, aut certè difficilis inuentu: relinquitur planè, causam esse, diuinam prouidentiam, ita res disponentem, vt sibi quisque persuadeat, nequaquam posse gressuum supprimi rumorem; etiamsi sandalia, etiamsi deponat calceamenta, sicut nec possunt recti ac sancti gressus occultari, ex quibus serpens perfectissimam nouit Mariæ sanctitatem.

Omni itaque punctorum genere inuidos Satanæ oculos confregit Dei genitrix. Quod si ab eius calcaneo ascendamus ad caput, eandem victoriam agnoscemus. Est enim tam perspicax inimici huius subtilitas, vt si vel vnum Mariæ capillum culpa nigrum inueniret, inde eam arriperet, raptarétque in communia hominum scelera inducens. Portabat quondam pulmentum, & panes Habacuch ad messorum suorum refectionem: quam volens Deus largiri Danieli, in remotissima illinc Babylone in lacum leonum incluso; iussit ministro Angelo, vt in lacum illum portaret Abachuch, seruo suo Danieli cibando. *Et apprehendit eum Angelus Domini in vertice eius; & portauit illum capillo capitis sui.* Quonam fine Angelus capillo

Angelorum subtilitas.

Dan.14.32.

Dan.14.35.

potius, quam manu, aut toto corpore portauit hominem? Hæc vtique est Angeli subtilitas, vt tenui capillo totum hominem arripiat, & ferat. Et dæmones omnes angeli sunt; nulla priuati subtilitate, sed gratia. Vnde ad raptandum hominem per lubrica, donec in periculosum incidat præcipitium, sufficit dæmoni capillus vnus, ansula quæuis, siue praui affectus, siue effectus, vel solius quidem originalis labis, à primis parentibus contractæ. Cum ergo Deus omnes matris suæ capillos fecerit aureos, permitteretne nigrum vnum inter illos? Nigrum originali macula capillum, quem, ad raptandam terra matrem suam serpens posset arripere? Deformis certè in coma aurea niger capillus; nec minus deformis in alba. Quid foret inter aureos Mariæ capillos vnus saltem niger tetra culpæ nigredine, albus vnus, ab Adamica productus vetustate? Scio argumenti huius solutionem eam adducendam, quæ pro cunctis aliàs causæ huius solet adduci: nigrum illum, albumve capillum deauratum à Deo candidissimo gratiæ auro post instans primum Conceptionis. Tracta profectò capillis solutio. Nec tractam miror, cum ij, qui in causa Conceptionis Mariæ res capillis subtiliter trahunt, Angeli sint, seu certè angelici. Curnam faceret Deus erga matrem suam, quod terreni Principes in seruis suis fieri erubescunt. Spectatissimus ille Imperator Macedo Philippus senem populi iudicem canos pigmento denigrantem iudiciario munere priuauit: infidelitatis asserens suspectum illum, qui alium se ab eo, qui est, esse arte aliqua intendit. Absit à cœli Rege, vt vel instanti vno aliquid permittat in parete, quod operiri, tingi, dissimulari, euelli, mutari necesse sit. Necvim rationis huius euacuat generalis Dei erga omnes consuetudo, qua hominū operit defectus, tingens, & dissimulans, quæ summa eius bonitas est, hominum fœlicitas, *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Adeo, vt tinctura hac sic tincti homines non solum alij videantur, sed verè sint alij. *Noua creatura* vocantur à Paulo. Tinctura enim hæc atque mutatio ideo summum est Dei donum, & officium, grandis pietas, quod infectos fuligine reperit Adæ filios. Clarior tamen foret eorum nobilitas, si nil in eis, quod pingeretur præcessisset.

Plutarc. in apophteg. §. 24. de Philippo.

Psalm. 31. 1.

Galat. 6. 15.

præcessisset. *Pura enim animi innocentia altior est, atque præclarior, quàm pœnitentia post peccatum*, vt S. Augustin. ait.) Decuit ergo Deiparam, vt nihil in ea, ne tenuis capillus, pigmentis indigeret. Quin etiam vnus ille capillus, qui forte esse suspectus posset; data opera aureus commendatur. *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, in vno crine colli tui.* Quare in vno? Vtique in reliquis non est adeò nouum, quod sint aurei. Nempe multi sanctorum hominum affectus, multa opera, auro nitent candidissimo: cùm nemo sit, qui vno illo saltem crine, quod ex ducta âb Adamo carne procedit, tetram non contrahat nigredinem. Quare, cum adeo exacta, adeo sit perfecta speciositas illa, quæ hunc etiam capillum habet aureum: sponsi cor ardenti vulnerat amore. Dicitque crinem colli, non capitis; quoniam, cum collum à capite in corpus sit via: nascitur filijs Adæ in via hac, qua ab ipso Adamo capite procedimus, crinis vnus niger, macula videlicet ab illo promanans. Cum ergo in Maria etiam capillus iste aureus sit, longeque à nigredine: sponsi cor merito sauciat amantissimi. Perpendite, rogo, sponsi indolem indoli oppositam serpentis. Hic infimum considerat calcaneum; crinem ille supremum; insidians hic; diligens ille: Hic capite à fœmina contritus; ille corde amanter sauciatus: calcat pes eius hunc; crinis illum tenuis corde ligat.

Aug. lib. 2. cõf. Simon Cassian lib. 9. cap. 30.

Cant. 4. 9.

Cæterum, ne vllum puncti genus præterijsse videamur; vtemur tandem cantorum punctis, punctis musicæ; quæ adhuc in puncto conceptionis Mariæ gratissima à Dei auribus harmonia resonuit. Exactissimam ergo esse debere punctorum in musica obseruantiam, eò vsque certum est, vt & templi ianitores puncta obseruent silentij, dum in choro obseruant puncta musicæ cantores. *Cantores, filij Asaph stabant in ordine suo iuxta præceptum Dauidis: ianitores vero per portas singulas obseruabant ita, vt nec puncto quidem discederent à ministerio.* Est & instrumentorum, & vocum musicus concentus, qui tum tribus, tum quatuor, aut instrumentis resonat, aut vocibus; indicantibus tonum instrumentis, quem adhærentes eis voces subsequuntur. Huiusmodi ordo in spiritali virtutum harmonia minutioribus punctis obseruatur. Est vocum trium in virtutibus musica: est & quatuor vocum. Hæc humanarum est vocum, illa instrumentorum.

2. Para. 35. 15

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

Quatuor musica vocum est quatuor virtutum moralium harmonia Iustitiæ, Prudentiæ, Fortitudinis, Temperantiæ; tres autem Theologicæ virtutes, Fides, Spes, Charitas, tres sunt huius cantus instrumenta. Ratio autem, qua oris voces dixerim morales, Theologicas autem instrumenta, ea plana est; quod, cum linguæ voces naturales sint homini, non, nisi superaddita, instrumenta: Cardinales virtutes hominibus noscam naturales; longe ab eorum facultate Theologicas; quę propterea supernaturales appellantur. Vnde consequēs est, non secus naturales virtutes à Theologicis regi, earum tonum subsequentes, ac actum ab instrumentis concentum sequuntur voces naturales. Esse enim inter virtutes concordem harmoniam, fatentur doctores, asserentes, numquam Virtutes esse omni ex parte perfectas, nisi sibi inuicem connexas. *Liquet cognatas sibi esse Virtutes*, ait Sanctus Ambrosius. Et alibi: *Connexæ sibi sunt, concatenatæque Virtutes.* Ponderat Augustin. dicens: *Virtutes, quæ sunt in animo humano, nullo modo separantur ab inuicem.* Quod nec Philosophus docere omisit. Quod si connexæ sunt Virtutes; alias aliam sequi necesse est, sicut vocem primo canentem reliquæ in choro consequuntur; aut certè instrumenta præuia resonantia. Itaque sicut vocem primam sequuntur reliquæ; sequuntur prudentiam morales Virtutes. Sic docuit imprimis Arist. noster deinde Thomas. At morales omnes, etiam prudentia, sequūtur Theologicas, charitatem præsertim, quæ cum naturales non sint, sunt instrumenta, & chori regimen. Qua, rogo, Virtute perfecte vtetur homo, qui fide cum careat, virtutis & prætiū ignorat, & præmium? Quam intensè operabitur, qui nulla spe retributionis excitatur? Quam ardenter feretur in virtutum actus homo destitutus charitate, quæ feruens est creaturæ in Deum amor: cum in cunctis alioqui operationibus sit magis quisque minusve feruens, ac sollicitus iuxta amorem rei, qua ad operandum excitatur? *Amor meus pondus meum; illo feror, quocunque feror*, ait August. Ecce Fides, Spes, Charitas excitant animi virtutes, reguntque earum sonum, vt cantent iuxta ostensam à Fide, Spe, & Charitate directionem; sed præcipue à Charitate. Est rationalis amor Charitas. In eo enim nomina duo hęc vsurpantur distincta, quod cunctorum sit amor

Simile.

Simile.

Virtutes esse connexas.

Prudentia regimen Virtutum.

Charitas regimē Virtutum.

S. Th 1.2.q. 65.art 1. Ambr.lib.1. offic.c. 26. li 5. in Luc in id. Beati paupe. Aug li.6. de Trinit.c. 4. Arist.6.Ethic.c.12.& 13.

Arist 6. Etichor.c.12. S.Tho.2.2. q.47.art.6.

Augusf.de Ciuit ca.27

animantium, charitas dumtaxat rationalium. Quapropter psallunt, & saltant omnes homines ad sonitum, quem sentiunt in cordibus suis charitatis in Deum & in proximos.

Charitas forma virtutum.

Est itaque forma Virtutum Charitas, vt cum B. Thoma dicunt Theologi. Benè formam; quoniam ingerit Spiritum & vitam ad saltandum. Pulchrè, cum musica vinculum quoddam sit, instrumenta, ac voces vniens, & ordinans *Charitas vinculum perfectionis* appellatur à Paulo. Vnde si- Colos. 3. 14.

S. Tho. 2. 2. q. 23. ar. 6. 7. 8.

Virtutes omnes languẽt, vna deficiẽte.

cut in musica solet error contingere, tum primo instrumento, primave errante voce; tum errantibus vocibus dum puncta seruant instrumenta; nec non quoniam errant voces reliquæ, etiam cum prima firma est; accidit idipsum in spirituali hac suauissima musica. Errat homo circa fidem: errat circa charitatem debitum Deo amorem ad res transferens creatas; errat circa prudentiam, iustitiam, castitatem, fortitudinem; miserum est, & lamentabile. At illud peius; sicut primum instrumentum, primáue vox, aut quæuis alia punctum errãs, non solum discordem edit sonum, sed etiam est toti choro errandi causa in tantum, vt ærariam dicatis officinam: sic in musica hac quando est error in fide, miseranda virtutum corruptio est, ac dissipatio: latratus canum cum musionum vlulatibus. Quid cum erratur charitate? Cum non Deum homo punctum sibi vnicum ante oculos statuit, sed placitas sibi indigne res alias? O miseram animam! Non lætæ voces, non grata instrumenta, non harmonia; mœsta in te resonat elegia; feralis cantus, quo ad infernum tumulum portaris. Imo cum errat quælibet alia virtutum vox; totus peruertitur concentus: super omnia charitas, quæ protinus silet, cum vox quæuis à puncto deuia, dissonat.

Caldereria.

Talis est hominum perditio; talis deordinatio; talis incompositio, talis error. Qualis est miserę animæ chorus, cum errat fidei vox; seu potius vox errat circa fidem? nam dum fidei vox est, nequaquam errat. Apostolus numerat errores. *Sicut non probauerunt, Deum habere in notitia; tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniunt, repletos iniquitate, & malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, superbos, elatos,*

Rom. 1. 28.

inuentores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia. Nec adeo mirandum, quod ex errore hoc, cùm sit erga Dei cognitionem, chorus dissipetur totus, cum fides sit cantus fundamentum, instrumentumque præuium: magis miror, quod dum errat quis circa virtutem castitatis, erret consequenter circa iustitiam, rapiens aliena, vt adamatæ impendat mulieri, imo & alienam auferens vitam, vt passim videmus,
3 Esdr. 4. 27 quod Zorobabel disertissimè dixit: *Multi perierunt, & iugulati sunt propter mulieres.* Quis magis ordinatus interno virtutum choro, quàm Rex ille Dauid, qui iucunde canebat Deo:
Psal. 5. 4. *Ad te clamabo Domine; mane exaudies vocem meam, mane adstabo tibi.* Adstabo tibi manè, figens in te ante om-
2. Reg. 11. 1. nia oculos, vt musica sit ordinatissimo concentu. Errauit iste castitate, Vriæ adamans vxorem, quid inde accidit? Errauit mox circa iustitiam, auferens ab innoxio viro vitam cum vxore.

Ille vero est generalis humanarum vocum error, quo prima primi parentis vox cantum errans incœpit. Hinc vniuersalis chori humani vox quæque errans prosequitur, dum in materno vtero homines concipiuntur. Audite, rogo, intenti vos, quàm explicitè prædicationem hanc nostram do-
Psal. 57. 4. ceat Propheta. *Errauerunt ab vtero: loquuti sunt falsa.* Quam pulchrè! Quomodo errant punctum in vtero? Quomodo loquuntur, adhuc dum ibi concipiuntur? *Loquuti sunt falsa.* Vocum error in cantu solus dicitur ille, quo voces falsa canunt. Pueri canunt A; E, nascentes puellæ: falsus planè concentus. Nullus apud musicos magis dissonas secunda: & E. post A. secunda est, cum E. post A. sequatur in vocalibus.

O suauissimum ordinatissimæ animæ Dei genitricis concentum! Quàm iocunda harmonia! Quàm dulce melos! Quàm amœna concordia! Quis tam ordinatam fœliciſſima in anima cunctarum audiens virtutum harmoniam, nullo vnquam puncto discrepantem; puncto primo, conceptio-
Cant. 6. 9. nis nimirum, dissonuisse credat, aut errasse? *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens; vt castrorum acies ordinata?* Adeò ordinata est harmonico hoc concentu Maria, vt mirentur cœlites, dicentes; *quæ est ista, vt castrorum acies or-*

dinata? Nempe ordinata, vt musicus chorus. Nam ordinatam castrorum aciem musicum esse chorum ordinatum, ipsimet explicant, qui eam vocant ordinatam aciem, protinus addentes: *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum.* Cant. 7. 1. Estque valde notandum, quia *progreditur quasi aurora consurgens*: quasi apertè dicatur, totum musicæ progressum in beatissima hac Mariæ anima progressum quidem esse primi illius puncti; quo in aurora canere cœpit; nec correctum esse ab errante aliquo Conceptionis puncto; sicut corrigitur in aliis quibuslibet, quorum animæ ordinata iocundantur harmonia.

Simile. Perstringenda magis adhuc est perfectio ista. In musica non solum punctum integrum; sed dimidium etiam attenditur punctum. A puncto enim mi-ad-fa non completum punctum sed semipunctum est. Quare qui eo tempore, quo fortiter canendum est, voce canunt lenta, languida remissa, non integro puncto, sed semipuncto ascendentes, aut descendentes, ij semitono canere dicuntur. Nec minus reprobatur, qui canit voce plena, pleno puncto, vbi semipunctum designatur. At, est latum in eo discrimen; quod quiuis erga punctum defectus error est, erga semipunctum non est error: est tamen imperfectio non exigua, ac intolerabilis auditui recte temperato. Vox quippe sonans semitono, languida est, lenta imperfecta, musicam faciens ferme dissonam. Ea ipsa est spiritualis musicæ conditio. Errat puncto quis, languet alius puncto dimidio. Tunc erratur à puncto, cum declinatur à præcepto: cum separatur homo à Deo, qui rerum punctum omnium est vnicum, Vnicus scopus, in quem tendere debemus. Ideo relinquente homine Deum, fit consequenter hominis à Deo derelictio, quam Deus ipse Verbis Isaiæ notam facit dicens: *Ad punctum, ad modicum reliquite.* Isai. 54. 7.

Infœlix punctum! Heu infœliciſſimam animam! quæ tali errans puncto, à creatore derelinquitur! Quàm peruersa est! quam inordinata! quam perdita! Sufficit, si puncto erret vno, vt puncto illo rapiatur in Tartara. *Ducunt in bonis dies suos: & in puncto ad inferos descendunt*, ait Iob. At dimidij puncti defectus, non defectio præcepti, nec Iob 21. 13.

Dei est derelictio; sed lenta, segnis, & remissa, præcepti exequutio, qua hominis vox languida emittitur; & quasi cantus semitonus. Idem, cum Euangelicorum consiliorum instans omittitur opportunitas. Itaque vitæ quæuis imperfectio semitonus est, non error vitæ: illa tamen, quæ insulsum facit spiritalis musicæ concentum.

Quæ cum ita se habeant: is quidem sit meæ prædicationis epilogus. In toto Mariæ vitæ curriculo non solum puncti nullus fuit error: sed ne dimidij quidem puncti imperfectio. Musica semper summè perfecta in Mariæ anima audita est à puncto Conceptionis primæuo. Nullus in beatissima illa anima semitonus auditus est. Illa, qua Deus resonat voce, ipsamet resonat Maria; Dei Verbo. *Vox Domini super aquas; Deus maiestatis intonuit:* & tonum est subsequuta Maria. Eadem à Deo, & à Maria prodijt vox, solo illo discrimine, quod, cum hominum vox tum à pectore, tum à capite dicatur exire; vox diuina hæc in Maria sit vox à pectore exiens; in patre à capite, & à pectore. Quo igitur puncto, quo puncto dimidio defeciſſe existimabitur? Imo cuncta libri huius puncta immaculatam Conceptionem indicare concurrunt. Epiloga.

Psal. 28. 3.

Simile.

IN EADEM IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS FESTIVITATE.

SERMO VII.

De toto libro generationis Christi, & Mariæ.

Liber generationis Iesu Christi. Matth. 1. Matth. 1. a.

Simile.

QVi proposito, ad inspiciendam immaculatæ Conceptionis Mariæ nobilitatem, diuino hoc generationis filij, & matris libro, cunctisque eius partibus figillatim digerendis, eas iam, vt audistis, distinctis concionibus prædicauimus, ab inscriptione, ac tabulis ad minutissimos vsque apices, & puncta; in ea nunc instantia sumus, qua non partes iam, sed librum totum in hodiernum sermonem afferamus. Erit bonum nuntium, læta festiuitas, alacris adstantibus vobis ornandi vos festis indumentis occasio fœlicitas hæc, qua in Dei templo tam salutiferum generationis Christi & Mariæ librum repererimus. Spectatissimus ille dominici populi pontifex Helcias, cum optatę à sanctissimo Iosia Rege templi instaurationi primam imponeret manum, sacrum in templo illo reperit librum; grande certe mysterium, ac insigne. Voluit (vt arbitror) indicare Deus, primum reparationis fundamentum esse librum seruandæ legis eius. Quem cum alacer valde Rex propter impositam iam optatissimo operi manum à legente Saphan, scriba legis attętus

Lex Domini cognita, & neglecta magnum parat contemptoribus supplicium.

4 Reg. 22. 11. cum cæteris audiret: *Scidit vestimenta sua*: misitque templi ministros ad consulendum Dominum super libri illius inuentione, timens aduersum posse esse portentum. Dicebat enim pius Rex; inopinata hæc inuenti in templo libri apparitio occasione hac, qua instaurationem eius adimus, indicium est magnum iræ Domini; qui palam videtur nobis dicere; quid tanto apparatu debitam templi mei reparationem aggredimini; qui scriptam libro in isto legem, quę firmum fabricæ stabilimentum est, fundamentum ponere negligitis? Nec vana suspicio; nam consultus Dominus, veram esse timentis Regis interpretationem respondit. Quare exactissimus Rex purificatis summa instantia templo, vrbe, lucis & campestribus, celebrans festiuissimum instaurationis templi diem; librum illum legis in eminentiori templi loco Pontificis manu collocauit; suggestúmque ipsemet ascendens, teneram ad populum habuit concionem; vt libri illius legem obseruarent, si illam templi instaurationem firmam cupiebant. Altiorem hodie in templo Domini librum reperimus; librum generationis Iesu Christi; Conceptionis matris eius; de qua in eodem libro suauiter legimus, *Mariæ, de qua natus est Iesus*; Librum legis Christi, legis nouæ, legis gratiæ, quæ firmissimum ideo templi firmamentum est. Non est, vt prisca illa scindendi nunc vestimenti occasio pro inuenti libri lege non impleta; sed potius pretiosissima induendi. Nam tametsi nos ipsos in legis custodia fateamur ignauos; adest tamen Iesus, cuius læta in libro isto generatio describitur, firmissimus templi reparator fortitudine tanta, vt veram templi firmitatem spiritalem hominum reparationem esse constituens, munificis nos ad legis custodiam, quæ templi stabilimentum est, auxiliis imbuat, & corroboret. Hoc etenim est expectatum illud lætissimæ Prophetiæ Aggæi complementum: *Veniet desideratus cunctis gentibus: & magna erit gloria domus istius nouissimæ plusquam primæ.* Etenim cum candidissima animæ vestis sit Dei gratia, conferaturque hæc noua ista generatione, in libro hoc dulciter descripta; minimè decet, vestimenta nunc scindere, sed aureis fimbriis exornare, cum Ecclesia ipsa simus Christi, quæ cum sit vox eius præparauit se: *Et datum est illi vt cooperiat se byssino splendenti, & candido: byssinum enim*

Aggæi. 2 8.

Apoc. 19. 6.

sunt

sunt iustificationes Sanctorum: ideſt elegans gratiæ iuſtificantis hominem veſtis. Accedit, quod cum ſcripta Chriſti generatione, generatio matris deſcribatur, ac conſequenter puriſſima conceptio: completa ſit nobis exultandi opportunitas in eo, quod dum gratiæ infuſorem genitum ab ea habeamus filium eandem parentem, ad vberiorem eorumdem auxiliorum, gratiæque infuſionem mediatricem habeamus.

AVE MARIA.

MOribundus iam zelator Dominicæ legis Moyſes pro vltima vitæ periodo præcepit Leuitis, qui portabant Arcam fœderis Domini dicens: *Tollite librum iſtum, & ponite eum in latere Arcæ fœderis Domini.* Non ſine digniſſimo conſideratione myſterio in arcæ latere, non in arca vtcumque, librum aſſeruari iuſſit magnus ille ſcriptor eius, Dei ſpiritu afflatus. Quid neceſſe erat, ſignanter dicere, vt in latere arcæ aſſeruaretur, ſi ſeruari in arca librum illum abſque reſpectu alio ſufficiebat? Certè ideo iuſſus eſt poni in latere vno; quod latus aliud nouo alij libro reponendo vacuum relinqui, neceſſe fuerit. *Liber generationis Ieſu Chriſti;* liber nouæ legis, nouæ dignitatis, in alio arcæ latere aſſeruandus: nec quouis quidem latere; ſed in latere dextro, ac principali. Et quoniam duo, aut plures eiuſdem autoris libri Volumine vno, ſeu vno tomo ſolent ſimul conſeri, & vniri: duo iſti libri, antiquus legis, & Dominicæ nouus generationis, tomus vnus ſunt, bibliorum volumen appellatus. Verumtamen ea, quæ inſertum vtrumque continet arca, non eſt antiqua illa lignea, atque deaurata; ſed aurea tota, obryzoque pretioſior auro, Dei genitrix; cuius filius liber eſt Dei vnicus, de quo Regius vates; *In libro tuo omnes ſcribentur:* ac conſequenter ea, quæ ventre continet filium, continens Dei librum arca eſt. Præcelſus enim tam diuinæ liber generationis, in nulla niſi in genitrice ipſa, arca poterat, vt decet, aſſeruari.

Deut. 31. 25.

Pſal 138. 16.

Scripturarũ libri duo, vetus & nouũ Teſtamẽtum vnum opus ſunt, volumẽ vnũ duobus tomis diſtinctum.

Vnde fit, vt, quidquid in vtróque libro ſpecioſum, quidquid præcelſum, quidquid purum, quidquid in primo libro

secundum expectans reperitur; plena vndique gloria reperiatur in Maria, vtrumque librum continente.

Est verumtamen operepretium prælibare, quænam sit proposita hæc, quam ex Christi, & matris generatione deducere intendimus, nobilitas; ne existimet ignarus quispiam eam esse solam, aut potissimam, quam in longa parentum antiquitate seculares homines sitam arbitrantur. Certe quæ in libro hoc, generationi Dominicæ inscripto, generatio eius commendatur, non illa sola est, quæ nobilium fulget antecessione parentum; sed ex vtroque etiam coalescit: ex ducto nempe à nobilibus sanguine, & ex ampliſſimo virtutum, rerumque gestarum monumento, quas qui exercet, mirè nobilitatur: & hoc primum & potissimum. Quod libri huius institutum liber ipse non patitur ambigi; qui cum totam Christi genealogiam, conceptum, & ortum primo absoluat capite, reliqua 27. in magnalibus eius enarrandis insumit. Si enim sola progenitorum ratio, solus sobolis sanguis, sola conceptio, atque natiuitas ad generationem pertinerent: merito quidem obijceretur Scriptori, quod libri inscriptionem generationem Christi posuerit; cum deberet potius generaliter scribere, Liber vitæ Iesu Christi, seu Iesu Christi chronologium; cuius primum generationi adscriberet caput, dicens: caput primum de generatione Iesu Christi. At cum omnia libri capita virtutes Christi, actusq; complectentia, sub generali generationis titulo comprehendat: nullum profecto relinquitur dubium, quod, cum de hominum genere, ac claritate tractatur de proprijs eius actibus, vitæque institutione sermo instituatur. Est pulcher textus diuino ipso Christi ore prolatus: *Filij huius seculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt.* Liquet autem propriorum operum prudentiam minime pertinere ad sanguinem à parentibus ductum: ac consequenter, prudentiores in generationibus suis, idem est, ac prudentiores in factis suis. Nobilitas igitur ex ipsa nominis etymologia à verbo ducitur noscendi: quatenus viri vrbis primarij illustres, & egregij magis noti sunt, quam plebeij viri; qui propterea dicuntur obscuro genere, seu sanguine. Exempta autem à tributo communitatis immunitas effectus est nobilitatis eo, quod huiusmodi nobiles ideo nobiles sint, quod magna in

Nobilitas quid sit.

Nobilitas in quo vera consistat.

Genus nobile, vnde nobile sit.

regem fidelitate obsequijs multis, eius gratiam promeruerint, vt à communibus fierent tributis exempti. Annosa autem nobilitatis antiquitas circunstantia est nobilitatis, qua eò magis augetur, quo pluribus est à parentibus ducta. Itaque vtrámque includit virtutem nobilitas; & parentum, & tuam. Est enim hæc eius definitio, quam Plutarchus affert, seu refert: *Nobilitas est virtus continuata gentis alicuius*: idest generis, seu familiæ. Ex quo turpis damnatur multorum deceptio existimantium sola illius, quo geniti sunt, sanguinis claritate se nobiles esse, etiamsi proprijs moribus degeneres. Continuatam enim à parentibus tuis vsque ad te ipsum oportet esse virtutem, vt tua nobilitas sit, quæ progenitorum fuit nobilitas Fateor; subtilis est ansa deceptionis. Putant isti, hominum æstimationem, & honorem magis cõsistere in eo, quod sunt, quam in eo quod faciunt. Sunt autem homines id, quod sunt, sanguine, quo geniti subsistunt. Vnde quoniam ductus à nobilibus atauis sanguis clarus est, & illustris, putant se solo hoc illustres, & claros; etiamsi ipsi à progenitorum virtutibus deficiant. Turpis plane deceptio. Nã sanguinis claritudo minime sanguinis naturã cõsequitur; cũ sordidi hominis humores magis, quã nobilissimi esse sanos, & claros passim contingat. Illum ego dixerim sãguinẽ clarum, & illustrem, qui nobiliũ cõseruat progenitorũ mores, & virtutes. Alioqui tantũ abest, vt homo sit id, quod est parentum sanguine; vt potius sit ab eo alienus, & à se aliena parentum conditio. Graphicè satis dixit Tragicus.

Plut. de nobilit. tom. 3. moralium.

Qui genus iactat suum,
aliena laudat.

Tragicus in Hercul furente act. 2. scena. 3.

Nobilitas hominis proprijs augetur actibus: propria perit indignitate.

Vnde quod nobilitas vel augeatur, vel pereat; in manu ipsius hominis est. Crescit, si homo agit ea, quorum similibus progenitores sui talem claritudinem compararunt. Imo non hæreditata, comparantur, si ea, quæ nec maiores egregia operati sunt facinora, exerceat ipse. Luculẽter B. Ambr. *Probati viri genus prosapia virtutis est. Quia, sicut hominũ genus homines, ita animarũ genus virtutes sunt* Perditur autem hæreditata nobilitas, si à virtutibus illis, quibus progenitores tui nobilitati sunt, indigne defeceris. Imo infamis efficieris, si Regi infidelis deprehendaris, sicut atavi tui nobiles facti sunt, quoniam probati fideles in Regem. Descenderunt

Ambros. de Noe & arca

aliquando Phariſæi in certamen cum Dei filio arguente eos vilitatis, ob indigna nobilium opera, ſordidas maculas: defenderuntque ſuam ipſi nobilitatem antiquiſſima ſuorum claritate parentum; nobilique à tributo immunitate, aſſe-
Ioan. 8. 33. rentes; *Semen Abrahæ ſumus, & nemini ſeruiuimus vnquam.*
Ioan. 8. 37. Sed quid Dominus? *Si filij Abrahæ eſtis; opera Abrahæ facite.*
Ioan. 8. 44. *Vos ex patre diabolo eſtis; & deſideria patris veſtri vultis facere.* Vnde, tantum abeſt, vt liberi ſitis à tributo, vt potius ſordi-
Ioan. 8. 33. diſſimo Principi exoluatis vectigal. Quoniam, *qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.* Vnde pompoſa de genere præſumptio vanorum hominum veram in virtute nobilitatem non conſtituentium phantaſtica præſumptio eſt, amenſque phantaſia.

Quod ſi nec verbis Domini conuincantur hi, eo quod putent, eum diuinitus loqui contra eam, quæ apud homines humano eſt nobilitas conceptu: Legant ignari iſti ſcripta ſapientum Philoſophorum vniuerſa; nihil impenſius doctrina hac commendatum comperient. Puder quod Chriſtianæ profeſſionis homines tam abſurda ſint illuſione decepti in eo, quod ethnici perſpicua docuerunt claritate.
Plutarch in moral. to 3 in fragm li. pro nobilit. *Quid enim nobilitati honorificentius* (ait Plutarchus) *quàm à diuina illa æqui boni diſceptatione, æquitate, iuſtitiáque originem ſumpſiſſe? Nec negabo, nobilitatem generis initia duxiſſe à virtute, eadem fulciri, eiuſdem radijs illuſtrari.* Quid ergo ductam iactas à parentibus tibi nobilitatem, ſi hanc eis deſinis tueri virtutibus, quibus eam illi compararunt? *Niſi enim tueare; deſinis* (ait ille) *eſſe quod proaui fuere. Enimuero qui tuetur relictam à parentibus gloriam, & virtutem, ipſe quidem multis nominibus generoſus dici poteſt.* Altam Boëtij audiamus ſententiam: *Si quid in nobilitate bonum eſt, illud vnum agnoſcito, quod ſuggerat tibi ita viuere, vt iacturam eius pertimeſcas.* Morſus à nobilibus populi Romani viris Caius Marius, quod obſcuro genere natus, conſularem eſſet adeptus dignitatem, diſertè ſatis reſpondit eis: *Vos, qui ex nobilibus nati eſtis parentibus, interrogate eos, virum eſſe vellent filium ſuum? Mene, an aliquem ex vobis: cum degeneres vos, ego nobilibus valde ſim ſimilis.* Auctor eſt Salluſt. Non parum conſona propoſito huic garrulitas cornicis ſonuerit, ſi duas eius conſideremus proprietates. Alteram, modum generationis, quam ex recepta po-

Boetius de conſol. li. 3.

Salluſt. de bell. Iugurt.

Nobilitas generis cohibet nobiles à turpibus operibus.

Nobiles vana iactant nobilitatem, cerebro ignobiles.

puli sententia, ore fieri scribit Pierius; dum fœmina, & mas rostris se cõtingunt. Alteram, garrulitatis excessum; de quo plura Plinius inter alios. Quæ significatio? Quæ figura? Certè qui suam iactantes generationem, nimis blaterantes garrulantur: totam hi ore generationem habent, rostro totam; nullam generis sanguine. Longe ab illis qui proauis verè nobiles sunt; quos raro genus suum ore sumere audieritis. Recordatus cornicularis garrulitatis, blaterones homines cornicari, dixit quidam ex Poëtis.

Pierius lib. 20. cap de Cornice. 8. Maritalis copula.

Cornix garrula nimis rostro generat filios.

Plin. lib. 10. cap. 43.

Iactabundi homines nobilitatem generis sui magnificantes magnũ præbent indiciũ nobilitatis nullius, aut exiguæ.

Nescio, quid tecum graue cornicaris inepte.

Persius.

Appositè B. Chrysost. *Quisquis de sola generis nobilitate gloriatur: se quidem ipsum vacuum esse virtute, de qua gloriari possit, ostendit. Melius tibi est, vt parentes tui, esse te eorum filium glorientur; quàm tu, quòd talibus sis patribus ortus.* Dicito tu, qui de tua prosapia tanto boatu gloriaris: si parẽtes, & proaui tui omnes à vigesima generatione valde fuerunt opulenti; eris ne ea ditione contentus? iactabis te diuitem; cum sis pauperior Aristide? si contentus es tu, tuus vtique venter nequaquam est cõtentus, etiamsi Mida ditiores tibi fuerint parentes. Ergo nec magis tibi est, vnde vere possis de nobilitate gloriari, si nobilibus oriundus progenitoribus, ea virtute vacuus es, quæ illos nobiles effecit. Dices forte, opes hominum extra ipsos homines esse, ac ex consequenti minime in posteros traduci: at nobilitas, cum in homine sit, in filios, autumas, transfunditur; qui ipsam parẽtem contrahunt naturam. Sit ita sanè: ne super rem difficilem certemus, cum ex tua hac confessione plane possis conuinci. Si proaui tui omnes, & parentes, multa fuerunt famosi pulchritudine; iactabisne pulchritudinem tuam, cum pallidus sis, ac toruo vultu? Quid dicis adhæc? Non valet hic apparens hæc à te adducta euasio. Nam ex genitorum proprietatibus corporales plures transeunt in filios, quàm aliæ ad animum expectantes; cum corporeus in eos traductus sit sanguis. Alioqui veras probationis opportunitates consulito. Cum de coniuganda egeris filia, quam ob deformitatem à viro reijci intellexeris, dic (rogo) ei; falleris plane, pulchra nimis est, cum vniuersæ eius progenitrices supra modum fuerint speciosæ. Ego (si vis) autenticam afferam probationem ex testibus multis; qui iurent ex omnibus illis

Iactantia ex nobili genere vana, & sæpius falsa.

Chrysost. in ca. 4. Matt. & Homil. de nomine Abram to. 1

Nobilitas generis cohibet nobiles à turpibus operibus.

Nobiles vna iactant nobilitatem, crebro ignobiles.

nullam non candidissimam fuisse. Quidnam dicet sponsandus? Quid ad me, quod & mater, & auia fuerint Elena gratiosiores, cum filia sit altera Vetustina? Fuerint fœdæ parentes, plusquam noctuæ; si hæc modo bona existeret forma. Quanto minoris nostra omnium refert, quod à Comite Dirlos ducas originem; si proprijs es ingratus operibus? Modica ergo nobilitas est, quam ex sanguine ducis, comparatione eius, quæ à te ipso procedit, dum veris es virtutibus clarus. Illustrior quidem nobilitas illa, quæ vtrique est innixa fundamento, & tuæ, & virtuti antiquæ tuorum; sed ex duabus his longe altior, quæ ab ipso te originem habet. Lex statuta est: nobilissimarum lex Hispaniarum; nobilissimi Hispanorum Regis Alfonsi, cognomento sapientis edita iudicio. *El ser noble, es por linage, opor bondad. Y como quier, que el linage es noble cosa, la bondad le passa, y vence. Mas quien las ha ambas, este puede ser dicho en verdad rico home.* Quinam nobilitatis, & honorum sunt iudices, nisi Reges? En cum Christiano Principe concordauit Antigonus, qui postulanti duplum solidum militi eo titulo, quod Antigoni Pater, Demetrius Rex, patri eiusdem militis duplum semper impendisset, respondit: Ego equidem propriam, non parentum virtutem in remunerationibus attendo. Quod si in huiusmodi iudicijs nec Platonem licet præterire nec Senecam: vna vtrumque audiamus sententia, qua illum hic referens, sic addit. *Quæ nobilem faciunt, dignumque honore virum non atria multis progenitorum statuis ornata, non imaginum multa monumenta; sed animi proprij virtutes sunt, nec nostrum dici potest, quod ante ortum nostrum fuit.* Sed minus licet præterire Bernardum, clariori diuinitus instructum iudicio, scribentem Summo Ecclesiæ Pontifici. *Vendica tibi nobile genus: quod non aliunde nobile, quam morum integritate, & fidei fortitudine.*

Lege 6. tit. 9. 9 part. 2.

Plutar. in Apophteg. pro Antigono.

Senec. epi. 44.

Bernard de Cõsiderat. lib. 2.

Altius adhuc ascendit supra sanguineam, seu ingenuam propria animi nobilitas. Cum videlicet non propriam dumtaxat virtutis attendit honestatem, non solam regi, atque Reip. debitam fidelitatem, & obsequia, sed etiam, & hoc primum, debitum summo cœlorum Regi amorem, fidelitatem, beneplacitum, obsequium. Si enim nobilitas claritudo est ita, vt idem sit dicere nobilem virum, ac virum clarum,

Nobilitas ex celsior obsequium Regis Regum.

& illustrem; solam illam esse nobilitatem, quæ gratia Dei est, plane consequitur: cum sola hęc certa sit claritas; solum obscuritas peccatum. Diuinum magistrum audiamus. *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex; totum corpus tuum lucidum erit.* Lucis conditio ea egregia est, vt obiectum, quod irradiat, reddat clarum, fulgens, ac speciosum, & alienos etiam oculos ad videndum illud, simul illuminet. Vndique ergo lumine est perfusus homo ille, qui & ad intuendum recipit oculos; & corpore lumen, quo illustris est, atque præclarus. Valde quidem præclarus, valde illustris: cum id, quo Dei oculis est gratus, gratia sit habitualis; quæ lucidum est animæ ornamentum; quod nuper audistis datum sponsæ: Vt cooperiat se byssino splendenti, & candido: byssinum enim iustificationes sunt Sanctorum: nempe gratia iustificans, & nobilitans, Qua vt exornari curent dispositionibus vtcumque adhibitis, etiamsi non promerentibus, exhortatur omnes Nazianzenus, dicens: *Si coccinei, & perfecti viri estis: etiam vsque ad lanæ candorem perueni te. Quanam dispositione? Si oculus fuerit simplex.* Ille siquidem homo, cuius adeo simplex est oculus, vt vnum iugiter adspiciat, quin ad plura diuertatur; vnum scilicet Deum, nihil aliud attendens, neque curans; totus est lucidus, præclarissimus totus. Quis ergo clarus adeo? quis adeo illustris? adeò nobilis? Est ita clarus homo iste, sicut adamantina laterna, quæ candido lucernæ in media laterna positæ fulgore perfusa est, ac nitidissima. Hæc enim est, qua verbis istis vtitur Dei filius similitudine. Ex opposito, peccatum obscuritas est, atque caligo. *Error & tenebræ peccatoribus concreata sunt*, ait Ecclesiastic. Quidnam est, Concreata? idest, in eodem instanti, quo homo fit peccator, tenebrosa caligine circundatur. Tantum abest, vt clarus, tantum vt sit nobilis. Quanta iuxta regulam hanc dicitur nobilitas Virginis illius, cuius nullus præterea gressus fuit, cogitatio nulla, quàm vt sponsi sui gloriam quæritaret?

Matt. 6. 22.

Apoc. 19. 6

Greg. Naz. orat. in sãcta lumina, in fine.

Ecclı. 11. 16.

Ex quo sequitur prędictus ille nobilitatis, ac ignobilitatis effectus, quod homo quicumque luce ista clarus, liber sit à iugo, ac seruitute; seruus, ac tributarius, quisquis diuino isto claret lumine. Vtrumque verbo dicit Apostolus: *Cum enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ.*

Rom. 6. 20.

Gratia iustificans, gratumque faciens hominem, ornamentum est, seu vestis candidissima.

Simile.

Gratia gratum faciens splendor est animæ.

Nobilitas ex celsior obsequium Regis Regum.

Iustus homo nobilis est & clarus, atque à misero immunis tributo.

Eratis (ait) peccati tributarij, seruique miserabiles, cum interueniente iustitia, qua estis apud Deum iustificati, liberi protinus, ac nobiles facti estis. Est adeò durum iugum, adeo abiecta seruitus, adeò sordida ignobilitas; vt non solum seruus fiat homo; sed etiam emptum, venditumque mancipium. Ita in persona peccatoris loquens, dicit idem Apostolus: *Carnalis sum, Venũdatus sub peccato.* Ideſt, quisquis carni inseruit, venundatus est sub imperio peccati. Quod iniquo Achab, opulentissimo Regi, exprobrauit Elias verbis istis. *Eo quod venundatus fis, vt faceres malum.* Quid ergo vos, auditores mei, de generis vestri claritate gloriamini, si peccati fuligine supra coruos estis obscuri? Quid immunitatem vestram magnificatis; si vilissima estis peccati vilissimi mancipia, empta, atque venundata? Apositè valde diuinus Vates canit, & prædicat: *Qui exasperant, non exaltentur in semetipsis.* Nouerint vniuersi, & singuli, qui peccatis suis summum gloriæ Regem quoquo modo offendunt & irritant; nihil penitus, quo exaltari possint, ac gloriari, sibi remanere. Kaldæus legit, *non exaltabuntur*; nunquam erunt in honore. Id quod apertè explicuit Sapiens; *Dum persuasum habent iniqui, posse dominari; vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti, inclusi sub tectis, fugitiui perpetuæ prouidentiæ iacuerunt.* Quid gloriamini insensati; quòd domini esse possitis & clari; cum adeò obscuri sitis iniquitatibus, vt mãcipia facti, vestrarũ cõpedibus tenebrarũ ligati, vilescatis? Fugitiui serui; & ideo serui viliores, quod nõ sæuũ aliquẽ Dñm fugiatis; sed perpetuã, Dei prouidentiam; perpetuã, quę vos perpetuò vocat, perpetuò curat, perpetuò muneribus innumeris insequitur, ne in tam obscuro tecto latitetis, quin vos inueniat, extrahat, inferno comprimat ergastulo, flagello verberet perpetuo. Ex opposito, cuiusnam nobilitas, claritas, gloria, tam magnificis verbis, tanto apparatu, tam perpetua memoria commendatur ac sanctæ Iudith, supra omnem laudem exaltatæ? Quam vt ipse Summus inuiseret Pontifex à Ierosolymis Bethuliam venit, cum omnique populo vna voce clamauit: *Tu gloria Ierusalem; tu latitia Israel; tu honorificentia populi nostri.* Et Ozias Princeps populi: *Benedictus Dominus, quia nomen tuum ita magnificauit, vt non recedat laus tua de ore hominum.* Vndenam fœminæ nobilitas

Peccator sordida est obscurus ignobilitate, durissimoque iugo tributarius.

Rom. 7. 14.

3. Reg. 21. 20.

Psal 65 7.

Sap. 17. 2.

Timor Domini clarissima nobilitas.

Iudith. 15. 10.

nobilitas tanta? tanta claritudo ? tanta gloria? Quindecim genealogiæ eius proauos nominatim numerat textus: subditque protinus: (audite) *Et erat hæc in omnibus famosissima; quoniam timebat Dominum valde.* Itaque illustri adeo, tantáque antiquitate genere descripto, non ob genus illustre, sed propterea dicitur famosissima, quod Deum valde timeret. Non seruili quidem, sed nobilissimo illo timore, quo nobiles animi venerandum Dominum, omnique dignum amore, & obsequio, quantauis timent iniuria exasperare. Estque significans summam nobilitatem vox ista, *Famosissima*: quoniam ad integram nobilitatem, sufficit publica in toto populo notio vsque ad muros, & portas, vt Salomon definit, dicens de fortis fœminæ coniuge; *nobilis in portis vir eius.* Qui fortem pudicitia habet vxorem, honoratus est, totóque nobilis populi ambitu vsque ad portas. At qui famosus est, vlteriore floret nobilitate; cum eius notio, nomen, fama ad alias extra vrbem regiones perueniat. Iuxta hanc similiter regulam, quis non pleno ore fateatur, nullo vnquã subditam tributo, nullis peccatorum vinculis compeditam diuinam hanc Deiparentem, quæ tam longe ab obscuritate abest peccati; tanta est virtutum omnium fulgore circundata? Sed plus vltra processisse nobilitatem eius indicare contendimus. Prou. 31. 23.

Iusti homines in lege Christi nobilissimi sunt habẽtes Deũ genitorem.

Amplius adhuc veneranda hæc animi nobilitas elucet, Mirabile, naturámque superans humanam. Potest (vt dictum est) obscurus genere homo propria nobilitari virtute; at non potest vtrinque nobilitari; genealogialem quoque claritatem proprijs comparans operibus. Itaque alij sunt ex parentibus nobiles, proprijs alij virtutibus; vtráque alii claritate, quod eam, quam à progenitoribus hæreditant, propriis augeant facinoribus, qualem fuisse Iudith, commemorauimus. Constat autem, propriis partam actionibus hæreditata esse clariorem: Splendidiorem vtráque eam, quæ vtrumque ambit fulgorem. Quis autem potest vtriusque florere nobilitatis complemento si genealogialem fulgorem nullum à progenitoribus duxit? Qua ratione nobilium filius efficietur, qui natus est ex ignobilibus? O admirabilem diuinæ sapientiæ, & pietatis artem, & amorem? Audite, homines, quæ omnem exsuperat mentem, exquisitam Dei

Timor Domini clarissima nobilitas.

adinuentionem, qua nati iam ex progenitoribus obscuris, illustrissimi parentis sitis filij. Estote vos sanctis nobiles actibus; tunc nobilitas hæc, vtráque erit vobis nobilitas, si secundam hanc nobilitatis partem, quæ actibus propriis comparatur, ita vos quærere nitamini, vt eos actus in supremi Regis nobiliter dirigatis obsequium, & amorem: eo quidem ipso amore & obsequio filij quidem Regis efficiemini, non ipsorum merito obsequiorum, sed eiusdem Regis bonitate; qui quos supernaturali auxilio suo ita benè affectos videt, gratia generat in filios. Textus apud B. Iacobum: *Voluntarie genuit nos verbo veritatis.* Mirabilis plane generatio. Quomodo potest natus iam homo, rursus ex alio nasci parente? Interrogationem hanc proposuit Dei Filio Nicodemus, doctrinam istam proferenti verbis istis: *Nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei. Quomodo potest* (ait ille) *homo nasci, cùm sit senex; Nunquid potest in ventrem matris suæ iterum introire, & renasci?* Cui rursus Saluator: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Vox illa, *denuo*, Græca lingua simul est de nouo, & *superne*; quoniam modus hic nascendi denuò supernaturalis est; factáque diuinitus generatio. Atque ideo Cyril. legit supernè, vtrumque Chrysost. sed adhæret lectioni Vulgatæ. Sed quoniam baptismalis gratia peccato quouis mortali deletur restituitur filiatio vera pœnitentia, qua lapsus post Baptismum, toto ad Deum conuertitur corde. Hac quippe ratione Filius Dei fit ex gratia ipsius, non ex humanæ actionis debito, seu merito. Restituit namque hominem pœnitentia in eum gratiæ statum, à quo cecidit delinquens; vt cum B. Thoma cõcordes Theologi ex manifestis Scripturis agnoscunt, & Sancti Patres cum Hieron. Vnde cum ante lapsum esset filius; est item filius pœnitentia. Quod satis apertè innuit Summus Magister in filij prodigi parabola; vbi perditus filius, à Deóque auersus, rediens ad eum ait: *Pater peccaui in cœlum, & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus. Pater ipsius misericordia motus est: & osculatus est eum*: Dixitque, *Cito proferte stolam primam, & induite illum. Hic filius meus mortuus fuerat, & reuixit.* Qua parabola, & noua filiatio, & maximus filij commendatur splendor, splendidissima nobilitas. Imo & baptismo ob impossibilitatem non susce-

Iacob. 1.18.

Ioan. 3.3.

Græca.

Cyril. lib 2. cap. 40.

Chryso. homil 23 in Ioan.

S. Tho. 3. p. q. 89. ar. 1. & 2.

Hiero. li 2. cõtr. Pelag. c. 10. & epi. 146. ad Damasum.

Lucæ 15.18.

pto, sola fit filius pœnitentia. Quod iuxtà sacras Scripturas Tridentinum Concilium, & intellexit, & definijt. Appositè Nazianzenus cognomento Theologus pœnitentiam vocat *baptismum lachrymarum*. Est veruntamen tunc illustrior nobilitas, quùm non solâ est filius regeneratione, sed imitatione etiam, quâ naturalem Dei Filium imitatur adoptiuus. Ecce itaque, homo filius efficitur Dei; quænam adeò celsa, adeò clara nobilitas? In tua est, ô amice, potestate fieri Dei filium, eis, quibus te confortat auxilijs, cum dicat Chronologus diuinus: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Nec nomine tenus, aliáue filios similitudine, aut figura; sed qui, *ex Deo nati sunt.* Quod Gregorius considerans sic ait. *Quid hac potestate altius? Quid hac altitudine sublimius?* Vt & plenam habeant potestatem, fieri Dei filios; & vere ex Deo nati sint.

Conc. Trid. Nazianz. orat. 39.

Ioan. 1. 12.

Ibid.

Iusti lege Euangelica nõ solum sunt à sordido immunes tributo perpetuo, sed etiã hæredes bonorũ cælestiũ regis.

Ex qua nobilitate diuina ille sequitur spiritalis effectus; qui ex humana suo sequitur modo: immunitas scilicet ab spiritali tributo, quo impij comprimuntur sub peccato. Ideo Christi legem vocat Iacobus legem perfectæ libertatis: *Sic loquimini, & sic facite, sicut per legem libertatis incipientes iudicari.* Quam vere esse filiorum libertatem, & docet Paulus, & magnificat dicens: *Hæc ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Vnde non solum liber à tributo; verum etiam hæres ipsius est Regis, cuius efficitur filius. *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei. Si autem filij, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Videturne vobis nobilitati huic, ac celsitudini aliqua Regum terræ comparabilis?

Iacob. 2. 12.

Rom. 8. 20.

Rom. 8. 16.

Quàm ergo mente sunt hæbetes, qui, ne minimam faciant eius, quem ad nobilitatem pertinere putant, honoris iacturam, summam hanc despiciunt claritatem, filios Dei esse negligentes! Imo qui ob quamcumque aliam turpitudinem, deserunt Deum, ac consequenter filios eius esse non æstimant. quàm dolenter clamat Deus ipse super hanc hominum dementiam, dicens ore Mosis: *Audite cæli quæ loquor; audiat terra verba oris mei. Peccauerunt ei; & non filij, eius in sordibus.* O miseros! existentes in sordibus nõ sunt

Deut. 32. 5.

filii eius; sed *generatio praua, atque peruersa*, ignobilis sordida,
Deut.32.18. abiectissima: *Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui. Dixi, vbinam sunt?* Homines isti, qui se iactant dicentes, magni sumus; in oculis omnium refulgemus; sunt quasi non essent. *Vbinam sunt? Cessare faciam ex hominibus memoriam eorum.* Heu miseros homines! ignobiles, sordidos, despectos: in memoria hominum minime existentes! Quàm sublimem adipisci nobilitatem omittitis; cum Dei filii esse non curatis! Vestra culpa est: tota advsque vestra. Deus ex parte sua semper est Pater: vestra vos culpa filios eius fieri desistitis. Suauissima filii eius, verba
Matth.5.44 perpendite. *Diligite inimicos vestros, vt sitis filij, Patris vestri.* Domine, quomodo possumus non esse filii Patris nostri? Vtique ex parte sua Pater vester est, generationis titulo, si aliquando gratia eius geniti fuistis; vel saltem creationis, qui nulli nõ competit. At ex parte vestra fieri potest, vt filii non sitis amissione habitæ gratiæ, vel nulla vnquam eius infusione. Vtrumque enim titulum ex parte vestra amissum asserit Deus ipse prædictis nuper verbis: *Deum qui te genuit dereliquisti; & oblitus es Domini creatoris tui.* Quodnam est adeo durum, adeo ferreum, adeo insensatum hominis cor, quod dulcissimis istis, his amarissimis Dei verbis non omnino moueatur? Quod si supra omnem nobilitatis gradum ille *Simile.* eminet vnus, vt ad excipiendum sibi subditum hominem exeat Rex magnus regia obuius ex aula, quibus potest verbis nobilitas tua, ô auditor mi, explicari, aut concipi, cum summus ipse gloriæ Rex in ipso, quo ad eum venis instanti, ad excipiendum te alacer procedat, imo & te amplectatur, osculetur, & ducat, vt in prędicta parabola profitetur ipse
Lucę 15.20. verbis istis. *Cum adhuc longe esset, vidit eum Pater ipsius, & accurens cecidit super collum eius, & osculatus est eum.*

Nunc scrutandum est, quo gradu resplendeat in Dei matre nobilitas hæc, quę cœlestis est claritas: ac consequenter libera à peccati iugo immunitas cum antiquitatis circunstantia. De nobilitate, ac claritate nemo ex fidelibus dubitat eam esse gradu excellentissimam sublimi. Est tamen egens expensione quod ad huiusmodi antiquitatem spectat. Cum enim omnium huius generis nobilium pater sit Deus: non videtur filii vnius præ alio diuturnior antiquitas, cum

Nobilitas spiritalis vnde habeat generis antiquitatem.

non possit vnus plures, quam alius, proauos suos numerare. Eget similiter singulari discussione, quod ad Deiparæ Conceptionem attinet, an fuerit nobilis in ipso conceptionis instanti: an tributo subiecta, originalis scilicet peccati. Etquidem vna es vtriusque propositi inquisitio. Nam cum nullus in hoc genere antiquiores, quàm alius habeat progenitores; tota in id deuoluitur antiquitas, vt quis priusquam alij filius Dei fuerit, nempe in vitæ primordijs, sicut B. Ioannes ab vtero cœpit esse Dei filius; nõ nisi post annos multos Magdalena. Vnde illa erit diuturnior nobilitatis antiquitas, quæ cœperit à conceptionis instanti; ac consequenter nunquam sub tributo; semper clara, semper honorabilis. Imo tanto clarior, quanto diuturnior. Nam vt Augustinus & Simon Cassianus consenserunt. Innocentia vitæ altior est, quàm pœnitentia post peccatum.

Innocentia illustrior quam pœnitentia.

Aug. lib 2. Confessio. Simon Cassian. li. 9 ca. 30.

Cum autem nobilitas hæc à proposito generationis Domini libro petenda sit, cum priori scripturarum tomo coniuncto; tomúmque vtrumque in Maria, quasi in arca asseruatum dixerimus: Librum vtrumque in diuina hac Deipara Virgine, & in libro hoc vtróque Mariam ipsam perspiciamus. Fiant librorum horum collationes duæ: 1. ex initio primi libri cum fine secundi: Vice versa, altera ex toto secundi discursu cum prioris exordio; in quo vtriusque libri fit concursus.

Maria vndecumque nobilissima, Clarissima tota.

Sumamus ergo ex antiquioris libri principio indictum illud inter serpentem & fœminam certamen: quo serpentis caput à muliere conterendum dixit tunc Deus, quod mulierem ille primam dolo ad transgressionem induxisset, qua posteri eius omnes ignobiles, sordidi, originalisque peccati tributo subditi corruimus. In cuius impostura, maleuolentiæque vindictam, dixit serpenti diabolo Deus: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Ex calce autem nouissimi libri adducemus illustrissimam illam repræsentationem candidissimæ fœminæ, factam in cæli theatro, quam à se Apocalypsi perspectam, testatur Ioannes verbis istis. *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.* Mulier hæc nitidissima ea ipsa fuit, quæ à Deo in Ge-

Maria caput serpentis cõtriuit.

Genes. 3. 15

Apoc. 12. 1.

nesi promissa, vt cum serpente prælïaretur, caputque eius comminueret. Vterque indicat, & Apocalypsis, & Genesis contextus. Nam in extremo hoc dicitur: *Et visum est aliud signum in cœlo; & ecce Draco magnus stetit ante mulierem, quæ erat paritura: vt cum peperisset, filium deuoraret eius. Et proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus*: (Notate verbum, *Serpens antiquus*) vt agnoscatur esse ille ipse, cui initio mundi dixit Deus, *inimicitias ponam inter te & mulierem, qui vocatur Diabolus, & Satanas, qui seducit vniuersum orbem* (sicut seduxit mulierem primam) *& proiectus est in terram; & Angeli eius cum eo missi sunt.* Isti sunt Angeli pessimi, de quibus Deus in Genesea illa comminatione: *Semen tuum, & semen illius*; nam Dæmones semen sunt Diaboli. De prole vero fœminæ dicitur; *Draco stetit ante mulierem, vt cum peperisset, filium eius deuoraret: Sed proiectus est in terram, & Angeli eius cum eo missi sunt.* Ecce adimpleta comminatio; *Ipsa conteret caput tuum.* Et subdit: *Postquam vidisset draco, quod proiectus esset in terram, persequutus est mulierem.* Ecce, *tu insidiaberis calcaneo eius. Et iratus est draco in mulierem, & abijt facere prælium cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata Dei.* Ecce quod prædictum fuerat. *Semen illius*, qui sũt Sancti omnes, *qui custodiunt mandata Dei.* Est ergo vna eadem, & quæ in Apocalypsi, & quæ in Genesi describitur mulier.

Apoc. 12. 3.
Apoc. 12. 9
Apoc. 12. 4.
Apoc. 12. 13
Apoc. 12. 17

Ergo mulierem hanc à Deo in serpentis duellum promissam in Genesi, & tandem in eiusdem serpentis casum Apocalypsea narratione missam, non esse aliam, quam Dei matrem, inde constat, quod promissam illam aliam præter Deiparam esse potuisse, nec textus patitur, nec est mulier alia, cui prælium hoc attribui possit, nec aliam doctus quisquam intellexit; sed Mariam omnes. Ambros. Augustin. Gregor. Beda, Hierony. Iræn. Cyprian. Chrysolog. Bernard. Leo Rupertus, & Nyssen. Minor aliqua apud Doctores est circa illam amictam Sole mulierem conuentio, quòd illa sit Maria Dei genitrix, cum Ecclesiam non pauci interpretentur. Quorum cum non negemus sententiam; non est, quod illi, aut alius quisquam neget nobis aptiori intellectu illam esse Virginem Deiparam. Omnia enim vtrimque concurrentia in sententiam hanc conspirant. Concordia im-

Ambr. de fuga sæcul. c. 7
Aug. l. 12. in Genes ad lit. c. 39 & 1. li. de Genes. cõt. Manic. ca 18. & ser. 17. de natal. Domini.
Greg. lib 1. Moral. c. 19 alias 38.
Bed. in Genes. 3.
Hierony. in quæst. Hebraicis.
Iren li. 4. c. 78.
Cypr. l. 2 ad Quirin. c. 9

primis promissæ ad conterendum serpentem mulieris cum ea, quæ dicitur sole amicta, cum serpente pugnasse; eum peruicisse; ab eo retro persequente erepta, & exaltata. Cum enim illa in Genesi promissa, & quæ Apocalypsi descripta est eadem sit, vt apertè probauimus: sitq; Maria mulier illa, quæ in Genesi promissa est, absque vlla prorsus controuersia, esse eandem Mariam fœminam hanc in Apocalypsi. Collucentem, certa est absque dubio consequentia. Sed sunt adhuc plura in textu conuenientia verba. Inter cętera illud: *Draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura; & peperit masculum, qui recturus erat omnes gentes, & raptus est filius eius ad Deum, & ad thronum eius.* Mulierem hanc esse Christi parentem, non video qua possit euasione aliquis in dubium reuocare. Quid si efficacior alia ostendatur probatio? Mihi sane valde efficax est. Ait Sponsus in Canticis ad sponsam: *Pulchra vt Luna; electa vt Sol.* Quam sponsam Ecclesiam esse constans est omnium consensio. Origenes, Gregor. Nyssen. Theodoret. Anselm. Iustinian. Bed. Bernar. Richar. Vict. insuper Ambros. Gregor. Basil. Nazianzen. Chrysost. Cyprian. & Euseb. cum Depranio Floro. Nec patitur dubium id, quod sequitur; *terribilis vt castrorum acies ordinata.* Nulla siquidem fœmina sicut castra ordinata; congruè dicitur, nisi Ecclesia, quæ ipsa est fidelium acies castrorum. Ergo si Ecclesia pulchra vt Luna est, quomodo potest sub pedibus habere Lunam? *Mulier amicta, Sole, & Luna sub pedibus eius.* Certè Luna sub mulieris pedibus, quasi sandalia eius est, aut calceamentum; non ergo mulier ipsa dicetur pulchra, vt Luna? Esset profecto Satyrica in fœminam irrisio, si quis diceret ei; Tu pulchra es sicut calcei tui, tuave sandalia.

Petr. Chry. serm. 173. Bern. ser. 2. in Missus est. Leo serm. 1. de Nat. Dñi. Ruper. in c. 3. Genes. Nysse. orat. de Natiuit.

Cant. 6. 9.

Orig. ibid. Greg. Nyss. Theodor. Anselm. Iustinus. Beda. Bernardus. Rich. Vict. Ambr. li. de Isaac cap. 3. & Apolog. de Dauid. 2. & l. 5. de Sacram. c. 2. Gregor. in Moral. Basilius in Cant. Nazianzen. ibid. Chrysost. Cyprianus. Eusebius. Depranius Florus, ibi.

Ergo cum Sponsæ Ecclesiæ dicat Sponsus, non ludibrio, sed sublimi affectione, & encomio *Pulchra vt Luna*: non videtur Ecclesia ipsa esse mulier illa, quæ Lunam sub pedibus habet, sed quæ sic habet sub pedibus Lunam, alia sublimior est, sola Dei genitrix. Hæc etenim vna totam sub pedibus habet Ecclesiam, Luna designatam, cum ipsa sit omnibus simul hominibus cœlestibusque sublimior spiritibus. Sicut enim de Christo

Ioan.1.27. dixit ille hominum maximus : *Non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti* : sic Ecclesia pedibus Deiparę, grande sibi id honorem esse fassa, supponitur. Nec obstat illa magna Ecclesię claritas, qua simul dicitur: *Pulchra vt Luna, electa, vt Sol;* quoniam ibi quidem non vt Sol pulchra; sed vt Sol electa perhibetur. Electio autem in vnitate consistit. Itaque sicut Sol est vnicus, ita Ecclesia vna. Quod plane constat eiusdem Sponsi commendatione, qui dicens, *electa vt Sol*, simul dicit vnam. Hoc est canticum eius : *Vna est*

Cant.6.8. *columba mea : vna est matri suæ : electa genitrici suæ ; pulchra vt Luna, electa vt Sol.* At mulier alia, cuius sub pedibus est Luna, non quidem soli comparatur, nec quo ad vnitatem, nec quo ad pulchritudinem: sed dicitur Sol amictus eius, ipsáq; consequenter tanto excedens solem fulgore, ac dignitate, quantò amictum is, qui gerit illum. Fauet Doctorum sen-

Psal.44.10. tentia; qui expendentes illum Psalmi versum : *Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato.* Reginam istam Dei matrem intelligunt. Præsertim S. Thom. auream vestem, ait,

S.Tho.in hũc Psalm. ad Matris spectare dignitatem. Accedit frequens Patrum

Augustde Symbol. ad cathecum. loquutio, qua, cum de B. Virgine agitur, adducunt hanc Apocalypsis repręsentationem. Augustini expressa interpretatio est. Habetque super verba hæc, *Mulier amicta Sole*, in-

Bern.Serm. Signũ magnum. tegram B. Bernardus de diuina Deipara concionem. Quid quod ostendere mundo dignum sui signum, Virginem fulgentissimo ornatam iustitiæ sole pollicitus est Deus vaticinante Isaia. *Dabit Dominus ipse vobis signum ; ecce Virgo concipiet, & pariet.* Ergo hæc ipsa, quæ concepit & peperit, *signum magnum est, quod apparuit in cælo, mulier Sole amicta.*

Isai 7.14.

Cum igitur Maria nostra amicta sit sole, luna pedibus ornata, redimita capite stellarum duodecim corona ; quid in ea supereſt diuino vacuum fulgore, quominus tota sit vndecunque clarissima? Quod si tota clara; nobilis quidem tota: cum nobilitatem claritudinem esse statuerimus. *Quid nobi-*

Ambr li 2. de Virgin. *lius Dei Matre? Quid splendidius ea, quam splendor elegit?* ait Ambrosius. Nobilis humana generatione, diuino genere nobilior, ducta à Deo parente claritate : quæ candidum indumentum est ; gratam, vt supra dixi, faciens animam.

Mariam spt. sam pretiosissimis donis ornauit Deus.

Esse adeo antiquam nobilitatem hanc, vt ab instanti Conceptionis

Conceptionis incœperit, in vtróque loco indicat mulier: & in eo, quo prænuntiata est, ad Serpentis destructionem; & in extremo hoc, quoad illius excidium, vndique apparuit cãdidissima. Nobiles quippe, qui ad pugnam exeunt, viri, vel qui vt nobiles fiant, exeunt hostes destruere; armis in campum refulgentibus procedunt: quo ipso armorum nitore, ipsi iam inde clari cognoscantur. Quanto magis in spiritali *Contra mundi rectores tenebrarum harum*, iugi certamine? Quid adeo contrarium tetris tenebrarum Principibus, ac lucida arma, imo lux ipsa, de qua Apostolus: *Abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* Propositæ tamen antiquitatis probationem non ex solo peto Solis amictu, quamuis in hoc summa fœminæ huius claritas commendetur: tũc enim fulgentissimam lucis plenitudinem accepit pallium, cum diuinum vtero verbum concepit, quod *erat lux vera, illuminans omnem hominem*: non ex sola capitis duodecim stellarũ corona: Hanc quippe ei fateor superpositam, cum lucem ipsam peperit filium, sed exposita maxime sub pedibus Luna. Etenim quamuis pretiosas vestes impendat sponsæ nobilis quisque in ipso nuptiarum die: donet præterea margaritas, flores, gemmásque ad mitram; quum illa sibi filium edit: ante ipsum tamen diem nuptiarum diem mittit ad eam sponsalitiam aliquam largitatem eiusdem generis, cuius erunt postea ornamenta porrigenda: saltem sandalia, quæ nullus non mittit, si vrbanus est, atque magnificus. Magnificentissimus ergo cæli Rex præbuit Virgini vxori brocatum auri pallium; auri illius, quod inuenitur in cœlestibus, fulgens nimirum Sol; qui est genitor auri in visceribus terræ, sicut Rex ipse cœli, & terræ creator. Dedit serta sydera cœli; quę vniones in terra, & margaritas gignunt innumeras. Quænam præberet illi sandalia nisi argentea? & quodnam argentum, nisi Lunam; quæ creati in terris argenti origo est. At quonam tempore fulgida hæc largitus est dona? Si aureũ Sponsę vestimentum in die nuptiarũ dari cõsueuit; ille quidẽ fuit Mariæ cũ Deo nuptiarum dies, quo nuntiãte Angelo *Verbũ* in vẽtre eius *caro factum est*, vnito Dei filio humanæ naturæ: vt Aug. Greg. & cæteri explicuere. Quænam die illo data Sponsæ ornamenta existimanda sunt nisus est expendere quantum potuit Augustꝰ. parum tamen potuit.

Ephes. 6. 12.

Rom. 13. 12.

Ioan. 1. 9.

Aug. in Psa. 18. Ipse tanquã spõsus. Greg. hom. 38. in Euãg.

Mariam spõsam pretiosissimis donis ornauit Deꝰ.

Aug. serm. 17. de Nati. *Expandat nunc fides splendentis vteri pulchra tentoria: obumbret virtus; spiritus sibilet: naturali calore depulso, tenuis Virginem aura refoueat: & fluente refrigerio spiramentis cœlestibus ventiletur; Aluus Virginis sertis verecundiæ coronetur: Flammeus ibi rosæ fulgor anhelet: albens lilium candicet; mollis viola rutilet; purpurei spargantur flores; & vario colore depictus Christi thalamus exornetur. Si fœmina*, vt verbis vtar Ieremiæ, *virum circumdans*, lumen vtero claudit, virum ipsum: consequens, vt lumen ipsum diaphanam penetrans Virginem, eam deforis circundet, eius amictus, eius pallium. Nec erat tanto Principe dignum, vt parienti sibi filium Deum Virgini Sponsæ nulla tunc adderet monilia: imo fulgidam dedit duodecim coronam stellarum, lucem ipsam, quæ gratia Dei est, summo adaugens gradu. Si enim quando ex ipsa Virgine natus est, *Claritas Dei circumfulsit pastores*: quanto intensius illam circumfulsisse parientem existimanda est? At argentea sandalia, Lunam videlicet, curante sponsationis instantiam munificentissimus Princeps non præmitteret sponsæ? Nemo negat, præmissa nitida gratiæ munera saltem sequenti conceptionem futuræ sponsæ, & matris instanti: at ego instanti primo abunde collata, instituto nitor manifestare discursu. Nam coniugij huius contractus multo ante eandem Sponsam cõceptam celebratus est inter Sponsum Deum, & eius sponsæ futuræ parentes, Abrahamum, & Dauidem: qua ratione scribuntur duo hi in nostri huius libri exordio: *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham*. Quis ex Prophetis conuiuium hoc prænuntiare neglexit? Plane Isaias. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium*. Planè Ierem. *Nouum fecit Dominus super terram: fœmina circundabit virum*. Quę verba in mirabilem nos considerationem inducunt. Si nouum hoc Domini factum illud esse exprimitur, vt virum fœmina circundet; curnam dicitur; nouum fecit, de præterito, cum nondum factum sit, sed faciendum: fœmina circundabit virum. Ecce probatum quod intendo. Cum enim Ieremiæ tempore nondum fœmina virum circundaret: dixit nihilominus, iam factum; quoniam nuptias has probatas iam habebat pacto indissolubili. Quid referam plura? Tantum verba Bernardi referam *Missus est Angelus ad Mariam, nec nouiter; nec fortuito inuentam, sed à sæculo electam, ab altissimo*

Luc. 2. 9.

Matt. 1. 1.

Isai. 7. 14.

Iere. 31. 22.

Iere. 31. 12.

Bern. hom. 2. super Missus est.

præcognitam, & sibi præparatam. Electam ait Sponsam ab æterno; nec solum electam, sed etiam sibi præparatam. Cur ergo in primo Conceptionis instanti nudis pedibus relinqueret, instanti secũdo Luna calciandam illam, quam longè ante conceptionem elegerat? Imo iampridem (ait Bern.) erat præparata. Quinimo, si gratiæ lux sola in se ipsa posset existere, ante animæ formationem effulgens: non dubito, quin prouidentissimus Deus, matris suæ consulens honori, gratiæ lumen animæ eius infundendum, priusquam ipsam formauisset Mariam, eo quod satius tunc esset à formata gratia expectari Mariam, quam à formata iam Maria Dei gratiam.

Hinc prodijt prædicta illa serpentis, quæ maxime confirmat propositum, insidiarum sollicitudo, de qua prædixit ei Dominus; *Tu insidiaberis calcaneo eius.* Quonam fine calcaneo? Vtique vt intelligeret, essetne tota vsque ad pedes diuino gratiæ fulgore vestita, & calceata. Si enim alium quemque circunspiciamus, *A planta pedis vsque ad verticem capitis non est sanitas in eo*: in nostra Maria per oppositum, à vertice capitis vsque ad pedis plantam nulla macula est; nihil non diuina floridum luce. Sed singulari respectu scrutatur calcaneum, quod primæuum hominis introitum ad vitam, totiusque progressus designat fundamentum: conceptionem videlicet qua ingreditur mundum. Quo enim alio fine posset mulieris insidiari calcaneo? Posset, dicetis vos, intuitu alio: videndæ scilicet honestæ mulieris pedem. Hoc enim notum est inter modestam, leuiorémque fœminam discrimen. Modestæ manum semper vident quicumque inuisũt eam pedes nemo frequenter: leuis per contrarium vident omnes pedes, manus pauci. Quum enim circunspectã vos visitatis matronam, videtis eam, etiam dum vos alloquitur oculis ad assumentum, seu plumaturam, à cumque demissis, continua manuum motione: pedibus autem complicatis. Aliarum vero, quæ minus modestæ sunt, cum vna dumtaxat die mensis manus videatis, eo quod reliquis viginti nouem diebus inuolutę vnguentis, ac chirotecis desuper sint manus, vt vno illo die appareant albæ; vix quietos vnquam videbitis pedes: sed continuo motu discurrentes. Harum vt calcaneum videat quisquis voluerit, nulla quidem est opus

Genes. 3. 15.

Deuter.

Iob. 2. 7.

Fœmina modesta frequẽtius manus, quam pedes ostendunt: contra leues

diligentia; at vt videat pedes circunſpectæ, & inſidiarum opus eſt. Numquid prodijt hinc ſerpentis vigilia in mulieris calcaneo inſidiando.

Originale peccatū, quo nam modo hominē circumdat totum.

Profundius quidem aliquid intendit. Puriſſimæ genitricis Chriſti cupit certe intueri conceptionem, calcaneo pulchrè deſignatam; quod hæc veri ſit ac fœminæ ingreſſus. Vehemens inſidiandi incitamentum ipſa erat vitæ, ac morum eius integritas. Semel enim contracta macula originalis, per totum defluit hominem; in eiuſque vultu, & manibus cernitur, ac pedibus. Quid intendit Vates verbis illis.

Pſal.48.6. *Iniquitas calcanei mei circundabit me.* Octo ſupra decem Doctorum reperio interpretationes. Hæc mihi ex omnibus arridet, vt calcanei iniquitas peccatum ſit originale, eo quod peccatum hoc ſit in hominis ingreſſu, ſeu pede, nempe Cōceptione. Quod non obſcure innuit S. Hieron. At quomodo hęc hominem circundat totum, cum ſolus ſit calcanei iniquitas? Certè quum quis in cippum immittit, ſiue in neruum non dicam vtrumque, ſed pedem vnum; in cippo eſſe

Hier.ibid.

Iacob.2.10. dicitur talis homo. *Qui vel vno tangit pede peccatum, in peccato eſt. Factus omnium reus.* Fauet Kaldei Lectio: *Reatus iniquitatis meæ circundabit me.* Quodnam peccatum exprobrauerunt Iudæi illuminato à cœcitate homini cum ei dixerunt:

Kaldæus.

Ioan.9.34. *In peccatis natus es totus?* Quonam peccato præter originale, infeſtus naſcitur homo? Et dicitur nihilominus totus in peccatis. Calcaneum ergo obſeruabat Mariæ ſerpens ille veſtigia notans; vt inde vitæ eius colligeret primordia, totámque conſequenter vitam eius.

Sed quonam fine tantus cognoſcēdi initium ardor? Vtiq; impēſe optabat Diabolus certam Chriſti cognoſcere cōditionem: eſſetne verè Dei Filius. Quod cum ex multis indagaret adiunctis, vnum ex notioribus putabat, ſi Mater eius ab omni labe eſſet immunis; etiam ab originea. Ideo calcaneum obſeruabat, eleuatos nimirum pedes ſupra Lunam. Videtur certè potuiſſe votum hoc, ſeu optatum ex Solis amictu efficacius inferre, quàm ex Luna; cum Solis pallium, maior ſit, quam Luna in pedibus dignitas. At certe ipſamet ſolaris lucis intenſio oculos turbat, ne ab eis fixo aſpiciatur intuitu: quam confuſionem nequaquam ingerit lux Lunæ, eo quod non adeò fulgens ſit. Offundebatur turbatione

Similit.

oculorum callidus ille serpens, nitidissimum videns iustitiæ Solem, Dei Filium, ita vt eum plene agnoscere nequisset: crebras præsertim videns ab eo varietates. Hæc quippe, & homines solent oculis conturbare. Cum enim vos ex loco radijs Solis candidissimo ad obscurum repente transitis cubile; tunc per aliquod temporis spatium ferme cecutit; nihil fere videntes, donec paulatim oculi loci illius caligini assuescant. Idem, si existis tenebris ad nitidum Solis redeatis conspectum. Læduntur enim radijs Solis oculi, subito conspectis. Videbat Diabolus in Dei Filio huiusmodi frequentes vicissitudines. Nunc Sole clariorem intuebatur fulgentissimis diuinitatis operibus, manifestis miraculis, vita supra Solem nitidissima. Quod cum intentè intueretur, videbat eum subito obscuris conditionis humanæ actibus humilem, & si nullo moraliter obscuro. Erant frequentes alternæ istæ nunc coruscationes, nunc recessus; quid faceret serpens callidissimus, vt firmo id intuitu dispiceret? Fixit astutus oculos in subiectam parentis pedibus Lunam; quæ nullam à Conceptionis instanti ad glorioſum in cœlos ascensum varietatem admisit claritatis. Hanc firmioribus potuit oculis aspicere. Tamen quamuis oculis non conturbaretur; corde in dies conturbabatur; tantóque magis angebatur angustia, quanto nitidiorem videbat pedibus Lunam. Itaque insidiandi calcaneo eius incitamentum erat Luna; quam sub pedibus videns, carpebatur dolore, & tabe cogitans: quænam mulier est hæc? Aut vice versa insidiabatur, scrutans an sub pedibus eius esset Luna; vt inde dignitatem agnosceret. Ecce Diaboli discursus. Si homo iste Deus est, mater eius ab omni labe erit immunis, Lunamque sub calcaneo, idest, sub ingressu Conceptionis habebit. Hæc Diabolus. Ergo nos, qui Deum nouimus, & fatemur omni consequenter liberam macula genitricem eius confitebimur.

Originale peccatū, quo nam modo hominē circumdat totum.

Liquet ex his proprius, quem dixi, nobilitatis effectus perpetua à duro peccati iugo exemptio. Imo tantum abest à tributo; vt ei potius tanquam cœlorum, terræque reginæ cœlicolæ omnes, & terrigenæ lætissimę tributum impendant. Est quoddam apud Hispanos tributi

Simile.

genus, quod Reginæ ſandalio dicatum eſt (ſcientibus Regni legem loquor) non dicitur, in Reginæ ſandalia, ſed ſandalium ſingulariter; *para el chapin dela Reyna*. Forte inde quod cauſa, qua fœmina quæuis duobus vtitur ſandaliis, deficit in Regina. Non enim poſſent ambulare mulieres, ſi pede vtroque ſupra vnum incederent ſandaliũ: Reginæ autem numquam, aut raro exeunt domo: hoc maieſtati deferunt tributum Imperatrices, & Reginæ. Ideo vnum duntaxat ſandalium offert eis populus tributum. Clauda quidem cogitatio, ſeu ratio; vt pote vni innixa ſandalio. Sit quæcunque fuerit: vnum offertur Reginæ ſandalium. Ergo cum cœlicolæ omnes Lunam Reginæ cœli pedibus offerant ſandalium; iure debitum ei tributum agnoſcunt ex illo ſandalium argento, quod in cœlis eſt, nimirum Lunam? Epiloga.

IN EADEM IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS FESTIVITATE.

SERMO VIII.

De subscriptione, & sigillo libri generationis Iesu Christi.

Liber generationis Iesu Christi. Matth. 1. 1.

MIRABILE inter Verbum Dei, omniúmque Regum verba video discrimen, cùm circa alia multa, tum in eo maxime, quod Reges terræ verba sua suo nomine firmant; sua nimirum muniunt subscriptione; aut certe aureo vtuntur sigillo, quo propria scripto verbis suis chirographo insignia imprimunt, seu stemmata. Hic Persarum vsus, & Medorum; quorum Reges aureis vtebantur annulis regio stemmate exaratis, ad libellorum subscriptionem. *Scriptum est ad omnes Satrapas Regis ex nomine Regis Assueri: & litteræ signatæ ipsius annulo.* Esther. 3. 12. Vnicus autem cœli, & terræ imperator tantæ est auctoritatis, vt vna eius vox simul dictio sit, atque munitio; nec debeant dicta eius subscriptione muniri, nec sigillo. *Semel loquutus est Deus, duo hæc audiui.* Psal. 61. 12. Semel, non bis, loquitur Dominus: ex qua vna locutione duo audimus nos: ipsum Dei dictum, & firmam, quâ munitur, subscriptionem. quoniam profecto quoduis Dei verbum nullo præter se ipsum eget additamento munitionis. Quid quærimus Verbum in Dei verbo? *Ipse dixit, &*

facta sunt: nihil opus est, postquam verbum ipse pronuntiauit. Nullum voci Dei additur sigillum; nulla subscriptio: munitio nulla. At, si subscriptio nulla est, sigillum nullum; concio hæc nostra quid erit? Quid remanet iam hodiernæ concioni prædicandum, nisi subscriptio, atque sigillum, postquam cætera omnia ad hunc generationis Dominicæ librum pertinentia, varijs iam sunt prædicata concionibus; tabulæ libri, membranæ, atramentum, inscriptio, textus, apices, puncta; ac totus tandem integer liber? Quid concioni huic restat, si desit subscriptio, atque sigillum? Quonam modo apponemus sigillum institutæ huic pro immaculata Virginis conceptione concioni, si facer hic, quem institutum proposuimus liber, nec subscriptus est, nec sigillatus? Nihilominus si adsit nobis Deus, libri sigillum, & subscriptio plenus erit concionis scopus plena copia. Interim tamen, antequam ad scopum accedamus, notum facio auditoribus, adeo plena Verbum Dei subscriptione vigere, vt præter eam, quam in libro hoc scriptam concio expendere proponit, sit & alia insuper interna subscriptio, internumque sigillum, quo vere verbum cognoscitur Dei. Hoc est illuminans intrinsecus mentem candidissima lux: ignis corda diuinitus inflãmans, de quo Psaltes Rex, *Ignitum eloquium tuum, vehementer, & seruus tuus dilexit illud*; quoniam incendens amorem est ignis. Hæc duo sunt, quæ auxilia gratię in concionibus semper imploramus, Deipara Regina mediatrice: quæ cum in suæ nos gloriam Conceptionis sermone hoc videat incumbentes, aderit quidem non solum libens, sed & grata, si imploretur à nobis salutatione Angelica dicentibus.

Ps.118.140.

AVE MARIA.

Demoliturus

DEmoliturus Dominus Samariam, quod à Ieroſolymitano populo deſciuiſſet, volenſque futurum iam iam excidium prophetico more præſagire, dixit ad Iſaiam: *Sume tibi librũ grandẽ, & ſcribe in eo ſtylo hominis: velociter ſpolia detrahe: cito prædare. Et acceſsi ad prophetiſſam, & concepit: & peperit filium. Et dixit Dominus ad me: voca nomen eius accelera ſpolia detrahere; feſtina prædari.* Librum hunc, quamuis litterarium fuiſſe librum negare non nitamur, ſi fortè litterarium iudicarint doctores: ſolidiſſimo tamen iudicio præſumimus, ipſammet enixam prophetiſſam librum illum fuiſſe; natúmque ex ea filium ſcripturam, quam in prophetiſſa vxore ſcripſit Propheta. Eſſe enim librum vxorem quamlibet enixam, inde planè intelligitur, quod editus ab ea filius, quaſi Verbum ſit genitoris, qui genito filio dicit, & explicat, quiſnam ipſe ſit: cum filius quiſque repræſentatio ſit genitoris, & expreſſa eius enarratio. Cúmque filium iſtum, quaſi verbum ſuum in membranis imprimat vxoris: eam eſſe eius librum planè conſequitur. Quod primi illius diuini parentis proprietatem quadamtenùs imitatur: qui, quoniam illud, quod naturaliter exprimit verbum, filius eius eſt naturalis; conſequenter eſt, & Pater, & liber, de quo Regius Pſaltes: *In libro tuo omnes ſcribuntur.* Cum ergo libri nomen congruat vxori, nomenque ſcribentis genitori: nullibi certè expreſſius id lego, quàm in relato hoc Iſaiæ capite. Vbi in grandi libro illi ſcribere iubetur. Nec circa hoc dubitari poſſe iudico: cum vel nullus ibi alius, præter Prophetiſſam, liber interuenerit; vel, ſi verè ſcriptus liber fuit, mulier nihilominus illa myſtico ſaltem extitit liber intellectu. Quæ allegoricam hanc, fortè litteralem libri acceptionem fulcire videntur, omnia illa ſunt, quæ in textum vndecumque concurrunt, quacumque parte perpendatur. Primum ante omnia, Prophetæ verbum: *Dixit Dominus ad me, ſume tibi librum grandem, & ſcribe in eo. Et acceſsi ad prophetiſſam, & concepit, & peperit filium.* Certè niſi librum Deus diceret Prophetiſſam, non video, quo nexu reſponderit executio mandato: cum nullũ de ſcripto à ſe libro promẽs verbum Pro-

Liber generationis Ieſu Chriſti eſt mater eius. Iſai. 8. 1.

Maria liber generationis Ieſu Chriſti.

Vxor liber eſt viri: qui in ea imprimit quaſi Verbum, filium ſibi ſimilem.

Filius quiſque quaſi Verbum eſt patris, qui filio repræſentatur, & agnoſcitur.

pheta, accessum illum ad mulierem, ac partam eius vnicam, nec aliam, executionem commendarit. Dixit mihi Deus, scribe in libro: & adhæsi vxori meæ; ecce executio. Ergo & accedendi ad mulierem intellexit præceptū: scribendiq; ratio illa certa fuit, qua filium genuit in vxore repræsentantem non secus, ac litteræ repræsentant ea, quæ Deus enuntiari intendebat. Præsertim, cum nullū vltra de libro verbum habeatur in textu; de enixa muliere, & nato filio verba capitis omnia. Pręterea, quæcunque in libro isto Deus scribi pręcepit, in Prophetissa adimpleta sunt omnia; nec alibi impleta perhibentur. Nempe quæ nomina in libro scribi iussit, ea scilicet, *Velociter spolia detrahe, cito prædare*, nato illi infanti imposita sunt, dicente Deo. *Voca nomē eius, accelera spolia detrahere; festina prædari.* Insuper nulla apparet causa, qua iusserit Deus, librum assumi magnum, ad breuissimam lineæ vnius scripturam istam: *Spolia detrahè; cito prædare*, quod exigua posset chartæ scribi particula. Ad hæc (quod luculentius Dei explicat mentem) non potest aliter appositè intelligi dictio illa; *Scribe in libro stylo hominis.* Quidnam necesse foret dicere, *Scribe in libro stylo hominis*, si litteris esset scribendum in charta? Quisnam vnquam homo scripsit in charta calamo, & atramento, qui alio, quàm hominis scripserit stylo? Ergo Dei mēs aliquid certè aliud intendit præter id, quod ipsa scribēdi ratio ex se vbilibet habet. Nec præsumi potest, ideo hominis stylum appellari, vt stylus Dei excluderetur, quasi diceret Deus, ne scripseris hæc diuino stylo, sed humano. Est quippe præter generalem hominū stylum, stylus scribendi alius, qui Dei est proprius, proprius Prophetarū. At stylum hunc minimè intendit Deus excludere: imo quod sic scribere præcepit, totū est Prophetia, Samariæ nimirū destruendæ. Quis igitur est iste hominis stylus, quo Deus scribi iubet; cum nequaquā sic ille, quo litteris scribimus in charta? Certè vnus ille naturalis videtur hominis stylus, quo propriam sui narrationem naturaliter edit. Non artificialiter: id est, quo filios generat in coniuge, tamquā translatitiā sui ipsius scripturam. Hoc siquidem stylo filios edunt viri naturalia proprietatum suarum scripta: scribúntq; planè stylo isto quidquid parentes ipsi sunt; imo plenius id scribunt, & perfectius editis filijs, quā libellis, eo quod filij naturale sint pa-

Scribere stylo hominis est filios generare.

rentum exemplar,& figura. Nec prætereunda vox Hebræa *Enos*, quam, *hominis* vertit Vulgatus, ita vt quod latinè est stylo hominis, sit in Hebræo stylo Enos, quod est hominis nomen. Vbicumque autem nomine hoc vtuntur sacræ litteræ sordidissimã rem, miserabilẽ, infimam, abiectam, hominem indicare volunt, eo quod nomen *Enos* terream hominis designet vilitatem. Ergo cum Deus dixit, scribe stylo Enos, nempe hominis stylo sordidissimo; minimè quidẽ de scripturæ loquitur stylo, cui nomen sordidi non competit; nec præciperet Deus, vt sordido stylo scriberetur in charta: sed loquitur de stylo, qui solus est sordidus; quo scilicet viri filios edunt ex vxoribus. Accedit, quod præsentis capitis contextus allegorico stylo scriptus est totus: multisque metaphoris omnẽ Deus prosequutus locutionẽ: *Pro eo, quod abiecit populus iste aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio: & assumpsit magis Rasim, & filium Romeliæ; Dominus adducet aquas fluminis fortes, & multas, Regem Assyriorum, & omnem gloriam eius.* Aquas Siloe vocat populum pacificum, eam reddens rationem, quòd aquæ illæ pergant silenter, & quiete. Nullum Kaldæus dubium relinquit; *Abiecit Regnum Dauidis quietum, vt aquas Siloe.* Regem Assyriorum aquas fluminis explicat Deus ipse, oppositas aquis Siloe. Dauidico Regno. Ergo propositus liber iste allegoricè liber appellatur. Congruitque magni libri nomen mulieri magis, quã scripto characteribus libro. Quoniam ad breuissimum hoc, quod Deus scribi iussit, verbum scribendum, minime quidem magno erat libro necesse, mulier autem iure dicitur magna ob scriptum in se, quem magnum edit liberũ: qualis erat filius hic prophetisse in magnarum rerum significationem genitus, & productus. Sic mulier magna dicta est Sunamitis, hoc solo nomine appellata; *erat autem ibi mulier magna*, quæ optatum post diuturnam sterilitatem peperit filium, à Deo ei mirabiliter datũ. Elisæo propheta intercessore; à quo etiam restitutus est vitæ, cum mortuus esset. Denique liber hic, de quo agimus, non appellatur in originali textu Hebræo libri nomine speciali: ibi enim manifestatoriũ appellatur. Itaq; Dei verba ad Isaiam fuerũt ista: *Sume tibi manifestatoriũ grande, & scribe in eo.* Nomen autem manifestatorij cõmune quidem est tam litterarũ libro, quã

Hebræa.

Isa 8.6.

Kaldæus.

4. Reg. 4. 8.

Hebræa.

Scribere stylo hominis est filios generare.

vxori: in qua eos scribit cõiux, quibus se ipsũ in filiis manifestat. Relinquitur ergo, propositũ hunc Isaiæ librum, qui à Deo grandis appellatur, vxorẽ eius saltem mysticè fuisse, propterea quod magnꝰ in ea filius genitus sit, & ex ea ortus.

Adest nobis hodie liber magnus; *Liber generationis Iesu Christi.* Magnus quidem liber; liber maximus. Liber, qui immensi generationem & scriptam in se, & vniuerso profert mundo. Quinam liber? Dicetis: liber hic, à Matthæo scriptus, & ab eo inscriptus liber generationis Iesu Christi. Fateor Dominicæ librum generationis: at viuus est, quem ego ostendam librum, librum magnum, & mirabilem. Quosnam refert parentes, seu atauos Christi liber Chronographi Matthæi? Vnam è proximis Mariam: cæteri remotissimi sunt, & ex antiquis. Nullum post Dauidem Christi nominat proauum; cum ij, qui post illum scribuntur in linea, non Christi, sed Ioseph scribantur parentes; ad quem ducit scriptor genealogiam. Imo fortè patres non sint Christi; cùm in nulla tales describantur historia. Sola igitur Maria genus Christi describitur post vetustissimos illos, qui ante duo circiter annorum millia præcesserunt. Plenior profecto est generationis Christi liber Maria, quam liber bibliorum. Hæc perspicuè magis edidit mundo Dei Filium, quàm quiuis alius manu scriptus liber: vtpote in cuius purissimis visceribus, tanquam in summè idoneis membranis diuinum Verbum scriptum est, ibique Dei Filius secundum carnem mirabiliter genitus; cùm viuum Dei Verbum in maternis visceribus sic scribi; verè sit concipi à Maria: à qua editum est, in die quo ipsum peperit filium. Si enim propriè filius est ille, qui expressa est relatio parentis, & naturalis quædam, ac viua eius enarratio, repræsentatio, translatio, cognitio, qua pater filio ipso expressius, quàm scriptâ in libro narratione cognoscitur, & cætera; manifestum est, sanctissimam Filij Dei genitricem librum esse perfectiorem; cum impressum in membranis eius, & ab ea editum verbum, perfectior Patris relatio sit, eiusque expressior repræsentatio, atque notitia, quàm alia quæuis litteris scripta, vel impressa. Filius ipse fatetur: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.* Vnde sequitur, *Si cognouissetis*

Damascen. lib 4. de fide cap. 15

Suares 3. p. tom. 2. disput. 2 sect. 3. §. Dico tertio.

Ioan. 14. 9.

Ioan. 14. 9.

me; & Patrem meum vtique cognouisſetis. Nec deſunt inter ſanctos Patres, qui Deiparam Virginem librum appellandam iure putarint: inter quos Damaſcenus; *O nouum volumen, in quo ineffabiliter Deus verbum ſine manu ſcriptum eſt.* Quod, ſi ex eo, quod verbum conceperit, eſt liber; magnus conſequenter liber eſt, cum ſit filius magnus, verbum infinitum. Id enim notum fecit virgini ipſe paranimphus Dei Gabriel Verbis illis: *Ecce concipies in vtero, & paries; & vocabis nomen eius Ieſum. Hic erit magnus.*

Damaſcenus oratione 2. de dormitione Deiparæ.

Luc. 1. 31.

Accedit, quod non ſtylo hominis ſcriptum ſit in libro iſto Dei verbum; ſed ſtylo Dei ſuppari ſtylo illi, quo Deus ſcribit verbū in ſe ipſo. Etenim, cum in libro hoc nil, præter Dei Verbum, ſcriptum ſit, pro cuius ſecunda impreſſione grandem fecit Deus librum matrem ſuam: libri huius ſtylum non communem quidem ſtylum hominum; ſed Dei ſtylum eſſe conſequitur. *Sume tibi* (ait Deus Iſaiæ) *librum grandem, & ſcribe in eo ſtylo hominis,* filium naſciturum in triſte imminentium populo cladium, excidijque prognoſticum: ergo cum in diuino membranarum Mariæ libro Dei filius ſcribendus eſſet in lætiſſimam fauſtiſſimamque reparandi orbis vniuerſi non ſignificationem dumtaxat, & indicem, ſed abſque mora vlla executionem; non hominum ſtylo, ſed ſtylo Dei ſcriptum cenſeri debet quidquid in eo ſcriptum eſt. In tantum, vt ob ſcribendi verbi reuerentiam, Dei ſeruet ſtylum non ſola verbi ipſius impreſſio, ſeu ſcriptio: ſed puritas etiam libri huius, in quo tale Verbum ſcribendum erat. Ex quo fit, vt quamuis liber hic ex carnalibus ſit membranis factus; carnali videlicet ſerie ſit concepta Maria, minime tamen carnalem ſapiat ſtylum verbis, factis, cogitationibus, nutibus, ac greſſibus; ſed puriorem cœlo, penitus diuinum. Teſtem ex viſu Dionyſium audiamus. *Non credidi, confiteor coram Deo, extra Deum ſummum eſſe, haberi etiam, nec poſſe ab hominibus percipi, quæ ego oculis propriis vidi, Deiformem, atque ſupra omnes cœleſtes ſpiritus ſanctiſſimam matrem Chriſti Ieſu. Fateor iterum, atque iterum coram omnipotentia Dei, cum ductus fui ad Deiformem præſentiam altiſſimæ virginis, & tam immenſus me diuinus ſplendor circumfulſit exterius, & plenius irradiauit interius: tanta etiam in me omnium odoramentorum ſuperabundauit fragran-*

Maria ſtylus nil terreſtre, nil nō diuinum ſapit aut redolet.

Dion. in epiſtola ad Paulum.

tia, vt nec corpus, nec spiritus posset tanta æternæ fœlicitatis insignia sustinere. Defecit cor meum: defecit & spiritus tanta gloriæ maiestatis oppressus. O purissima virgo! O excelsa Dei para! O pia valde mater nostra! honor generis nostri! gloria nostra! bonum nostrum! Quisnam te vnquam intentus aspexit, ante oculos habuit, versauit mente, considerauit, intellexit, qui vel minimum quippiam terram sapiens, terrestrium hominum stylum, ac mores, inferiores cœlestibus affectus vel à longe deprehenderit? Sola tui mentalis contemplatio internum cordibus, etiam his, qui te non vidimus, diuini reddit styli testimonium.

Verbum Dei nulla ad sui auctoritatē eget subscriptione.

Hic est libri stylus, quo factus est ipse: nunc scripti in eo verbi stylum videamus. *De qua natus est Iesus.* Quidnam est Iesus? est nomen Dei, & Dei verbum. Quod si Dei nomen, subscriptionem Dei esse consequetur. Est quippe subscriptio proprium cuiusque nomen verbo eius subscriptum. Atque ita cum nomen ipsum verbum Dei sit; est consequenter sui ipsius subscriptio. Cum ergo posuerit Deus verbum suum, & in virgineo membranarum Mariæ libro, *de qua natus est Iesus*, & in biblico libro scripturarum, in quo scriptum est, *de qua natus est Iesus*, sitque Dei verbum nomen Dei ipsius, & subscriptio: certe subscriptio ista in vtroque libro consequenter est posita. Res certa est: tametsi difficulter videatur stare posse cum ijs, quæ à principio sunt proposita. Constituimus à concionis exordio, nulla Verbum Dei subscriptione agere, qua vbilibet scriptum muniatur; cum tamen & subscriptionem, & sigillum proposuerimus concionis institutum: in quo admirandam inter stylum Dei, & hominum stylum, differentiam elucere commendauimus. Peruenit iam concio ad eum locum, in quo tam mirabile explicetur arcanum. Dicimus ergo nulla verbum Dei, ad suæ munitionem scripturæ, subscriptione egere, nec sigillo; non quod aut sigillum scriptis his desit, aut subscriptio; sed quod ipsum Dei verbum subscriptio ipsa sit, atque sigillum. Tria in stylo hoc mirabilia concurrunt: stylus ipse Dei: causa eius; & effectus. Stylus est hic, vt quoduis Dei verbum subscriptio sit, certaque munitio litterarum. Causa altior est; indiuidua verbi, & nominis vnitas; quæ nulli, extra, Deum, verbo, &

Verbum Dei est ipsa Dei subscriptio.

Subscriptio Dei est eius Verbū nulla præter seipsum, egens subscriptione.

Verbum Dei est Dei nomen.

nomini contingit. Est omnino diuersum nomen à verbo inter creaturas; quoniam cuiusuis rei faciundæ, vel factæ affirmatio, vel negatio verbum quidem est; siue res illa exteriori manuum, pedumve fiat actu, siue linguæ expressione, aut mentali conceptu: nomen autem est illud, quo res quæuis vbique nota est. Etenim cum tu dicis, lego, scribo, diligo, verbum quidem promis: quoniam te diligere, scribere, ac legere audientibus affirmas: cum vero dicis, Petrus, nil affirmas, aut negas; sed exprimis illud, quo Petrus agnoscitur Petrus. Quapropter in eis, quas à te factas scripturas concedis, si authenticas esse vis, nomen tuum addis subscriptionem, qua omnia scripturæ illius verba tua esse confirmas. Itaque quod affirmant verba, nomen confirmat; qua ratione, Hispanica lingua subscriptio firma nuncupatur. At Dei verbum, quo aliquid negat, vel affirmat nomen Dei est, & nomen verbum: ac consequenter verbum ipsum ipsa subscriptio est; & affirmatio est confirmatio. Sunt expressi in vtroque textus testamento, quibus Dei verbum nomen Dei esse commendatur. Celeberrimum noui Testamenti principium apud Ioannem istud quidem est, *Deus erat verbum.* Ecce Deus verbum nominatur. Expressior Apocalypsis textus ille; *Vocatur nomen eius verbum Dei.* Hæc est causa, qua Dei verbum, subscriptio Dei est. Sed quisnam effectus? Consonus profecto causæ isti: Certa nimirum scribentis Regis ex solo verbo absque additione cognitio. Nullus alius Rex, nec homo alius ex scriptis absque subscriptione verbis suis agnoscitur: Deus solo verbo cognoscitur suo propterea, quod verbum eius nomen eius est. Cum missus ad populum legislator Moyses peteret à mittente Deo signum, quo verum intelligerent Deum illum, à quo nuntius mittebatur; respondit Deus: *Ego sum, qui sum*; quod est idem, ac dicere; ego sum verbum; hoc nomen meum, & adiecit: *Sic dices filijs Israel: qui est, misit me ad vos.* Ecce Deus verbo cognoscitur suo, tamquam proprio nomine, propria subscriptione. Qua similiter ratione verbum Dei est Dei figillum. Est siquidem figillum Regis exemplaris quædam Regis figura, mirabiliumve facinorum eius, seu rerum ab eo glorioſe gestarum; quod idem non secus proprium

Nomen Dei est Dei Verbum.

Dei nomen est Verbum Dei.

Dei Verbum est nomen Dei.

Ioan. 1.1. Apoca. 19. 13.

Exod. 3. 14.

Exod. 3. 14.

Dei Verbum sigillum Dei.

Sigillum Dei est Dei Verbum.

Verbum Dei nulla ad sui auctoritatē eget subscriptione.

Verbum Dei est ipsa Dei subscriptio.

Subscriptio Dei est eius Verbū nulla præter seipsum, egens subscriptione.

mentalis est verbi; quippe quod figura est rei illius, quæ mente concipitur; translatumque in mentem viuum eius exemplum. Atque ita Dei verbum, *Cum sit figura substantiæ eius*, consequenter est ipsius sigillum; cùm sigillum figura sit rei illius, cuius est sigillum.

Heb. 1.3.

Maria nota cunctis subscriptione Dei atque sigillo in ea impresso.

Habemus ex dictis tria hæc: grandem Dei librum esse Mariam; Dei verbum subscriptionem esse Dei: & subscriptionem hanc in libro isto scriptam esse, iuxta nostrum hunc Euangelij textum, *Maria de qua natus est Iesus*: Quidnam colligemus ex his tribus? Si suam Deus in Maria posuit subscriptionem, Dei autem subscriptio verbum est Dei; quid necesse erat, verbis alijs dicere omni perfectionis genere absolutam esse Virginem istam, cum subscriptum verbum omnia expressius manifestet, quàm si proprijs verbis dicerentur? Numquid poneret Deus subscriptionem suam, nisi summæ innixam perfectioni? Præcelsum Dei stylum erga scriptum in pectore suo verbum attendamus. Quicumque Deum in semetipso clare videt; omnia quæcumque in ipso sunt, intuentur in verbo intra pectus eius existente; quod est cunctorum Patrum, Theologorumque constans documentum, B. Thomâ resoluente: ergo cum illud ipsum Dei Verbum in pectore matris suæ sit, omnia quæcumque sunt in matre, in verbo debemus intueri. Vt sicut per cognitum Dei Verbum, quisnam sit Deus perspicuè cognoscitur; ita, quæ sit Maria, cognoscatur à quocumque Verbum Dei in ea considerante. Hanc enim notitiæ paritatem par stylus iste videtur exigere: cum Verbum istud stylo Dei scribatur in matre. Fauet egregie huius rei origo. Est enim Deus liber immensus, de quo Psaltes Rex. *In libro tuo omnes scribentur*, cum solum Dei Verbum scriptum sit vnicum, eo quod vnum hoc contineat omnia. Ergo si Maria grandis est liber, in quo solum Dei Verbum scriptum est: cunctis aduſque perfectionibus plenus censeri debet liber iste eo ipso, quod tale in eo Verbum sit scriptum, ac genitum. Vnde (rogo) colligimus vniuersas in Deipara præfulgere virtutes, nisi ex diuina hac posita in libro isto subscriptione? Nam in Virgine hac omnia esse charismata, nulla nec minutissima rugo, aut macula concessa, nullus est, qui non prædicet.

S. Tho. 1. Par. q. 12. per totam.

Deus in Verbo perspicue cognoscitur.

Verbum diuinum est illud, in quo Deus perspicue cognoscitur.

Maria, qua & qualis sit, cognoscitur in Verbo filio suo, sicut Deus Pater in Verbo filio suo.

Psal. 138. 16.

prædicet. Quæ ergo ratio esse potest, ob quam sola Conceptionis immunitas in hoc Euangelij libro scribi debuerit; cum hæc non minus consequenter, quàm cætera charismata ex subscriptione posita inferatur? Quapropter, sicut eo, quod omnia, quę in Deo sunt perspiciantur in Verbo, filio eius, dixit filius ipse; *Si cognouissetis me; & Patrem meum vtique cognouissetis*: nec aliud quippiam necesse est, vbi Verbum ipsum est subscriptio. Ioan. 14.7.

Maria alba charta est cum sola diuini Regis subscriptione. Simile.

Profiteor ingenuè, atque libenter nihil altius ratione hac ab exiguo meo posse captu expectari. At nihilominus, si idipsum humaniori serie, magisque auditoribus nota digeratur; tunc certe summum, quod ego assequi possum, videbor mihi protulisse; & quod summe placitum, ac gratum Mariæ filijs esse arbitror. Interrogo vos, si in integra charta solum absque scripto alio nomen Regis subscriptum videritis; quidnam circa hoc arbitraremini? subscriptio in alba charta est, diceretis omnes; seu (quod idem est) chirographum album; quod Hispane dicimus, *Dar firma en blanco; O dar cedula en blanco.* Hoc est alba sine litteris charta, præter solum Regis nomen in calce subscriptum; vt is, qui à Rege accipit illam, repleat quibus voluerit litteris album chartæ spatium vsque ad dictã subscriptionem. Cum ergo in libro hoc tum bibliorum, tum virginearum membranarum, suum Deus nomen subscripserit, iuxta textum hunc; *de qua natus est Iesus*, nullas præterea Mariæ scribens excellentias ex illis, quæ infinitę scribendæ concurrunt: quidnam possumus dicere, nisi, subscriptio in alba charta est, vt super istam subscriptionem infinita Deiparæ charismata scribamus? Est profecto in albo chirographo subscriptio: nam magnalia Deiparæ minime esse in biblijs scripta, omnes (vt nunc dicebamus) concordes affirmant. Si quæ enim scripta inueniuntur; obiter quidem scripta sunt in aliud propositũ; non ad texẽdam de diuinis Mariæ laudibus historiam. Nempe purissima virginitas eius eo scribitur fine, vt turbatum tumescente sponsæ vtero Iosephum sedatum mox animo ostendat chronographus ex affirmante Mariæ Virginitatem misso cœlitus Angelo. Vacua ergo est Deiparæ laudibus charta bibliorum collata eis, quæ illi debentur infinitæ: ac con-

sequenter Dei Verbum in illa, subscriptio in alba charta est. Minime, quippe necesse fuit vllam in charta scribi excellentiam, aut laudem; vbi supremi Regis inuenitur subscriptio.

Quid necesse dixerim? imo nec possibile fuit, eas omnes perfectiones scribi in charta vlla, eo quod hæ infinitæ propemodum sint; charta quæuis finita. Etenim concedendi hasce in vacuis membranis subscriptiones causa, seu finis immensa est scribendorum infinitas: quatenus dans chirographum Rex nullum commissario præscribi limitem intendit. Cum enim contingentes res infinitæ sint; nec possit Rex omnes, quæ contingere possunt, præuenire, committit subscriptam chartam ministro, vt absens à se, fideliter repleat litteris illis, quas contingentes casus postulabunt. Quod si, & alius est in subscribendis vacuis schedulis finis; ille similiter infinitus est eorum, quæ in eis scribi possunt. Quod ex munificentissima Regis liberalitate procedit, nullum volentis commissario limitem præscribere; sed vacuum ei relinquere spatium, vt quidquid libuerit, libere scribat. Noui in capitali Peruanæ regionis vrbe, quæ appellatur ciuitas Regum, secundum à ProRege virum nomine *Don Pedro Portocarrero*, qui munificentia hac supra quam credi potest prodigus vtebatur; nisi & viri in multis nossem genium, & eosdem liberalitatis participes; præter quam quod cunctis in populo notorium erat, notum non paucis. Hic aulam ProRegis ingressus, dū ad proRegem ipsum aditum ab eo petituri intrabant famuli, & redibant, sumpto calamo, qui cum papyro semper in mensa est ante ProRegis cubile, nomen suum quasi vagas scribens litteras, in albis chartis subscribebat, donec accersebatur ingressurus. Subscriptas sic relinquebat chartas, quasi nihil in eis posuisset. At ProRegis pueri eas ibi nacti subscriptiones, scribebant desuper pro sua quisque voluntate. Alius scribebat, valet schedula hæc aureæ telæ toracem. Alius, valet elaboratas bombycinas caligas. Hic, valet decem qausapini serici vlnas. Auream ille galeri zonam. Ioannes, valet sacaro confectorum libras centum. Andreas, valet aureum monile, & sic cæteri pro libito. Delatis ad mercatores schedulis istis, mi-

Subscriptio data in alba, seu vacua membrana, quo fine sic datur commissario

Maria quodam infinitatis genera immensa.

Liberalitas Peruani cuiusdam inaudita.

nime dubitabant illi dare pueris quidquid in schedulis intuebantur scriptum, Domini Petri subscriptionem agnoscentes. Certum itaque est infinitatis genus ista dandi huiusmodi schedulas causa. Coniunctum tamen datoris confidentia, qua certo scit, nihil commissarios scripturos, quod vel contra datorem ipsum sit, vel copijs suis adimplere non possit. Quam igitur causam, quem Dei finem, quod incitamentum scribendi in Maria Verbum suum, in alba charta subscriptionem? vnica profecto causa est, immensa magnalium Deiparæ infinitas, quæ nullis potest libris cõprehendi. Ideo subscriptio data est in alba membrana, vt scribat quisque de Maria quotquot in mentẽ venerint bona, pulchra, grandia, perfectissima. Sola igitur scribentium fidelitas, quod nihil derogãs scribant: in reliquo securus est, qui chartam Rex subscriptam exhibet, quod quantumcumq; pennas suas extendant scriptores, Mariæ grandia describentes; nequaquam excessuri sint immensum ærariũ thesaurorum, qui in ea glorioſe continentur. Imo nec poterũt describere diuitias gratiæ omnes, quæ eam diuinitus locupletant, etiamsi vniuersi bibliorum libri in vnam hãc narrationem insumantur. Quæcumque enim scribantur magnalia; multo plura scribenda relinquentur. Nã post scriptas quasuis prærogatiuas, & virtutes; minime quidem infinitus complebitur numerus; cum infinitæ res libro finito capi non possint: ista autem Mariæ charismata nullo finito capi possint numero ita, vt nil vltra maneat mente concipiendum; ac consequenter scribendum in libro. Est concors Patrum prædicatio, nihil sub Deo grandius Maria posse mente concipi: sed si quid supra eius perfectiones concipitur, id certe Deus est, non creaturarum virtus, aut perfectio. B. Anselmi verba sunt ista: *Decuit Beatam Virginem ea puritate nitere, quæ maior sub Deo intelligi nequeat.* Gregorius magnus similiter ait: *Dei genitrix mons fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate transcendit. Meritorum verticem supra omnes choros Angelorum vsque ad solium Deitatis erexit.* Quid Sophronium omittam? *In Maria* (ait hic) *totius gratiæ, quæ in Christo est, plenitudo venit; quamquam aliter. Vltra Angelorum, & Archangelorum dignitatem merito transcẽdit.* Ad-

B Anselmus de cõceptione cap. 8. Gregor. lib 1. in 1. lib. Reg c. 1. Sophron. epistola de assumptione Mariæ ad Paulam.

mirabilis ergo Dei ars: prouidentia ſumma: dignus Deo ſtylus. Matris meæ magnalia (ait ille) nullo poſſunt libro comprehẽdi: quid faciemus? Detur in alba charta ſubſcriptio. Verbum meum, quod & nomen meum eſt, in Virginea hac membrana ſcribatur, ſitque alba membrana ſubſcriptio; quam videntes homines fideles, omnia, quæcumque egregia captu ſuo aſſequuntur, Mariæ adſcribant abſque limite. Quæ enim grandi libro hoc Dei genitrice capiuntur, minime capit liber bibliorum: cum ille grandis liber ſit: longe biblicus minor.

Tunc enim vrgens contra me inſtabis obiectio, quod quæcumque ex eodem protocolo educuntur ſcripta, paria omnino ſint abſque vllo penitus diſcrimine. Tota enim diſcriminis ratio inter originalem ſcripturam, & tranſlatitias litteras verſatur, eſtque diſcrimẽ vnum hoc; quod originalis liber, ſeu proceſſus propria auctoris ſubſcriptione munitur, ſcripta propria illius manu: at tranſlatitia ſcripta propriam auctoris ſubſcriptionem nequaquam habent; cum contingat, educi hæc à protocolo, auctore abſente, aut etiam vita functo. Tamen defectus hic rite ex iure ſuppletur tabellionis ſubſcriptione cum proprio ſigno eius coniuncta lineis nonnullis, ſubſcriptionem cum ſigno vnientibus infra tranſcriptam ibi auctoris ſubſcriptionem, quam tranſcribit tabellio, perhibens fidem, quod traduxerit eam ex proprio auctoris nomine in originali ſcriptura ſubſcripto. Ideo inter propriam nominis ſui ſubſcriptionem, & ſignum ſcribit verba hæc: *In teſtimonium veritatis*. At inter ipſas trãſlatitias ſcripturas nulla prorſus imparilitas eſt; nec ideo poſt primam educitur alia, quod hæc in aliquo priorem excedat; ſed quod illa prima amiſſa ſit, aut ad locum lata remotiſſimum. Nec, niſi ob cauſam hãc educitur ſecunda; quâ eductâ, nulla iam vltra educi poteſt ſecundum viam iuris ordinariam. Vrgentior ergo eſt, iuxta dicta hæc contra me obiectio; qui Mariam dixerim grandem Dei librum pluſquàm biblia cupientem. Rogo tamen vos, ſuſtinere me vſque ad finem eius, quam inter duos hos libros faciam collationẽ; in cuius exitu, quam pro dicto hoc afferam ſe non capere quod Maria clauſit teſtem, liber ipſe erit ſcripturarum, qui confitebitur.

Scitote ergo, Dominum Deum verè eſſe verbi ſcripti

processum, & eum quidem originalem. Hoc est profundissimum Trinitatis mysterium, in quo idem est, Deum esse processum, ac Deum esse Trinitatem. Ideo quippe Deus Trinitas est, quod ordinata quadã processione à Patre procedat Filius, dicens: *Ego ex Deo processi*, & ab vtroque sanctus Spiritus, *qui ex Patre filioq; procedit*. Ideò titulus libri de mysterio diuinæ Trinitatis ponitur à Theologis, de processu diuinarum personarum, vt in 1. p. scripsit scholasticus Doctor 27. quæstione. Nec refert, quòd titulus sit, non de processu, sed de processione; quoniam idem nomen est, propriéque processus apud Latinos: tametsi affectantes merito claritatem Theologi, nomen illud vsurpant, quod notius cunctis iudicarunt. Estque processus hic originalis: quippe in quo sola origine proceditur, non tempore, ita, vt persona ex his tribus aliqua procedat ab alia temporis decursu; cum nulla præ alia sit anterior. Etenim Pater Filio anterior est origine sola, tempore non item; ne vno quidem temporis instanti. Nec aliter est Patre, ac Filio posterior sanctus Spiritus. Est præterea processus hic verbi scripti processus, quoniam Deus Pater linguæ suæ calamo scribit Verbum in mente sua, quasi in libro infinito, *In quo omnes scribentur*. Sic notum fecit Pater ipse canens: *Eructauit cor meum verbum bonum; lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*.

Ioan. 8. 42. in symbolo Missæ.

S. Tho. 1. p. q. 27.

Simile.

Psal. 138. 16. Psal. 44. 2.

Ex originali processu hoc habemus duo scripta. Primum sacrarum processura scripturarum, qua à mundi constitutione vsque ad extremum proceditur diem. Est rite, & fideliter translatum sacra hac Scriptura Verbum Dei; non tamen subscriptũ propria eius actione illa, qua verbũ suum in mente sua scribit, ac exprimit, cùm calamus ille originalis scripti lingua Dei sit. *Lingua mea calamus scribæ*; translata autem Scriptura non calamo illo, sed sacrorum pennis Prophetarum sit scripta. Scriptio quippe illa originalis scripti, quæ est Verbi scriptio, generatio verbi est; at scriptio Verbi in biblijs scripti non est generatio; Vnde nec producta ab ipso processus auctore, Deo Patre, naturali operatione; cum facta sit tabellionum manu; canonicorum scilicet scriptorum. Nec nouum cuipiam videatur, quod Deum Patrem originalis processus

dixerim auctorem eo modo, quo processus dicitur auctor, qui nomen suum subscribit in eo. Quemnam locutionis huius, vt tuta sit, doctorem vultis? Sufficietne Augustinus? Is quidem Deum Patrem tum diuini Verbi, ac sancti Spiritus, tum processus huius vocat auctorem verbis istis. *Spiritus sanctus de Patre procedit; quoniam Pater processionis eius est auctor, qui talem filium genuit, & gignendo, dedit ei, vt etiam de ipso procederet Spiritus sanctus.* Inueniet verba hæc quisquis voluerit lib. 3. contra Maximum §. hoc, & de potentia, tom. 6. Ne quis autem casu dictum putet, legat Paulo infra; inueniet instituta disputatione resolutum verbis istis: *Si propterea Deum Patrem Deo Filio dicis auctorem, quia ille genuit, genitus est iste; quia iste de illo est, non ille de isto: fateor, & concedo: si autem per nomen auctoris minorem vis facere filium, nec eiusdem substantiæ filium, cuius est Pater; detestabor, & respuam.* Similiter ego. Ergo auctoris subscriptio originali ex processu in scripturam Bibliorum translata est manu tabellionum Prophetarum: qui sui mox nominis subscriptionem apponunt. Sic Prophetarum primus suam apposuit subscriptionem, dicens: *Visio Isaiæ filij Amos*: referens tamen Dei subscriptionem, dum ait: *Audite cœli, & auribus percipe terra: quoniam Dominus loquutus est.* Signum autem, quod cum subscriptione debet poni, est miraculum illud, quo scriptor quiuis suam confirmat scripturam. Miracula enim signa sunt, sicque appellata in vtroque testamento. In veteri dixit Dominus Moysi: *Virgam hanc sume in manu tua; in qua facturus es signa.* In nouo item referens Ioannes primum Christi miraculum, ait. *Hoc fecit initium signorum Iesus.*

Trinitatis diuinæ processus, seu processionis auctor Deus Pater.

Aug lib. 3. contra Maximum §. hoc, & de potentia, tomo 6.

Pater æternus auctor processionis Trinitatis.

Pater æternus auctor Filij, & sancti Spiritus.

Infra pagina 603. linea vlti. in grandioris magnitudinis voluminibus.

Isa. 1. 1.

Exod. 4. 17.

Ioan. 2. 11.

Secunda scriptio verbi illa quidem fuit, qua Dei Verbum in purissimis Mariæ membranis scriptum est. Huius subscriptio verbum est ipsum; quod & Dei nomen esse monstrauimus. Nec deest signum subscriptioni coniunctum; nam diuinum Verbum subscriptio est; coniuncta ei humanitas est signum. Vtrumque dixit iustus ille Simeon; cùm oblatum Patri Deo puerum in suis accepit vlnis. *Lumen ad reuelationem gentium*; Verbum videlicet, quod verum est lumen, dicente Ioanne: *In principio erat Verbum; erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem.* Lumen

Christi diuinitas, & humanitas sunt subscriptio, & signum in Scriptura.

Luc. 2. 32.

Ioan. 1. 1.

Christo Domino cur contradictio facta sit.

enim ipsa veritas est. Deinde subdidit Simeon ille. *Positus est hic in signum* : quod propter naturam dixit humanam, quæ in Christo exterior est; & signum debet esse exterius. Et quoniam antea signatas Scripturas solent lites mouere cauillatores, vt se ab earum obligationibus eximant: ideo dixit Simeon: *Positus est hic in signum, cui contradicetur.* Quæ etiam contradictio primæ illi translationi, biblicæ nimirum, sæpe facta est. Ideo sicut in casibus his ad originalem processum solet esse recursus, vt cum eo translatus conferatur; ita hoc Dei Verbum signo humanitatis adiunctum, ad auctorem Patrem bis delatum est, in Iordanem primo, postea in montem Thabor, vbi originalis vox Patris insonuit: *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite.* Verbum meum est, subscriptio mea. Estque tanta admirandi signi huius auctoritas, vt, quum obnixius delere illud nisi fuerint aduersarij : maiori tunc perspicuitate conuicerit eos ad credendum. Cum penderet videlicet in cruce, visibilique obnubilaretur interitu; nam tunc, *Centurio autem, & qui cum eo erant, viso terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes. Verè Filius Dei erat iste.* Est necnon inter subscriptionem, & signum relata illa tabellionis dictio, *In testimonium veritatis*, quam his eisdem verbis apposuit Christus ipse, cum à Pilato iudice examinaretur, essetne cum signo humanitatis eius Verbum Dei coniunctum, quæ eiusdem Dei subscriptio est. Respondit enim ei; *Ego in hoc natus sum, vt testimonium perhibeam veritati.*

Luc. 2. 34.

Christus originali diuinitatis processui collatus auctoritate Dei Patris.

Luc. 2. 34.

Matt. 3. 17. Luc 9. 35.

Matt. 27. 54.

Ioan. 18. 37.

Vidimus hucusque libros duos, biblicum, & Virgineum, in quibus habemus Dei Verbum: vidimus necnon eam, quæ inter originalem, & translatitios differentia versatur: restat: vt eam videamus, quæ inter libros ipsos est, biblicum, & Mariam. Nam inter duos translatitios ab eodem originali fideliter traductos nullum (vt dixi) potest esse discrimen. Tamen audite vos, auscultate, perpendite, admiramini: discrimen latissimum percipite. Sacer scripturarum liber translatitius est totus, nulla ex parte originalis: liber non sic liber Maria, partim translatitius. In illo enim nec Verbum est originale, cum hominum manu scriptum sit; nec originalis membrana; cum papy-

racca folia diuersa sint longè à pectore Patris, in quo originale scribitur Verbum; ne ea, qua scriptus est actio, originalis actio est; cum originalis scriptio generatio sit, bibliorum scriptio non sit generatio, nec esse possit; sed facta quædam Prophetarum manibus scriptio, qui libri illius sunt tabelliones. Quamuis enim textus ille qui à Canonicis est scriptoribus editus, originalis sit comparatione translationũ: non tamen est originale verbum illud quod fuit in visceribus Mariæ. At in libro hoc Virginearum membranarum, quamuis membrana non sit originalis illa, in qua Verbum Dei scriptum est primitus; Verbum tamen ipsum minimè translatitium est, non diuersum, non aliud ab illo originali; sed originale ipsum, quod in originali processu æterna est scriptum expressione. Hoc ipsum Verbum in Virgineis est Mariæ membranis visibili vnitum humanitati, tamquam subscriptio visibili tabellionis signo coniuncta.

Quæ prodeunt hinc in librum istum supra biblicum librum excellentiæ multæ, ac magnæ sunt; quas nec integra narrare posset concio: quanto minus modicum hoc concionis residuum? Sed omissis alijs, pauca hæc proposito necessaria breuiter notabimus. Grande imprimis miraculum, quo ipsummet originale subscriptionis Verbum, ac nomen in originali scriptum processu, in diuersam ab originali membranam translatum sit, non translatitium. Quasi diceremus, ipsam protocoli manu auctoris scriptam litteraturam, seu originales ipsos characteres in translatitia scribi membrana, manente vtrobique eadem originali subscriptione: quod maximum est miraculorum miraculum. Quanta (rogo) infertur hinc Mariæ celsitudo? Deo Patri quo ad hoc videtur suppar, & est quidem: cum subscriptio Dei eadem in ipso Deo sit tanquam in libro, & in libro etiam membranarum Deiparæ æquè ac in Deo, originalis. Hac quippe ratione motus Augustinus dixit verba illa; *Talis suo modo sit mater, qualis, & filius.*

Maria liber, in quo Dei Verbũ scriptum est originale.

Maria in membranis scriptum diuinum Verbum nullo humano, sed solius Dei operatione.

Aug. serm. 20. ad fratres in eremo.

Secunda libri huius excellentia in scribendi actione consistit. Nempe scripta in Virgineis membranis subscriptio nullius est tabellionis manu, aliove scripta pugillari, sed

sed ipsiusmet Dei operatione, humanam naturam diuino Verbo coniungentis. Quod si magnus ille Alexander imaginem sui ab alio, nisi ab vno Apelle pingi vetuit, vt Plinius scribit: cur permitteret Deus, supremus vniuersi orbis Imperator, Verbum suum, quod imaginem eius esse diximus, ab alio, nisi à seipso, in libro hoc mirificè scribi? Imo nec permitti potuit, eo quod transcriptio hæc minimè tetigerit Verbum, vt in naturam transferret humanam; sed vice potius versa, naturam istam vnierit verbo minimè mutato. Quæ est etiam adiuncti subscriptioni signi perfectio; quod nullius manu, sed à solo Deo appositum est Nam cum signum hoc humanitas sit (vt explicuimus) ex Virgineis Mariæ membranis assumpta; *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Plin. lib 35. c 10 in medio. Matt. 1. 20.

Vnio hypostatica humanitatis Christi ad diuinitatem strictissima.

Excellentia tertia in ea stat vnionis formula, qua in translatitijs scriptis subscriptionem signo multis vniri linéis diximus. Non enim potest in bibliorum processu signum subscriptioni vniri strictius, quàm in qualibet alia tabellionis scriptura, in qua semper manet signum à subscriptione diuersum, quantouis linearum nexu à tabellione coniungantur. Nam sacræ Scripturæ signum quodlibet, quod adiectum in Scripturæ confirmationem miraculum quodicis esse dixi, non adeò strictum ipsi adhæret scripto, vt vna eadem res sint signum, & litteræ, cum in diuersis sint, separatisque subiectis. Patrata enim manu Moysis miracula non extant in litteris Scripturæ, nec in Scripturæ membranis sunt facta; sed in fluminibus, & terra, aëre, mari rubro, & hominibus ipsis plagarum turbine perculsis: sicut patrata ab Elisæo in reuocatis ad vitam defunctis: tametsi illa, quæ inter subscriptionem, & signum scribuntur à tabellionibus verba: *In testimonium veritatis*, sacræ huic Scripturæ non desint; quæ inter Christi miracula & subscriptionem suam Ioannes scripsit expressa, dicens: *Qui vidit, testimonium perhibuit; & verum est testimonium eius.* At scriptum in Mariæ membranis Verbum diuinum, quod Dei subscriptio est, vna duntaxat, & ea quidem subtili, sed firma vnitur linea signo isti visibili, quod humanam na- Ioan. 19. 35.

turam esse commendauimus : adeò tamen strictam, vt linea hæc vnionis sit hypostatica, qua subscriptio, & signum sunt suppositum vnum ; quoniam *Verbum caro factum est*. Quantam vos putatis excellentiam istam ? Quid indigens est expresso in scripturis nobilitatis testimonio diuinus iste liber noster, Dei genitrix Virgo; cum habuerit in membranis vteri sui signatam Dei subscriptionem? Quod adeò nobile, adeò perspicuum testimonium esse potuit?

Ioan.1.14.

Excellentia hæc ex alia oritur longè illustriori: ex latissima nempe vtriusque signi differentia. Hæc in eo versatur, vt appositum in Regia curia signum non sit eiusdem speciei, neque formulæ, cuius est signum à tabellionibus appositum. Hoc enim calamo fit, & atramento; solo impresso sigillo, quod in Regia apponitur curia. Tale est signum istud, Christi humana natura. Quod, qui asserit, Christus ipse est, illis verbis: *Hunc Pater signauit Deus*. Quod signum, sigillo impressum Græcus explicat textus, dicens: *Hunc Pater sigillauit Deus*.

Humanitas Christi signũ exterius supremo sigillo signatum.

Ioan. 6. 27. Græca.

Similis.

Ex hac ergo mirabili excellentia excellentissimus vnionis huius prodit modus. Hic namque instar illius est, quo superior regali, omniumque suprema, Pontificia nimirum vtitur curia. Etenim quoties Apostolicum scriptum aliquod occupat membranas : funiculus per vtramque traijcitur vnus ; cuius extrema duo vtrimque pendula, infra connectuntur intra plumbeam bracteam, tortamve ceream, in qua ex vtraque facie impressum est Apostolicum sigillum, appellatum diploma; aliter sigillum pendens. Hac enim ratione nullus in huiusmodi litteris error timeri potest; quoniam nulla potest mutari membrana, cum funiculi extrema sigillata sint; nec alia industria possit esse securitas. Nam in scriptis illis, quorum cum plures membranæ sint, vltimæ duntaxat sigillum imprimitur: nequaquam omnino euacuatur periculum mutandi folium aliquod diuisum ab illo, in quo sigillum sic impressum est. Non secus incarnati Verbi membranæ duæ, diuina natura, & natura humana, cum distinctæ sint, funiculo huiusmodi mirificè vniuntur, ipsa

Vnionis hypostatica Christi admirabilis valdè modus.

nimirum hypostatica vnione, Dei sigillo graphicè insignita. Ideò nullus in viuo hoc Dei libro error esse potest, fallacia nulla, nec deceptio; qualis solet nonnunquam Scripturis sacris à perfida hæreticorum prauitate interponi ita, vt nulla certitudo sit extra litteras illas, quas Apostolica comprobauit auctoritas.

Verbum Dei incarnatum magis mouit homines, quam in biblijs scriptũ.

Nec omittenda excellentia sexta, quæ libro huic ex eo aduenit, quod in librum hunc Verbum Dei sit ex originali translatio rescriptum post bibliorum librum scriptum. Cum enim translationem secundam ideo in humanis scripturis habere locum dixerimus, quod prima ad finem suum aut minimè, aut partim non profecerit: certè inter duos istos Dei libros discrimen hoc notabilius est longè. Nam ex vi primi illius scripturarum libri, exacta à Deo debitorum solutio raro extrà solam pene Iudæam facta est; at Verbum in Virgineis Mariæ membranis scriptum magnam hominum partem vrgentiori longè efficacia mouit ad soluendum Deo, quod ex scriptis vtroque libro testimonijs debemus ei. Nam scriptum litteris Verbum, quamuis viuum sit eo intellectu, quo efficaces res dicuntur viuæ: non tamen est viuens, sicut Verbum ipsum in mente Patris, & in Virgineis membranis diuinitus scriptum. Vnde Verbum sic incarnatum seipso loquitur, ambulat, agit ad debitorum exactionem; quod minimè potest scriptum Verbum, nisi in hominum ore positum labijs pronuntiatur, feratur eorundem hominum pedibus per orbem. Quæ est commendata à Paulo differentia verbis illis: *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissime diebus istis locutus est nobis in filio.* Hebr. 1. 1. In qua etiam excellentia aliud est mirabile magis: quod mirabilis hæc Verbi rescriptio nouam obligationem inducat supra, quæ in biblijs est imposita. Nam diuinum Verbum in Virgineis Mariæ membranis scribi noua profecto obligatio est, hominibus imposita, vt seipsos prorsus tradant Deo. Quod qui facere omittunt, fascinatione dementati sunt; quales vocat Galatas Apostolus, dicens: *O insensati Galatæ? quis vos fascinauit non obedire veritati; ante quorum oculos præscri-* Galat. 3. 1.

Christi incarnatio nouam hominibus obligationem induxit.

ptus est Christus Iesus in vobis crucifixus.

Sileant reliquæ excellentiæ, vt illa, quæ propositi est scopus, ostendatur, vtriusque videlicet libri, quoad magnitudinem, discrimen. Educamus iam eius pansione animos hominum, audientium non capere bibliorum librum, quod in Virgineis Mariæ membranis scriptum est modicum. Ipsummet bibliorum librum iam expandite; suæ exhibebit exiguitatis testimonium. Textus apud Ioannem vltimus libri: *Multa quidem, & alia signa fecit*
Ioan 20.30 *Iesus, quæ non sunt scripta in libro hoc.* Cur non sunt scri-
Ioan.21.25 pta? Quoniam liber non capit: textus ipse fatetur. *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus: quæ si scriberentur per singula; nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Ecce planè fatetur, nec librum hunc, nec alios quoslibet scriptos, mundum totum replentes, grandia incarnati Verbi opera complecti posse: quanto minus Verbum ipsum, quod operibus suis excessu est maius infinito. Nam sacri bibliorum libri folia, & numero sunt, & magnitudine finita: Verbum Dei infinitum, quod finito loco capi non potest. At liber noster, Dei genitrix, integrè in se clausit, & continuit, non dicam Verbi mirabilia, sed ipsummet Verbum, originale, viuens, infinitum, totum circundans, & complectens
Ierc.31.22. iuxta illam Ieremiæ Prophetiam; *Fœmina circundabit virum.* Et cum libri omnes, qui totum implerent vniuersum, grandia Verbi huius opera complecti non possint; complexus est liber hic noster illud, quod mundus complecti nequiuit, vt Ecclesia concinit;

Virgo Dei genitrix, quem totus non capit orbis,
In tua se clausit viscera factus homo.

Hinc nostra elucet propositio, qua Dei Verbum scriptum Mariæ visceribus, certam alba in membrana subscriptionem prædicamus. Cum enim dubitandi de Mariæ immunitate fundamentum sit vnicum illud, quod in sacrarum libro scripturarum à communi labe non dicatur excepta; potissima ratio fundamentum illud labefactans hæc vtique est: quod scriptus liber ille non possit capere, quæ capit liber hic membranarum Mariæ. Hanc quippe nos ostendi-

Conceptionis Mariæ immunitas nō est ex sacris litteris petenda: sed ex incarnato in ea Dei Verbo.

mus causam, quare in libro illo scripta non sint magnalia illa, quæ fideles omnes in Maria florere confitentur: Quæ est igitur ars, vt in libro quoquo modo scribantur? Detur in alba membrana subscriptio, in membranis Mariæ Dei Verbum, Dei nomen, *De qua natus est Iesus*: vt super eam quisque absque limite scribat quidquid excelsum mente valet attingere. Si enim super quodlibet sacræ scripturæ verbum tot à pijs ac doctis scriptæ sunt glosæ, indiesque scribũtur; quæ causa esse potest, qua Deus censeatur omisisse exhibere nobis penitus albam magnam illius libri partem, in quo diuinum Verbum scriptum est viuens; vt super Verbum hoc diuinis repleantur albæ glossis membranæ? Et quænam debet super tale Verbum glossa scribi; nisi dicamus; nihil libro huic penitus deficere ex his, quæ grandia pulchra, honesta, honorabilia attingere noster potest captus.

Maria laudes ad nullũ debent gradum adduci designatum.

Nunc iam super diuinam istam subscriptionem adscribat vnusquisque Deiparæ Virgini, quidquid sub Deo scribere libuerit. Vestræ scriptio hæc deuotioni committitur. At cum nulla possint albam hanc membranam scripta replere; nec vlli ex magnalibus Mariæ vltimus gradus designari; ex consilio nunc meo satius vtique erit, si non dixeritis, huc peruenit Maria; sed huc nemo peruenit; nempe ad celsitudinem Mariæ. Temporibus illis, quibus in Hispania cum Christianis promiscue habitabant Mauri, mutui crebro vtrinque bellici fiebant incursus, seu præliares aggressus, & regressus (*Escaramuscas* dicunt, Hispani) quorum imitatio Troianus est ludus. *Iuego de cañas*. In quodam huiusmodi certamine cum pro capienda Maurorum ciuitate pugnantibus viriliter nostris, strenuus quidam eques *Vasco* Fernandez nomine, hostes sic insectans, omnes Hispanæ factionis milites transiliret intrepidus; ad quandam capiendæ vrbis peruenit domum, cuius foribus pugione confixit chartam, quam maioribus consulto scriptam ferebat litteris, asserentibus; *Huc peruenit Vasco Fernandez*. Vidit titulum hunc sequenti recursu alius quidam miles ex nostris; qui ad simile postridie certamen rediens, longe vlterius, quàm Vasco se iactauit; at non iactauit elationis ia-

ctantia; sed tacito nomine, similem chartam foribus affixit his scriptam litteris; *Huc non peruenit Vasco fernandez.* Cum B. Augustini commendamus encomia, solemus dicere, huc peruenit Augustinus. Peruenit ad gradum, quo doctorum est doctor: quo religiosarum regularum est regula: quo sanctorum Patrum magnus est Pater: & huc peruenit Augustinus. Quo Seraphicus Franciscus? Peruenit ad supremum suæ, & fratrum suorum perfectionis culmen: peruenit vsque ad firmissimam collabentis Templi reparationem, B. Dominico consorte: peruenit vsque ad impressa sibi Christi vulnera quinque, & huc peruenit B. Franciscus. Quid Benedictus? Ad tam eximiam hic sanctitatem peruenit, vt ad Dei conspectum in mortali hac vita peruenisse videatur: cum non desit, qui ita iudicarit; & huc peruenit Benedictus. Sed & Bernardus ad tangendum fere ore suo Deiparæ vbera; ex quibus diffluens lac intrauit in os eius. Ad tantam verborum, scriptorumque tantam suauitatem; vt ex accepto lacte mel ex labiis suis emanarit: & huc peruenit S. Bernardus. Quod si quæratis, quo peruenerit prædicatorum institutor Dominicus: dicam, peruenit vsque ad aërem corpore à terra eleuato cum spiritu. Peruenit ab oriente ad occidentem, instar candidissimi solis, orbem totum catholica sua, suorumque doctrina diuinitus irradians, suoque in Dei dilectionem inflammans ardore charitatis. Peruenit ad tam sublimem sanctitatis gradum, vt per annos octoginta nullus ex fratribus suis ab edendorum gratia miraculorum exsors fuerit; & huc peruenit S. Dominicus. Quo autem peruenit Angelicus Thomas, quamuis sit difficile signare, cum altius sit, quàm quo possit mens nostra peruenire: peruenit tamen ad signabilem tandem celsitudinem. Peruenit ad coniungendam Theologiæ summam cum summa verę sanctitatis. Peruenit ad inauditam adeo approbationem, vt nulla suorum propositio scriptorum pia illa egeat, atque benigna interpretatione, qua sanctorum Patrum dicta aliqua in sanum sensum doctores accipiunt: quoniam absque vllo lenimento, vllave sententiæ interpretatione, omnis, vt sonat doctrina eius clausis (vt aiunt) oculis inoffenso percurritur pede. Peruenit ad tantum erga Dei matrem reue-

rentiæ, tantum amoris, tantum æstimationis; vt, cum ab originali peccato immunem pronuntiare propterea se vereri diceret, quod huiusmodi festum ab Ecclesia non celebraretur; ostendit plane, immunitatis huius constantem se futurum fuisse tutorem, si sæculis istis potiretur, quum festum hoc lætissimis celebrat iubilationibus Ecclesia. Itaque quo non peruenit effectu, affectu intimo peruenit: & huc peruenit S. Thomas. Quid dicemus de Paulo? Ad tertium cœlum cursu primo peruenit; ad vniuersam secundo terram peragrandam, nomen Christi fideliter portans: & huc peruenit S. Paulus. Peruenit dilectus Christi Ioannes ad Christi ipsius pectus; & ad nomen filij matris eius: & huc peruenit S. Ioannes. Quinetiam ille alius Ioannes, qui eo dignitatis peruenit, vt dicat Dei filius; *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista:* illud tamen peruenit, vbi dicendum sit, nullus peruenit vlterius: non tamen sit dicendum, nullus peruenit huc. Atque huc peruenit Ioannes Baptista. At cum de matre Dei loquimur, non debemus dicere, huc peruenit Maria: sed dicendum est, huc nemo peruenit, quo Maria. Huc non peruenit Augustinus; huc non Franciscus; huc non Benedictus; huc non Bernardus; huc non Dominicus; huc non Thomas; Huc non peruenit S. Paulus; huc non Ioannes Apostolus; huc non præcursor Ioannes: Huc non peruenerunt omnes simul Virgines: non martyres omnes: non Patriarchæ; non Prophetæ; non Sacerdotes, non Apostoli: Huc non peruenerunt omnes pariter Angeli: huc non Archangeli; huc non Throni: huc non Dominationes: huc non Principatus; huc non Potestates: huc non Virtutes: huc non Cherubini: huc non Seraphini: Huc non peruenerunt omnes simul electi, tam terriginæ, quàm cælites in vnum conferti, ac congregati, ita, vt omnium sanctitas, & gratia, celsitudo, dignitas, perfectio, si summa vna computetur, minime quidem ad eum perueniet gradum, quem Virgo Deipara transcendit: nec ad ea charismata, quæ in grandi hoc libro continentur.

Matth. 11. 11.

Maria dignitas, & perfectio omnẽ creaturarum dignitatem cunctarum vna collectam summa transcẽdit, & superat.

Franciscus Suarez in 3 p. tomo. 2. dispu. 18. sectione. 2. innixus multis Sanctorũ sententiis.

Maria Deipara laudes.

Nihilominus video (ni fallor) vos non omnino quietos, donec super munificentissimam hanc subscriptionem Dei scribat vnusquisque in alba hac membrana, quod sigilla-

tim ſuggerit deuotio. Sit ita ſane: interroga te, reſpõdebo. Pater, ponemusne, alba hac in membrana virginem iſtam eſſe arborem vitæ? Ponite. Ponemus, eam eſſe Dei delicias, & lepôrem? Ponite. Ponemus ne, omnes Dei perfectiones, & magnalia luculentius, ac plenius ſcribi, & lucêre in libro iſto, Maria Virgine, quàm in omnibus cœlis, terra, mari, lignis floribus, herbis, fluminibus, fontibus, ſcripturis, hominibus, Angelis, aliiſque quibuſlibet prodigiis? Ponite. Volumus ponere, vniuerſos cœleſtis curiæ habitatores, qui Dei aſpectu magna ſunt admiratione ſuſpenſi, conſequenter quidem eſſe ſuſpenſos diuiniſſimæ huius Deiparæ intuitu. Ponite. Volumus ponere, ab omni eam macula alienam, non modo propriis actibus contracta, verum ab ea etiam, quam à primis parentibus omnes origine contraximus. Ponite. Volumus ponere, quòd ſupremus ille Angelus Lucifer, qui Dei inuidit maieſtati, Virginem hanc, matutinum Luciferum, amictam Sole, pedibus ſuper Lunam in ipſo videns Conceptionis inſtanti, capite redimitam prętioſiſſima duodecim ſtellarum corona, intima tanti fulgoris, tantæ celſitudinis, tantæ perfectionis inuidentia rabidus, ac tabeſcens infremuerit. Ponite. Ponemus ne, perfectionem Mariæ in primo illo Conceptionis inſtanti fuiſſe excelſiorem qualibet alia, quam maior Sanctorum omnium in vitę cõſummatione ſit adeptus? Ponite. Ponemus ne, Mariam eſſe Deum? Ne poſueritis: quoniam tota ſcripti tunc peribit auctoritas. Cum enim omnia in magno hoc libro licitè ſcribenda auctoritatem habeant à ſubſcriptione illa, quæ Deus eſt, ſintque omnia hæc ſuper ſubſcriptionem iſtam perſcribenda: certe, ſi Mariam ſcribitis Deum, ſubſcriptionem Dei eſſe negatis, cum Dei plures vno eſſe non poſſint. Tamen hoc ſaltem ponere licebit: ſi præter Deum hunc, qui verus eſt Deus, alius item Deus poſſibilis eſſet; eum quidem futurum fuiſſe Mariam; quam ſub Deo primam inuenimus. Quoniam Dei Verbum, quod verus eſt Deus, Deique ſigillum, ab vtrâque membrana, Deo, atque Maria, vno extremis duobus pendet funiculo, quatenus incarnatum eſt Verbum: ita vt duæ iſtæ membranæ connexæ ſint; ac diuino quodam quaſi æqualitatis modo ſimiles & pares.

Illud

Maria ante oculos iugiter habēda, vt bona omnia, omnes virtutes ex ea nobis hauriamus.

Illud tamen admonere non sinam, qui tot, & tantas super subscriptionem hanc perfectiones adscribitis Mariæ; multas ex ea vobismetipsis virtutes hauriatis, tanquam ex perfectissimæ doctrinæ libro, quem semper ante oculos habere, maxime expedit. Si enim sapientissimus ille Hispaniarum Rex, earumque decus Alfonsus, cognomento Sapiens, iugibus Reiminis occupationibus intentus, non solum magnam diei partem in perlegendo illo alio Verbi Dei libro, bibliorū videlicet, insumebat, sed noctu etiam eum speculatus, aggrauante somno, dormiens librum habebat secum nocte tota, auiditate tanta, vt quaterdecies perlegerit totum, glossasque eius omnes vsque ad tempus illud adinuentas, vt narrat Antonius Panormita; quanto ardentius studium à fidelibus debet adhiberi in diuino hoc libro, Dei matre, præ oculis iugiter habendo, vt omnes ab eo, quas imitentur, hauriant perfectiones? Haurite ergo ex libro hoc salubrem illam, cœlicamque doctrinam, qua virgo ipsa suos, dū in terris viueret, discipulos imbuebat. Haurite ex diuino hoc exemplari innumerabilia imitationis exēpla. Haurite ex hac Deipara Regina profundissimam vobis humilitatem, serenitatem, mansuetudinem, docilitatem, sanctitatem. Haurite ex iucundo Virginis intuitu castitatem, modestiam, circunspectionem, honestatem. Haurite ex hoc dulcissimo alueari lepidissimam palato, intimoque cordi suauitatem. Haurite ex hac speciosissima oliua lenitatem, affabilitatem, sanitatem. Haurite ex hoc perenni vitæ fonte animis vestris refrigerium, consolationem, interuentionem, animi, & corporis salutem, vitam, gratiam, gloriam, beatitudinem: quoniam qui diuinum hunc Dei librum *inuenerit, inueniet vitam; & hauriet salutem à Domino.*

Antonius Panormita, de dictis, & factis Alfonsi Regis.

Prouer. 8. 35.

IN NATIVITATE BEATÆ VIRGINIS MARIAE.

SERMO I.

Matth. 1. 1. *Liber generationis Iesu Christi.*

Ideo me nunc manu adstructum vtraque: altera, ad aperiendum propositum, librum generationis Iesu Christi; ad tangendas natæ hodie infantis excellentias, altera. Quæ duo in hodiernam celebritatem concurrunt, ista vtique sunt latissima Deiparæ natiuitas, & narrans eam Euangelium: quorum vtrumque adeo clausum est manibus, vt & meę ad vtrumque clausę videantur. Si natam Maria suspicio; implicatam manibus reperio: cum infantes omnes constrictas habeant fascia & linteaminibus manus. Si ad Euangelium me conuerto: sacrosanctum inuenio generationis Domini librum manulis etiam penitus clausum, ob profundam mysterij difficultatem: quod, cum nobilis hęc, quæ narranda progenies proponitur, Christi progenies esse dicatur: non ad Christum ipsum, nec ad matrem eius; sed ad eum, à quo Christus minime oritur, Ioseph um, ducatur genealogia? Quas igitur gratias? quæ dona? quam largitatem expectabimus ab ea, quæ manibus strictim inuoluta est? Sed gaudete, auditores, & plaudite. Hodierna liberalitas tanta est, tantaque manicum expansio; vt etiam non habentia manus, *Flumina plaudant manibus.* Quoniam & si inuolutis est manibus

Psal. 97. 8.

infantula: eius tamen semper munificus Pater, qui in cœlis est, præsenti filiæ natiuitate se præ alacri gaudio munificentissimum exhibet, eo quod eius primogenita sit; quo eam nomine Senensis Bernardinus appellauit. Adeo igitur Pater Mariæ Deus, exhibet se hodie liberalem, adeoque expansis, ad conferenda munera, manibus; vt si nos omnes natæ sibi filię nomine gratiam ab eo petierimus: vberrimam, cunctis tam dilecta sibi mediatrice, sit confestim largiturus. Bernardi. Senens. Serm 61. art 3.

AVE MARIA.

IMplicatæ nobis difficultates duę sunt propositę circa sacrosanctum librum: prima, quod nostrum thema est; vtpote nobilissima Reginæ Deiparæ genealogia. Etenim cum genealogialis Christi series enarranda proponatur in titulo, dum dicitur; *Liber generationis Iesus Christi*; linea nihilominus dirigitur ad Ioſepum verbis illis: *Iacob autem genuit Ioseph*: ex inde vero non fit lineę prosecutio, dicendo, *Ioseph autem genuit*; sed forma dicendi penitus mutatur, dum adijcitur: *Ioseph, virum Mariæ, de qua natus est Iesus*. Si genealogię Christi, atque Marię intenditur enarratio; cur non ad Mariam, sed ad Ioseph ducitur processus? Hæc est prima difficultas: quę clausum strictis librum tenet manulis.

Altera difficultas est circa natæ Reginæ ortum iucundissimum. Cum enim illa hodie nata sit, manibusque inuoluta; nihil profecto videtur nobis exhibere, vnde encomia eius commendemus; certave possimus conijcere consequentia. Quem (rogo) fructum decerpemus ab ea; quę in tenero adhuc flore est? Imo rosa ipsa, nunc diluculo erumpẽs? Certe natiuitatis gaudia à festis nuptiarum longe alia sunt. Nam nuptiarum exultatio non intimis tãtum cordis affectibus; sed oris etiam verbis celebratur: quatenus adstantes animaduertunt, & loquuntur, quam pulchra ac diserta noua nupta sit, quam etiam veste elegans, nutibusque modesta atque decora. Quod idem plerique

notant in pronuba: adeovt vel circa ſolum capillorum ornatum, quam ſcilicet apte compta ſit, habeant Dominæ omnes materiam conuerſandi à mane ad noctem. Quinimo nupta ipſa iucundam magna ex parte confabulationem conſeruat. Si quę ei verba deficiunt, pronuba ſupplet, loquens pro ambabus. At in natiuitate quidnam de infantula dicendum eſt? Quid in ea notandum; cum vix oris vultus diſpiciatur? Hic interna ſunt omnia: exhibitę parẽtibus gratulationes pro futuro, exhibitę dum dicunt eis noti, atque conuiuę: facit Deus, vt filia hęc ſit veſtræ decus ſenectuti: in pręcelſoque eam videatis ſtatu collocatam. Sic in nobiliſſimi illius à Deo electi præcurſoris ortu congratulabantur omnes parentibus eius verbis illis: *Quis*
Lucæ.1.66. *putas puer iſte erit?* Pro ſpe fit gratulatio; non pro ſtatu: exhilarat flos; ſed fructus nondum oritur. Itaque quoad cordis gaudia intima, quoad exultationem, quoad Choreas ac tripudia, cæteráque id genus ornamenta, quibus grande vndecunque feſtum celebretur, adeſt nobis hodie latiſſimus campus: at campus floribus amœniſſimis ſcatens, fructu non item: vnde nec concionis nutrimento, cum infans noſtra in flore ſit.

Et quidem inſtitutus quiſque pro ortu hoc idoneus ſermo, adeo natæ ipſi conformatus eſt; vt qui eum adit prædicator teneris veſcatur neceſſe ſit floribus, quibus tanquam ſpe futuri alitur frumenti. Indicauit hoc graphicè illud,
4 Eſd 9.13. quod Eſdræ admirabile fuit oſtenſum myſterium. Optabat ille vehementer, occultas Dei rimari directiones, mentem capere: ſummiſque ab eo precibus certam earum reuelationem flagitabat: ſed modum præcipuè, quo impij ſine fine cruciantur in Tartaris; multaque id genus arcana, de iniquorum exitu ſolicitus. Quem vt à mœſta illa cogitatione leuaret Dominus dixit ei: *Noli adhuc curioſus eſſe, quomodo impij cruciabuntur: ſed inquire, quomodo iuſti ſaluabuntur, & quorum ſeculum, & propter quos ſeculum, & quando.* Vtque cogitabundum mœſtitudine ſeruum iucunda rerum repræſentatione lætarum exhilararet; iuſſit ei, vt conferret ſe in campum Ardath, in quo ſeptem continuis diebus aſſiſtens, floribus dumtaxat veſceretur. Poſtquam autem per hebdomadam inter

flores sedit, ob deplorandam sanctæ, vrbis, ruinam, extremas virorum, fœminarum, infantium, coniugatorum, Virginum strages gemebundus; vidit tandem subito ad dextrum latus, consciſam veste, cinere conspersam, coma, validoque clamore lacrymantem fœminam, intiméque eiulantem. Quæ interrogata ab eo, quidnam fleret; anxia respondit; vnicum se filium deplorare, post triginta à coniugio annos genitum; defunctum in ipsa iucunditatis die, quo vxore ducta, ad nuptias accedebat. Nitebatur, audiens hoc Esdras, multis fœminam dictis consolari; nolentem tamen animo leuari, nec leniri; sed mori se velle simulantem: quam demum rursus aspiciens, ecce vidit facie mutatam pulchram nimis, candidam, iucundam, terribilique voce discedentem. Cuius loco apparuit mox ciuitas, quæ adhuc ædificabatur, ab altis execta fundamentis. Obriguit tunc intima Esdras formidine, pauidóque Vrielem Angelũ aduocauit anhelitu: qui confestim confortans eum, apparuit; plenéque circa grande illud mysterium instruxit. Mulierem dixit esse Sion, Dei basilicam, quæ lugebat filium, populum corruentem in die, qua in opulentiori erat statu constitutus: conuersam verò in splendorem & gaudium, propter faciendam mox à Deo reparationem ciuitatis. Vnicum Dei lætissima hac repræsentatione finem consolationem Esdræ fuisse, satis constat: qui tam glorioſam vrbis reparationem intuebatur. Quam dicemus hodiernam Dei ipsius mentem fœlicissima hac nitidissimæ fœminæ editione; nisi generale mundi totius gaudium, alacritatem, & tripudium. Certè Mariam esse ciuitatem apud plerosque legimus ex patribus, tum agentes de ciuitatibus refugij Numerorum, ac Deuteronomij libro designatis: tum de ciuitate Ierusalem, de cælo descendente, necnon de illa, de qua Dauid: *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei.* Vnde mellifluus Bern. omnes ciuitatis proprietates attribuit Mariæ. Vt facilè intelligatur optatissima Virginis huius Natiuitate plures calamitates extirpari, quàm adspectu illius, quam vidit Esdras fœminam ciuitatem exurgentem. Quod idem subnectit Bernardus ipse verbis illis: *Sublimitas eius instaurationem supernæ ciuitatis inuenit: & profundum eius sedentibus in vmbra*

Num. 35. 9. Deut 19. 2. Iosue 20. 4. Apoc. 21. 2. Psal. 86. 3. Bern. serm. 4. de Assumptione B. Mariæ.

mortis obtinuit redemptionem.

Cum ergo Maria ciuitas sit, & hæc quidem in die ortus sui constrúi ciuitas incipiat; quanto vberius exhilarabit orbem Maria, quàm Esdram ciuitas, quam vidit: cum soli Ieroſolymæ exectionem præsagiret illa; toti mundo Maria: esſetque prima illa in primis adhuc fundamentis, nondum absoluta: nostra verò ciuitas Maria in ipso Natiuitatis die cunctis exeat perfectionibus prorsus consummata.

Quæ cum ita se habeant; quidnam esse arbitrabimur, quod solos Esdras manderit flores? nisi mirabilem quandam insinuationem, quod ciuitas illa, quæ quasi in flore erat, eo quod tunc inciperet exurgere, aluerit eum spe futuræ perfectionis; sicut futuri fructus spe alunt homines flores. Quod si floribus his contentos esse licet; summæ nobis occasio adest hodie lætitiæ; cum fauſtissimus hic Natiuitatis dies, ver primum sit, quo oritur rosa cunctis amœna, salubris, odorifera; quæ oriens accinit; *Ego flos campi.* Hunc hodie nasci, canit Augusſt. & ad canendum nos inuitat, dicens: *Gaudeat terra nostra tantæ Virginis illustrata natali: hæc est enim flos campi.* Præsertim, cum puriſsimus hic, ac suauissimus floſculus saluberrimum vniuerso mundo fructum annuntiet suum, ac Dei fructum. Si flos iste puriſsimus suppoſito mentibus nostris meditationis igne calefiat: succus quidem ex eo adeò mirificus prodibit; vt & mulceat corda, & animis sit iucundum alimentum. At, cum totam concionum rem fructum esse, ab initio statuerimus; manet profecto indiſsoluta difficultas, dum floribus solis enutrimur.

Cantic. 2. 1. Aug. serm. 2 de Annũtiatione: qui est 28. de Sanctis.

Vtriusque ergo difficultatis propoſitæ indagandus est exitus. Primæ nimirum circa prædictam Euangelij seriem, quæ non ad natam hodie Mariam, sed ad sanctum eius ducitur sponsum: secundæ circa florem Mariam, quæ infans cum sit, nullam nobis ad laudes suas materiam videtur exhibere. Vtramque Deus difficultatem, & nostros simul sensus adaperiat.

A priori (quæ ad Euangelici libri seriem spectat) intentione incipiamus. Quæ illuminatum cœlitus chronographum incitamenta perduxerunt, vt ad Ioseph, non

ad Mariam duceret lineam genealogiæ, plura esse cùm censeam, remittens reliqua ad alias conciones, vnum in præsenti commendabo. Est nota Dei consuetudo, vt si quid sibi tollat ab aliquo etiam sponte concedente tantumdem, imo multo plus ei munificus rependat. Tulit ab Abrahamo filium vnicum, & sibi quidem tulit, offerendum nimirum sibi holocaustum: quid pro filio retulit parenti? *Per memetipsum iuraui, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cæli, & sicut arenam, quæ est in littore maris.* Ecce pro vno quem ab Abrahamo abstulit filio, dedit ei absque numero sobolem. Et (quod maius est) ipsum Dei Filium dedit filium Abrahæ: vt scilicet Abrahæ fieret filius, qui Dei est Filius vnigenitus. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*; in Christo videlicet, Abrahæ semine, vt & noster Chronologus in Euangelij scribit exordio: *Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham.* Omitto multa in propositum istud concurrentia, cùm satis sit dicere, nec ab inanimatis quidem rebus quidquam sibi tollere Deum, quin illud integrè restituat. Quum aream fœderis in humeris duodecim Sacerdotum iussit per siccum transferri Iordanem; præcepit simul, vt Sacerdotes ipsi tollerent inde totidem lapides, quos, cum portarent arcã, pedibus calcarant: peruenientésque in Galgalã exigerent eos in glorioſum memoriale, ac monumentũ, magni illius miraculi, quòd fluuialium impetum aquarum repressisset, vt portitores arcæ Sacerdotes sicco transirent vestigio. *Tunc vero alios duodecim lapides posuit Iosue in medio Iordanis alueo, vbi steterunt Sacerdotes, qui portabant aream; & sunt ibi vsque in præsentem diem.* Bone Deus! Quid interest, si Iordanis alueo duodecim lapides desint, vt tanta sit restituendi lapides cura? Hinc planè agnoscetis, quod intendo. Est summa Deo cura, ne quid sibi ipsi aliunde sumat, quin totum integrè restituat, etiam si nullius sit detractio momenti: quanto magis, quum maximi momenti est! Tale fuit quod tulit à Iosepho. Quidnam tulit? dicetis. Nihil profecto quod Iosephi proprium esset tulit: tulit tamen quod eius esse poterat. Etenim, si nõ sumpsisset Deus

Deus, si quid à quopiam tollit, reddit centuplum.

Gen. 22. 16

Gen. 22. 18.

Matth. 1. 1.

Ios. 4. 5. 20.

Iosue 4. 9.

ſponſam ſibi Mariam, vt Dei ipſius pareret filium; tunc Mariæ filius filius eſſet Ioſeph, cuius legitima ſponſa erat Maria. Nam mutuum Mariæ, atque Ioſephi deſeruanda pactum Virginitate cum ex Dei inſpiratione ideo factum eſſet, quod vellet Deus ſibi ſponſam Mariam, vt ſuum abſque viro pareret Filium: minimè quidem ſuper ea continentia paciſcerentur, nec talis Dei mouiſſet eos inſpiratio, ſi ad finem hunc ſponſam Deus ſibi non aſſumeret. Nulla enim apparet ratio, qua ſponſi iſti ſuper ea continentia conuenirent, quæ in illo tempore nemini veniebat in mentem. Eſſet ergo tunc Ioſephi filius, qui eſſet filius Mariæ, ſi Deus ſibi eam non aſſumeret: conſequenterque ſcribenda tunc de filio Mariæ genealogia, ad Ioſeph directè trahenda eſſet; cum hiſtoricæ genealogiarum narrationes trahantur ad filios per parentes. Ait igitur Deus; niſi ego mihi ſponſam Ioſeph aſſumerem ſponſam, filiumque illa meum gigneret vnicum, illuſtriſſima hæc filij Mariæ genealogia ducenda erat ad Ioſeph, qui tunc filij Mariæ fuiſſet pater: Abſit à me, vt tantum bonum, tantum honorem, tantam auferam viro dignitatem. Si hæc filij Mariæ genealogia ad Ioſephum ritè duci debebat; trahatur quidem ad Ioſeph: ſumma hac potiatur dignitate. Nam ad propoſitæ veritatem hiſtoriæ, qua liber hic genealogia inſcribitur Chriſti; cum non quidem Chriſti, ſed Ioſeph progenitores numerentur: ſufficit vt in libri inſcriptione duo ataui Chriſti nominentur, Dauid Rex, & Abrahamus. Hanc eſſe veram propoſiti cauſam, cauſa ſuadet rationabilis: tum nimirum propoſita Dei conſuetudo, tum ipſius ſummi Regis nobilitas, quæ neminem dignum nobilitari, priuat nobilitate; ſed cumulat magis. Auguſtus ille Octauianus, quo nullus inter Cæſares melior, cũ Tyberij Neronis vxorem à coniuge abducens ſibi vxorem copularet, filium fœminæ illius, Tyberium nomine, quem illa ex priore illo conceperat coniuge, ſucceſſorem ſibi imperio adſcripſit, poſtponens ei proprium nepotem, nomine Agrippam, quem ex vxore alia, nomine Scribonia, legitimum habebat. Scribit Tranquillus Suetonius. Nec tamen futurus foret Imperator Tyberius ille, etiãſi matrem eius non auferret à coniuge Auguſtus: & nihilominus

Sueton. in Octauium, c. 62 63. 65. & 101. item in Tyber. c 15 & 23.

relata

relata hæc non violenta ablatio, qua alienam à viro abduxit vxorem, sufficiens fuit magnanimo Regi incitamentum, vt talis viri filium, priuignum suum, imperij successorem instituerét. Quanto magis nobilissimus cœli & terræ Imperator.

Quis dum audit hæc, non incitatur ardentissimo amore offerendi tam splendido remuneratori quidquid suum in tanti Principis obsequium & gloriam applicari posse, prudens intellexerit? Nec potest quispiam, nisi mente imbecillus, arbitrari, vberes has Dei restitutiones illis duntaxat fieri, à quibus ipse quippiam aufert: non item illis, qui nequaquam compulsi, offerunt ei quidquam suum, quod in eius gloriam cedere vident, & honorem. Tum, quoniam non est minoris nobilitatis remunerare vltroneam largitatem, quàm detracta bona compensare. *Hilarem enim datorem diligit Deus*, tum quoniam nec à Ioseph, nec ab Abrahamo quippiam violenter abstulit Deus; sed ab vtroque accepit concedente. Nulla etenim vi, sed solo Dei Verbo immolandum tulit filium Abrahamus; nec priuauit coactè vxorio Deus toro Iosephum; cum ipsemet diuinitus afflatus suam & sponsæ virginitatem, spontaneam Deo consecrauisset absque indicio vllo, quod Filium Deus suum ex ea nasci decreuisset. Est ergo beatus quicunque sua quæque obtulerit Deo, vt in Dei seruitium transferatur; cum, præterquam quod sit vera hominis fœlicitas, vt quod suum est, in Dei (vt ita dicam) transeat vsum; larga sit nimis compensatio. Quidnam ab offerente accepit Abrahamo? Nullam quidem rem, sed rei offerendæ aggressionem cum minimè acceperit ab eo filium immolatum, sed solum actum illum, quo, ad necandum eum, leuauerat manum, necarétque effectu, nisi à Deo impediretur. Et tamen pro filio sic oblato non effectu, sed affectu, fecit eum Deus Filij sui parentem, vt omnes gentes in sobole, eius essent benedictæ. Proceditque eo vsque nobilitas, Dei, vt oculis eius visum sit opus consummatum, integráque filij illius immolatio, cum dixerit oblatori parenti; per memetipsum iuraui, quia fecisti hanc rem, *Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, & benedicentur in semine* Gen.22.16.

2.Cor.9.7.

tuo omnes gentes terræ. Domine; quam (rogo) rem fecit Abraham, vt dicas ei; *Quia feciſti hanc rem?* Certè ipſum duntaxat attentare, conſummata res oculis Dei penitus apparet. Eſtque mirabile hac in parte nomen illud, quod impoſuit Dominus monti, in quem aſcendit Abraham, Filium Domino immolare. *Vade in terram viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum.* Vndenam viſionis nomen imponitur terræ? Audite obſecro, *Ecce Angelus Domini de cælo clamauit dicens; Abraham, Abraham: non extendas manum tuam ſuper puerum: nunc cognoui quod times Deum. Leuauit Abraham oculos ſuos; appellauitque nomen loci illius, Dominus videt.* Dominus videt mentem meam; videt intentionem, videt animum; quo filium abſque dubio immolauiſſem, niſi à Domino ipſo præpedirer. Non vocetur mons immolationis: ſed viſionis mons; illuſtriſſimum nomen: *Vnde vſque hodie dicitur:* in monte Dominus videt. A Ioſeph item quidnam abſtulit Deus? A quonam gignendo abduxit filio, vt Dei ipſius filium ex Ioſephi ſponſa naſci faceret: Nihil vtique abſtulit; nil vetuit; nil detraxit. Nam Ioſeph ipſe eo iam ſponte animo erat, vt nunquam tangeret vxorem, nec vllum ex ea haberet filium. Et nihilominus tam integrè rependit Deus Ioſepho, ac ſi pronaſcituro ex ſponſo Ioſeph, Dei ipſius filio, priuaret eum filio, qui ſibi ex illa ſponſa naſci poſſet. Imo amplior longè compenſatio. Si enim Ioſepho filius ex Maria naſceretur; tunc (fateor) narranda filij Mariæ genealogia, ad Ioſeph directè duceretur, tanquam ad legitimum parentem: & licet grandis eſſet honor Ioſeph, quod tam illuſtris filij duceretur ad eum genealogia: eſt tamen omni excelſior comparatione honor hic aduenies Ioſepho ex eo, quod in ſcriptura hæc filij Mariæ, qui eſt Dei Filius, genealogia, ad ipſum trahatur Ioſephum, ac ſi diuini huius Filij eſſet pater. Ad hæc, antiquus ille Abraham pro eo, quod priuare ſe filio vnico attentauit, appellatus eſt à Deo pater nomine apud omnes; ſicque in ſcripturis pater nominatur. In tantum, vt in prædicta hodierni Euangelij inſcriptione, ante inchoatam genealogiæ lineam, pater Chriſti nominetur: *Liber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abraham.* Sed nun-

Gen. 22. 2.

Gen. 22. 11.

Matth. 1. 1.

quid minus illustris titulus Ioſephi? Pater necnon vocatur iſte; Chriſti Pater. *Ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum* Luc 3. 23.
triginta, vt putabatur, filius Ioſeph. Magna Ioſephi dignitas: nulla hominum maior. Tandem ſi pareret Maria filium Ioſepho, linea tunc genealogiæ, quæ ad filium Mariæ duceretur, veniret (fateor) ad Ioſeph; ſed non adeò ampla, ac venit modo, adhuc ex parte progenitorum. Quoniam ea genealogiæ narratio parum, aut nihil excederet numerum progenitorum, qui in aliorum genealogijs Heroum ſolent numerari. Conſtat autem, nullam genealogiam à trigeſimo quinto commemorari hominis atauo. Nam cum Iudith nobilitatem ex antiquiſſimis ductam Iudith. 8 c.
proauis ponderet Scriptura; quindecim nec plures, numerat atauos. Quis autem ex cunctis ſcriptoribus quadraginta duos progenitores potuiſſet Ioſepho numerare, vt noſter nominat Matthæus,& eos quidem à trium millium annorum memoria, niſi Deus ipſe fuiſſet ſcriptor? Amplior proſapia eſt, ſexaginta duos proauos numerat Lucas, Luc. 3. 23.
ab ipſo incipiens lineam Adamo: quis inquam hominum adeo antiquam potuit ſibi proſapiam numerare? Et eſt Ioſepho numerata ab ſcriptore Deo; cuius iſtud fuit ſcribendi incitamentum: abſit à me, vt cauſa mei, priuetur Ioſeph honore illo, qui ex ducta ad ſeipſum genealogia ſua conſequeretur: ſed potius cauſa mei ad eum glorioſius perducatur. Quis igitur prudens & gnarus eas prætermittat occaſiones, quibus aliquid ſuum in Dei gloriam mancipare poſſe cognouerit?

Plus dare, quàm tollat, rogitetur, polliceatur:
Iob, Salomone, Deus, virga florente probatur.

His prima illa, quæ ad genealogiæ ſeriem ſpectat perplexitas manet vtcumque nobis explanata. Manet tamen ſecunda: quæ nõ minus eſt inextricabilis. Nempe aptæ præter flores prædicandæ materiæ defectus; quod nata hodie virgo in flore ſit, ſeu potius flos ipſe; ex quo nullus videtur fructus poſſe decerpi: cum ſolitus prædicationis fructus exemplum ſit, ſeu imitatio; terror ex lapſu, aut punitione; excitatio animi ex merito aut præmio: quorum nihil ex infantula poſſumus educere. Quid ergo? Totamne floribus attexemus cõcionem? Abſit: nec flores adduxit in concio-

nem prędictus Esdras primarius populi antiquioris prædicator. Istum enim valdè cogitabundum in florido Deus constituit agro, in quo floribus vescens, varijs per dies septem fuit reuelationibus instructus, iussitq; eum septem instaret alijs adhuc diebus ibidem, victũ carpere flores, dum alijs insuper instruebatur mysterijs, vt 12. cap. describitur. Sed post dies hos, cum prædicandi instaret occasio, cum à florum campo prorsus discedere præcepit. *Nunc ergo dispone domum tuam* (ait cap. 4.) *& corripe populum tuum, & consolare humiles eorum, & renuntia iam corruptelæ. Et respondi: ecce enim ego abibo, sicut præcepisti mihi.* Quidnam mysterij innuitur istis? Idem profecto innuitur, ac si expressis verbis dicat Deus: prædicator amice, in campo te floribus vesci, prædicationi ipsi omnino oportet: nempe in spatioso contemplationis campo, diuinis influentijs, altis præparari cogitationibus: per duas tamen dũtaxat hebdomadas: at, cum ipsi iam est prædicationi incumbendum; à floribus longè discedendum est, nec afferendi flores in suggestum. Sæuè iam corripiendus est populus: corruptela sale compungenda; non mulcendus floribus appetitus, nec flores in cibum adducendi. Sicut enim in arbore flores ante omnia erũpere, speratis fructibus proficuum est, & necessarium, cum fructus ex floribus procedãt, dummodo fructus tempore nulli iam lignum occupent flores, ita ad prædicationem disponendam in amplo floridarum contemplationum campo prædicatorem spatiari, omnino expedit, vt fructus inde prædicationis oriatur: in ipsa verò prædicatione nullos sanè, aut pauciſſimos oportet flores apparere. Quidnam sibi afferre misit famulos Deus, dum *Vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij vero vnum?* explicat ipse, dicens: *Ego elegi vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Non ait, vt flores afferatis, sed fructum. Imo vt id impensius commendet; fructus maneat, ait: quoniam florum conditio ea quidem est, vt vix orti, marcescant, & mox concidant. Quod eo vsque procedit, vt aliud præter fructus afferentem ministrum damnet Dominus, dicens: *Serue male & piger. Tollite itaque ab eo talentum; & inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores: illic erit fletus, & stridor dentium.* Si missus est à te, acceptâ, ad emendum triticum,

Matt. 25. 15.

Matt. 25. 26

Prædicatori non obnixè intendẽtem fructus prædicationis tremenda sententia damnat Dominus.

pecuniâ seruus, non quidem fructibus, sed floribus curru rediret onusto, quidnam diceres ei? Vbi sunt, heus, quos emptos affers fructus? Non fructus Domine; sed affero flores suauissimos. Et pecunia, quam ad fructus emendos dedi tibi, vbi nam est? vbi est pecunia? Domine, pecunia tua amœnissimos istos flores emi. O proditor! ô infidelis! Quã impẽdendam in fructus tibi dedi pecuniam, emptioni florum impendisti. Quid, si pecunię summa esset magna; qualis est talentum maxime cum talentum vnum, si ex maioribus sit, & illud aureum, 14. v. 981. aureis constet apud Hebræos: 1875. si argenteum: Ægyptium talentum libris octuaginta, vt Varro scribit: & quod minimum est, Atticum scilicet, aureis sexcentis, Plinio referente. Quanta ergo in eum, cui talenta dedit, ministrum erit Domini indignatio? Quanto maior, si tria? quanto acerbior, si quinque; dona nimirum multa, ad prædicandum; si ea in colligendis floribus insumat? Quam stupenda Dominus animaduersione plectet ministrum prædicantem? Priuabit imprimis eum talentis, donis & officio: quoniam

Marcus Varro, apud Plin. 33. c 3.

Perdere est dignus bona,
Qui nescit vti

Tragicus.

Vt Tragicus dixit. Deinde mittet in exteriores miserum tenebras: quoniam qui iucundis alios floribus mulcet, quos à tenebris debet delictorum sua sedulus prædicatione reducere: merito in tenebras recludetur, vbi graueolente pro floribus sulphure, ac dentium stridore contabescat.

Munus prędicatorum est, ab eis noxis peccatores abducere, ad quas ipsi natura propensi sunt: sunt autem anhelantes ad delicias & flores. *Dixerunt enim, cogitantes apud se non recte, exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis: & non est qui agnitus sit reuersus ab inferis; quia ex nihilo nati sumus, & post erimus, quasi non fuerimus. Cinis erit corpus nostrum; & Spiritus diffundetur, tanquam mollis aër, & transibit vita nostra, tanquam vestigium nubis; & sicut nebula dissoluetur. Venite ergo, & fruamur bonis, quæ sunt: vino pretioso, & vnguentis nos impleamus; & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Duo faciunt insipientes isti; & rosis se coronant, & vtun-

Sap 2. 1.

tur vino prætiosissimo, floribus, & vnguentis, per lasciuiæ prata deambulantes. Partes in homine sunt duæ: superior, quæ ad animum, & quæ ad corpus spectat, pars inferior. Prima ad superbiam propensa est, elationem, gloriam, & coronam: ad carnales delicias pars inferior. Rosis igitur vtuntur hi, ad capitis coronam: coronemus nos rosis; quoniam superbi appetunt coronam, & eam quidem omnium excellentissimam; qualis est rosarum; cum florum regina rosa sit. Ad carnis oblectamenta duobus deliciarum vtuntur generibus: vino ad gustus suauitatem; pratis, vnguentis, floribus, ad lasciuiam. Sunt, qui totum hoc, vina, vnguenta, prata, flores, rosas, coronas, ad carnalem referant portionem: vt rosaceis etiam redimiantur coronis, quibus vt grati sint mulieribus viri, viris gratæ fœminæ; vt putat Carthusianus: siue ob antiquam gentium cõsuetudinem, quæ ad conuiuia accedentes, rosis se coronabant, ad designandam abundantiam non solum in positis in mensa fructibus; sed in floribus etiam coronarum, vt tradit Arist. & Cælius Rodiginus: siue ad reprimendam vini exhalationem & odorem, odore ac spiratione rosarum, vt scribit Athenæus. At enim ex hac ipsa, quam consuetudinem concedo, propositum ego nostrum confirmo. Cum illa abundantiæ fertilitatisque ostentatio superbia sit, & vana gloria: sit etiam superbia conuiuantium, velle se alijs tum loco, tum ferculis præferri: quo affectu sibi ponunt coronas, vt altiores alijs habeantur. Facit mirifice Græcus textus; vbi pro rosis scribitur rosarum, calyculis aut baccis, siue rosis nondum apertis: quoniam profecto ambitiosi homines ac superbi immaturas præripiunt dignitates & honores; qui nondum aperti sunt, neque maturi, vt rosa nondum matura nec aperta. Id est, nondum ad tam splendidam adducti sunt siue à fortuna, siue à meritis suis celsitudinem: sed vi quadam honores ex calyculis extorquent. Vnde fit, vt sicut coronatus rosarum calyculis homo ludibrio potius esset, quam honori; ita absque dubio est ludibrio superbus; quem vident omnes violenter extorquentem honores illos qui nequaquam sponte erũpunt ei; cum honores veri sponte erumpant: sicut erumpit rosa in tempore suo. Debet huiusmodi homines educere à fallacia

Superbi coronant se corona florum nondũ apertorum, nec ad maturitatem peruenientium.

Carthusiã. in cap. 2. Sap.

Conuiuũ in opiparis gentes se rosis coronabant.

Cælius Rodigi. lib. 27. cap. 26. citans Aristotelem. Athenæ. lib. 5.

Coronis rosaceis vtebantur antiqui in conuiuiis.

Græca lectio.

Capullos de rosis.

prædicator; manifeste ostendens id esse fallaciam & pro appetito honore ignominiam & opprobrium.

Quid tibi, ô superbe, prædicabo? Quod tibi vrgentius ad auertendum te à tam exitiali affectu, & appetentia incitamentum proponam, quam si dicam tibi; adhibitæ quæque pro honoribus molimina, in oppositum tibi vergere effectum, opprobrium, ac ludibrium? at si vere nobilis es, optatoque vtcumque dignus honore; aliud (fateor) vrgentius adest incitabulum, quo ludicras has vanitates ingenue contemnas: Spinea corona saluatoris. Duo in roseto sunt, rosæ ac spinæ; quæ inter Christũ & te distribuenda sunt. Si assumis tu rosas ad coronam, solam creatori spinam relinquis: rosas ei offers, si spinas tibi applicas pungentes. Aperi oculos, adspice, considera. In cruce est spinis coronatus, in opprobrium ac derisum: cum tanquam ludicrus Rex spinis sit in magnũ coronatus improperium. Quis te, ô Gloriæ Rex, spinis sic tenet coronatum; nisi superbia mea, qua ad inanem gloriam, labilemque exaltationem, rosas assumpsi vanus ad coronam? Solas quidem tibi spinas reliqui: rosas furto abstuli: nam rosarum corona furtum est, si humano capiti imponatur. Dicis namque iusto iure tuo, *Gloriam meam alteri non dabo:* ac consequenter quicumque sibi assumit coronam, cum tua sit, nec cuiquam à te data; furto quidem eam applicat sibi. Cumque corona tua sit, careatque suis, quas ego mihi abstuli, rosas, velint autem ministri tuam tibi imponere coronam: imponunt eam tibi, qualem inueniunt, abũdantem spinis, rosis distinctam. Inueterata hominum insolentia. Quod enim primum primus fecit homo, fœmina prima, hoc furtum fuit. Vidit floridam sapientiæ arborem vetitam sibi, tibi soli propriam: *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, adspectuque delectabile*: quo intuitu, non solum fructus furtum fecit, sed florum etiam, suggerente, maius furtum Diabolo. Duplex enim fuit illius crimen: & intemperantiæ, qua pomi appetentiæ succubuit, iuxta verbum illud. *Videns quod bonum esset lignum, ad vescendum*; & superbiæ (& hoc maxime) qua sicut Dij esse concupiuit, iuxta serpẽtis dictum; eritis, sicut Dij. Vnde, ad floridam sibi elationis coronam imponendam, amœnissi-

Ioan. 19. 2.

Isa. 42. 8.

Gen. 3. 6.

mos flores ex arbore illa, mysticos saltem, decerpserũt ambo fructum ad palati satietatem. Et ideo iustissima tua eos est protinus sequuta sententia; mortis propter esum, & propter raptos flores, germinationis spinarum.

Vtrumque malum à parentibus his iniqui filij hæreditarunt: vtrumque pœnæ malum, & vtrumque culpæ atque affectum peruersorum. Duo imprimis culpæ mala hæc explicat propositus Sapientiæ textus; alterum verbis illis, *Coronemus nos rosis*, quod ad superbiam spectare diximus, qua Dei coronam appetunt insipientes: alterum verbis reliquis; *Vino pretioso, & vnguentis nos impleamus*; quod ad gustus oblectationem pertinet: deinde, *nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra*, quod ad inhonestam spectat libidinem. Iugia socia sunt hæc, vinum atque lasciuia cum odoriferis vnguentis. Indignus integro homine odor. Certe ambari & similes odores, vnguentis præsertim admisti; lasciuiæ odores sunt ac graueolentia. Se putridum carne, extisque prædicat corruptum, quisquis huiusmodi florum, resinarumque redolet fragrantiam: fœtidumque se exhibet, dum floridum cupit. Pudeat te, Christiane, qui te honoratum iactas, quod impudicum, obscœnumque pudebat Poëtam, cuius referre pudet nomen; qui sic occinit,

Odores, & odorifera vnguenta in viris ac fœminis reprobantur tanquã meretricia.

Posthume, non bene olet, qui bene semper olet:
Malo, quam male olere, nil olere.

Lib. 2. Epigra. 10. aut. 12. Lib. 6. Epigra 37. aut. 53.

Sciſne, quid facias, cum vino & vnguentis sic te ingurgitas? Audi B. Petrum. *Sobrij estote, & vigilate; quia aduersarius vester Diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quærens quem deuoret.* Cur (rogo) propter illas Diaboli insidias, quæ insidijs Leonis similes sunt, sobrietatem potius, quàm virtutes alias adeo intime exigit Apostolus? Quidnam habet sobrietas, vt sit contra Leones munimentum? Pulchra valde monitio. Etenim, dum circuit Leo, quærens quem deuoret; illuc celer accurrit, vnde carnis percepit odorem, putridæ præsertim. Ergo cum instar Leonis deuorandos quærat homines Diabolus; illos statim inuenit, qui olidi sunt odore carnali: sunt autem huiusmodi, qui odore vini olidi sunt, & rosaceorum vnguẽtorum. Non enim ex odore percipit infernus hic Leo homines illos, qui naturalem redolent

1. Pet. 5. 8.

Simile. Lasciui homines facile inueniuntur à Diabolo deuorandi.

redolent carnem; sed qui lasciuæ carnis odore sunt olidi. Quare quisquis talibus se odoribus imbuit; odorem sui exhibet Diabolo, vt ab eo inueniatur & deuoretur: Turpis homo, & miserande. Dicit tibi (ô insensate) Deus per Apostolum, *Sobrij estote & vigilate*, Vigiliam sobrietati coniungens, vt à Leone eripiaris inferno; tu autem pro vigilia & sobrietate ingurgitas te vino, sobrietati contrario, ac vigiliarum impatiente? Vis ergo, vt sopitum te iste inueniat Leo. Dormis somno sepultus, & putridæ carnis corruptione lasciuus odorem ei vltro exhibes: talis enim est caro huiscemodi vnguentis delibuta.

Luxuria nunquam satiatur.

Et ne Leo te inuenire omittat, omnia lasciuiens prata belluis turpior percurris. *Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Sap. 2. 8. Verba hominum turpium; sed veritatem sapientibus verbis exprimentium. Vt quid tot prata? Nonne sufficit vnum satietati? signum quidem est, nec prata multa satietati sufficere libidinis. Tunc enim bruta à prato in pratum auida discurrunt, cum ea omnia inueniunt sterilia. Talia vtique sunt libidinis prata. Heu quot fœminas vir; heu quot viros fœmina lasciua percurrit! nec tamen vspiam satiatur: quoniam prata vniuersa sterilia sunt; vt quæ solis petulantiæ floribus referta, nullo pabulo. Vnde & pascentes ibi, *Egestate & fame steriles, qui rodebant in solitudine; squallentes calamitate & miseria.* Iob. 30. 3. Amplius adhuc. Vbicumque pascuntur oues herbam dente priuant luxuria: verba sunt Plinij: pratumque proinde sterile reddunt; & ideo iugiter pascentes serpunt, nouam herbam auidè quærentes. Non secus luxuriæ dediti homines, ideo nunquam vno satiantur libidinis prato, ne multis quidem, quod cum libidinis ardeant igne, ipsammet, quam tangunt libidine terram, ipso ardore libidinis arefaciunt. Quam cum vix tangentes, arentem sentiunt; pergunt languidi vlterius, nouam quærentes herbam, noua prata.

Plin. li. 18. cap. 17. vbi nomine pecoris intelligit oues: vt est in indice verbo oues.

Simile. Lasciui homines facile inueniuntur à Diabolo deuorandi.

Sed quomodo possunt floribus satiari; siue ad libidinis saturitatem; siue ad imponendas sibi Regias capiti coronas? stupenda res: nec morte quiescit appetitus, sed manet quodammodo per exaggerationem, post interitum. *Mortuus est Asa: posueruntque eum super lectum suum plenum aro-* 2. Par. 16. 13.

matibus,& vnguentis meretricijs:& combusserunt super eum ambitione nimia. Quod non propter Regis huius aut petulantiam dixerim, aut superbiam; cum neutram eius vllibi legerim: sed ideo dicendum duxi, quod liqueat hinc hominum affectus: cum illi, qui Regem sic vnxerunt, adeo ardentem in se affectum libidinis, ambitionisque senserint affectum, vt & in mortuis hunc permanere putarint. Tunc præterea, vt huiusmodi odorifera vnguenta in scripturis appellari meretricia, demonstrem; sociáque ambitionis & superbiæ, iuxta verba hæc; *Vnguentis meretricijs ambitione magna*: pompa nempe,& apparatu.

Prædicator debet audientium corda pungere spinis timoris nouissimorum, stimulorumque conscientia.

Quid facimus nos prædicatores, cum adstantes floribus adspergimus; seu flores adstantibus spargimus. Satis florum ipsi aliunde quærunt: odore florum celeres currunt: flores potius amouendi sunt, & pungentibus vtendum spinis. Certe nihil est, quod hominum animos à delitiarum floribus auertat magis, quàm prudens hæc consideratio, quod floribus citissime arentibus, pungentes diu permansuræ sint spinæ: siue pungentes corpus relicta à floribus ægritudine: siue animum magis discerpentes, ob arentium iam florum amissionem, instantemque sterilitatem: siue (& vtinam hoc) terebrantes cor pœnitentiæ compunctione. Cuncta etenim hæc reliqua esse sibi ex vitiorum floribus dixit amarus Rex versu illo: *Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* Id est: volutatus sum miserijs, dum relicta à vitiorum floribus spina ariditatis mihi infixa est. Fauet sensui isti Hiero. legens: *Versatus sum in ærumna mea, cum exarserit æstas.* In Hebræo est; *Versus est vigor meus in siccitatem æstatis.* Estque lectio Vatabli, atque Pagnini. Itaque viroris flores aruerunt, manentibus in carne & animo spinis, quæ in æstate ex floribus manet. Eadem est Chaldaica versio: quam sequuntur Montanus, Campensis, & alij. Longum de hoc B. Basilius sermonem texit: quo miseram hanc mutationem florum in vepres eleganter describit. Sed iuxta vulgatam editionem acceptus pluribus Patrum intellectus est hic: in ærumna mea, quum floribus me video destitutum, calamitatibus circundatum, afflictionibus obrutum, conuersus sum ad Deum Pœnitentia, dum compunctionis, doloriſque

Pœnitentia stimulis agere debet prædicator.

Psal. 31. 4.

Hier. ibi. Hebræa. Vatablus.

Pagninus. Kaldæus. Montanus. Campēsis. Basil. in 1. cap. Isa.

Gregor. in lib. 1 Regū cap. 6. lib. 3.

ſpina cordi meo traiecta eſt, quod annos meos vanis vanitatis tranſegerim floribus, cum in Dei obſequium inſumere debuerim. In hunc conſpirant Remi. Greg. Aug. Bern. Fauent Septuaginta; qui vt intelligit Agellius, pro ſpina legunt, darbone: quod eſt ſtimulus bonus. Nec minus Hebraicum nomen, *Ieſchad*, quod ſignificat Deum: vt ſit ſenſus; *Conuerſus ſum ad Deum, dum configitur ſpina conſcientiæ.* Cum ergo infixa ſpina, tot peccator modis, totque incitamentis conuertatur: neſcio equidem, qua ratione poſſint Prædicatores floribus potius vti, quàm ſpinis: quin ipſorum cordibus maneat ſpina infixa, ab eis, quos è ſuggeſto ſpargunt floribus relicta. Sunt nonnulla tumorum genera ex quibus eſt tuberculum, Hiſpane; *Iouanillo*, quæ infixis citreis curantur ſpinis, dummodo viuam carnem non pungant. Citreæ enim ſpinę carnem exulcerant, contabefaciuntque, vt putreſcat. Ideo infixæ tumoribus, ſunt vtiles, cum hi tabeſcentes euaneſcant: carni viuæ ſunt morti exulceratione, atque putredine. Infigendæ ergo ſunt peccatoribus ſpinæ. Quibus ſuperbiæ tumores reſoluantur; vt vere reſoluuntur, cum ob oculos proponitur ſuperbis ea, quæ homines expectat ſpina atque corruptio: viua etiam caro infixis pœnitentiæ, flagellique ſpinis, ac cilicij, minus viua reddatur ad voluptatum appetentias. Sic ſanantur ægroti, manentque Deo roſæ ad coronam.

Aug. de vtilipœnitentię. Bern ſerm. 36. & 48. in cantico. Septuaginta. Agellius. Hebręa.

Darbone. Ieſchad.

Spinis citreis ſanantur tumores infixis.

Nihilominus perpendenda eſt eorum, quos Prædicator ſpargit florum diuerſitas. Alij enim ſunt ingenij flores, quos ad acuminis ſui oſtentationem ſpargit concionator, & hi ſunt, quos nunc vituperamus. Alij ſunt flores animarum ſanctarum, præſertim puriſſimæ Deiparæ: & hi tantum abſunt à ſuperfluitate concionum, vt potius ſit arida, diminutaque concio eis deſtituta, cum eorum Sanctorum feſta celebrantur, Deiparæ præſertim. Ipſamet floridiſteſtatur verbis iſtis: *Flores mei fructus honoris, & honeſtatis.* Duo habent grandia virginis flores; tum, vt fructus ſint flores ipſi; tum, vt honeſtatis ſint flores & honoris. Ideo vtrinque ſunt acceptiſſimi concionibus. Si enim ob id vituperantur conciones, quod ad fructum referendum non tendant, fructus ſunt flores iſti. Si ſunt

Florum ingenij prædicatoris, & florum virtutum ſanctorum, de quibus prædicant diuerſitas. Prædicator quibus vti floribus debeat. Maria flores nutrimento ſunt ſolido.

Eccl. 24. 23.

item indignæ honore conciones, quod, cum sint floridæ, sunt leues: flores hi honoris sunt & honestatis. Quod vt profundius expendatur,

Prædicationis fructus duplex genere gloriæ Dei, & hominum cõpositio.

Considerandum est, Prædicationis fructus esse duos: gloriam Dei primum; compositionem secundum animarum. Ex his potissimus ille primus est excessu tanto, vt & fructus secundus redigatur ad illum: cum vltimus iustificationis hominum finis Deus ipse sit, propter cuius gloriam Deus ipse facit homines sanctos. Vnde prædicatio illa, quæ Deum alte agnosci facit, eiusque mirabiles excellentias expendit; non potest vana dici ac sine fructu, etiam si ea, quæ ad actus pertinent humanos, directis verbis non proponat. Ipsa enim Dei gloria præcipuus prædicationis est fructus. Quod floridè explicat Deus ipse relatis his verbis; *Flores mei fructus honoris.* Sunt quippe Dei ipsius verba ista. Quapropter, vbi cunctis fere concionibus ad componendos hominum mores tendit prædicatio: non est æstimanda fructu destituta, si quando occasione speciali in huiusmodi floribus versetur; qualis est Deiparæ conceptio, qualis & natiuitas, cùm nullus tunc Mariæ actus prodierit imitandus. Tametsi ego adhuc in huiusmodi sermonibus nunquam non specularer rimulam aliquam, qua ad morale aliquid diggrederer; cum congruum non sit, alterũ tantum Prædicationis quærere fructũ, cum vtrũq; possim. At vbi bona cõcionis pars mores tangit humanos: vberrimus profecto fructus est suauissima diuinorũ Marię florũ sparsio, atque diffusio. Credo equidẽ, ex maximis, quę Deo offeruntur, obsequijs maius nullũ. Maius post ipsius Dei laudes nullũ, quã parentis eius laudationẽ: cũ in magnalijs multis, quæ Deꝰ posuit in ea, creatoris gloria eximiè resplẽdeat. Totis medullis cordiũ, totis pręcordiorũ affectibꝰ Mariã veneremur: quia hęc est volũtas eius, qui totũ nos habere voluit per Mariam ait S. Bernar. Quid mirũ, si nos Mariæ filij in amœnissimo hoc horto concluso summa voluptate spatiemur latius, quã Esdras in florido cãpo, quũ ciuitas Dei gloriosè cœpit constrúi: cũ sponsus eius, Deus, dicat ei; *Hortus conclusus, soror mea sponsa; hortus cõclusus.* Quare cõclusũ dicit? Dicit, quasi dicat: cõclusus es mihi hortus; quoniã ex te egredi nõ possũ, florũ tuorũ captus suauitate,

Maria laudes audiens Deus summe delectatur.

Bernardus sermo. 2. de aduentu, de verbis Isaiæ, pete tibi.

Cant 4 12.

Fuit igitur infans hæc quoad Virgineum corpus perfecta adeò complexione, vt præter B. Brigittæ reuelationem, dicant ex Sanctis multi, nullo vnquam eam morbo laborasse. Quod commendans epistola Sophronij, actionibus 6. Synodi generalis inserta est. Lib. 1. reuelat. S. Brigittæ. ca. 50. & 51. Sophron. epistola Synodica. Habetur in 6. Synodo gener.

Vnde admirabilis prodijt pulchritudo, corporisque elegantia, atque maiestas. Certa historia est, à Nicephoro scripta; non solum digna coniectura. Nazian. item: *O Domina; quæ nitore formæ cæteras præis!* Similiter Andræas Ierosolymitanus; *Eximia pulchritudo à Deo sculpta.* Et (quod maius est) pulchritudo hæc non solum incitabat ad libidinem neminem: sed etiam quoscunque eam aspicientes ab indecoris cogitationibus abstrahens, ad honestatem alliciebat. Quod non solus Richardus Victorinus, non solus Thomas, nec Bonau. solus affirmauit: sed Ambros. etiam verbis istis: *Tanta erat eius gratia, vt non solum Virginitatem seruaret; sed etiam, si quos inuiseret, integritatis eis insigne conferret.* Non secus, ac ignis, qui, cum vbicumque sit, flammis vrat circunstantes: in sola positus aqua vitæ, nemini quidem noxius est. Nicephor. lib. 2. hist. Nazian. in Christo patien. ante medium. Andreas Ierosolym. sermone de Assumpt. Richard. Vict. in cãtic. cap. 26. S. Tho 3. dã. 3. q. 1. art. 2. quæstiun. cul. 1. Bonau. 3. dist 3 1 p a. 2. quæst. 3. Ambros. li. de institutione Virg. cap 7. Bern. Sene. serm 50. de Virgine. c. 2. art. 1. Caie 3 p. q. 27. art. 3. Viguer. in institut. c. 3. & 3.

Aqua vitæ aqua ardente.

Quoad mentem attinet, non solum fuit profundissimo intellectu, integráque prudentia post ortum; sed in materno etiam vtero vsum habuit rationis, perfectamque conditoris sui notitiam. Educunt hoc à firmis valdè fundamentis Bernardi, Senen. Caieta. Viguer. & alij.

Super omnia B. animæ eius fulgorem & gratiam, qua Deo acceptissima fuit, & placidissima, ante natiuitatem, ac in natiuitate eius ingentem fuisse, constans est Catholicorum absque controuersia consensio. Addo (quod auditoribus iucundum est) solius infantis nostræ gratiam cunctis gradibus gratiæ Sanctorum omnium, omniumque Angelorum in vnum collectis esse vberiorem. Quod, cum S. Hier. Damasc. Bernar. Ephren. Iustinian. Ildefon. Cretens. Ansel. Petrus Damian. & Chrysologus Petrus Bonau. & Augu. prægnantibus quibusdam sententijs innuissent; Doctor magnus Suarez glorioßissimo partu in lucem edidit verbis perspicuis, perspicua magis probatione. Suar. 3 p. tom. 2. disput. 18. sectione 2. citans relatos Patres.

Cumque virtutes omnes, quæ dicuntur per se infusæ, gratiæ connexæ sint, iuxta ipsius gratiæ intentionem: nata

Athan. ser. de sancta Deipa. Bern serm. de Assumption.

est infans hæc huiusmodi habitibus ornata summè resplendentibus; vt docuit post Athan. Bernar. imo & habitibus virtutum, quæ infunduntur per accidens; vt concordes Theologi conscribunt. Quam candidus habitus gratiæ! Quam nitidus habitus virtutum! Sol ipse habitus est, quo amicta nascitur Maria. Signum magnum apparuit

Apoc. 12.1. in cœlo: mulier amicta Sole. Apparuit, dicit, cum ex vtero nascitur, Solem habitum, affert. Quid timemus, si infans hæc manibus est hodie intra amictum inclusus; cum amictus sit Sol; qui non arctat eas, ne larga nobis impendat officia? Quid non valdè proficuum expectamus à flore, qui cum ortus tempore, quo nascens erumpit, napha sit mali medici nimirum flos, confectus sacaro; fructus est & suauis & salubris? Dulcedine hac ori vestro adhibita discedo; *Quiero de Iaros con esta miel en la voca*; qua suam nobis Deus gratiam & gloriam largietur.

Napha es el azahar.

IN EADEM B. MARIÆ NATIVITATE.

SERMO II.

Liber generationis Iesu Christi. Matt. 1. 1.

Napha et el azahar.

Maria filia vnica Dei nata est.

PEtendi largissimas à Deo strenas aduenit nobis dies: in quo filiae nata est vnica. Nulla quippe ex mulieribus filia Dei nata est, quāuis post ortū multæ ex adoptione sint filiæ: quoniam *Eramus natura filij iræ*, non gratiæ. Eua filia fuit ab ortu suo: at non patri nata, sed ex viri costa Dei manibus elicita. Quod si quis ex viris filius natus est, nempe Ieremias & Præcursor: fœmina tamen nulla ante Mariam, nec post illam; imo nec filij isti tantæ Patri Deo fuerunt alacritati, quantæ nata hodie filia; nec hominibus tantæ. Nam in Ioannis ortu, *Audierunt vicini & cognati Elisabeth, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei*: in ortu Mariæ exultans concinit Ecclesia tota: *Natiuitas tua, Dei genitrix Virgo, gaudium annuntiauit vniuerso mundo.* Est tamen aduersus gaudio huic communis ille hominum affectus, quo in fœminarum natiuitate languida est parentum lætitia. Adeò vt pro quibusuis alioqui expectatis euentibus soliti simus interrogare; estne filius, an filia? quod est, dicere; est ne fœlix euentus, aut tristis? Verum discriminis huius quænam est causa? Causæ quidem sunt tres; & magni omnes momenti. Prima magnus parentum labor in dote filiabus Ephes. 2. 3. Gen. 2. 22. Luc. 1. 57.

præparanda. Secunda, solicitudo intolerabilis in adhibenda filiarum custodia, quas oculis quatuor debent obseruare: quamuis ad adijciendos sibi supra duos proprios, oculos duos, duos à filiabus ipsis oculos eruant; vt tanto plus ipsi, quanto illæ minus spectent, ac videant. Tertia, defectus incrementi, amplificationisque prosapiæ: quam conseruant filij, sæpe etiam augent & illustrant filiæ non adeò splendidæ & glorioſæ. Vera sunt hæc: sed quæ in B. Deipara aliter prorsus, imo oppositò modo processerunt. Nam quod ad dotem attinet, non solam dotem, sed dotes habuit multas, sapientiæ, virtutum, & gratiæ. Quin etiam dona multa, quæ Hispani dicimus *las donas*: sancti nimirum Spiritus dona septem super millia millium. Cura item filiæ custodiendæ nulla necesse fuit: cum virgo hæc nullo fuerit periculo subiecta, eo quod peccati fomes in ea fuerit extinctus; quod est, nullum in ea fomitem fuisse: vel saltem, cum minimum ei concedamus inter eos, qui minimum circa hoc concedunt, ei ligatus fuit fomes, vt dixit Angelicus Doctor: extinctum autem vel ligatum, Athanasius & Cyprianus affirmarunt. Tandem quantum ad generis propagationem, tantum abest, vt filia hæc prosapiam minus illustrarit, quàm filij, vt omnes potius filios quoad hanc nobilitatem absque limite excesserit. Genus namque parentum immensa amplificauit dignitate: cum nepotem eis peperit Deum: totumque consequenter hominum genus, quod secundum carnem Deo fecit cognatum, *Quum verbum caro factum est*. Plus adhuc fecit filia hæc benedicta: mariti prosapiam ad altissimam eleuauit claritatem. Inexplicabilis ferè solet esse textus nostri difficultas, quod cum Christi generationem proponat Matthæus enarrandam; non quidem ad Christum, nec ad eius parentem, sed ad Ioseph ducat genealogiam, dicens: *Iacob genuit Ioseph virum Mariæ*; non dicens, à quo sit genita Maria. Illum tamen ego (vt alias expositiones concionibus alijs applicemus) censeo Dei finem, exaltationem generis Iosephi per coniugem. Nam cum inter humanas cognationes sint familiæ aliquæ illustres adeo, vt omnes illius prosapiæ coniuges suos nobiles faciant, sitque à tributo immunis, quicunque alicui eorum matrimonio coniungitur:

Maria extinctus peccati fomes.

Fomes peccati nullus in Deipara.

S. Tho 3. p. q 27. art. 3. Athan ser. de Deipara. Cypr. de Cardinalibus Christi operibus.

Maria eximie amplificauit genus suum, seu prosapiam.

Ioan. 1. 14.

Genealogia Christi cur ad Ioseph ducta.

Ioseph nobilissimus factus propter Sponsam.

Matt. 1. 16.

Maria prosapiam coniugis eximiè nobilitauit.

iungitur: voluit Deus, vt, cum dixisset textus, *Iacob genuit Ioseph*, esset que consequenter dicendum, Ioseph genuit talem aut talem filium; omitteretur filius ille, cùm nullum habuerit Ioseph, & eius loco vxor poneretur verbis illis: *Iacob genuit Ioseph virum Mariæ*; quasi diceret: *Iacob genuit Ioseph, Ioseph autem duxit Mariam vxorem.* Quoniam profectò ducta vxore hac, nobilis magis factus est Ioseph, eiusq; facta nobilis prosapia, quàm sua erat conditione. Vt impleretur dictum Salomonis de muliere illa, de qua dixit, *Mulierem fortem quis inueniet?* Cuius tanta nobilitas est, vt nobilem faciat & maritum: *Nobilis in portis vir eius.* Et (quod magis admirandum) Dei etiam, patris sui, sobolem ampliauit Maria, & quodãmodo clarificauit. Cum enim Deus nullam ex Filio suo possit habere posteritatem, eo quod genitus Dei Filius filium alium generare non possit, vt qui totam Dei gignendi replet sua infinitate facultatem; dedit ei non vxorem, sed matrẽ; vt is, qui naturales filios habere nequit, habeat matrem naturalem. Indéque diuinitus fiat, vt filios quoque habeat innumeros, plusquam naturales; qui supernaturali generatione sunt geniti; *Vt diuinæ simus consortes naturæ.* Propterea matrem sumpsit Mariam, vt ait Paulus. *Misit Deus Filium, suum factum ex muliere: vt adoptionem filiorum reciperemus.* Vnde & Dei generationem clarificauit Maria, quatenus edens Dei Filium mundo, fecit, eum & patrem à mundo cognosci. Cum ergo talis Deo filia hodie nata sit; nonne videtur vobis adeò lætus & alacer Deus, vt petitas quasuis concedat strenas? Petat igitur vnusquisque, quod cupit. Omnes dicetis, gloriam esse petendam, quod summum est bonum. Bene: sed id in fine concionis: initio gratia petenda est, ad sermonem in Dei gloriam cum audientium salute instituendum: quam auxilij gratiam per filiam hodie natam postulabimus.

Maria ampliauit & clarificauit Dei generationem & sobolem.

Prou 31.10.
Prou. 31.23.

2. Petr. 1.4.
Galat 4.4.

AVE MARIA.

Maria laudes cur non longa historia commendent sacræ litteræ.

NOn possum, non suaui delectatione mirari mirabile scribẽdi genus, quo sanctus vtitur Spiritus profundissimis grauidum mysterijs. Quid est, quod loquens de viris, fœminisque gloriosis longam de eorum frugalitate ac excellentia scribat historiam, virtutes sigillatim enume-

rans, cæteráſque res geſtas: dum autem de primis hominum parentibus verba facit, nullam eorum aut excellentiam narret, aut virtútem? Mirabilem de virtutibus, actis, exaltatione, pietate Moſis catalogum ſcripſit. Completam de Ioſiæ vita & actis narrationem; de ortu eius: imo de facta multo ante ortus enuntiatione, de pietate, de multa erga Domini cultum ſollicitudine, de reformatione populi & regni: de generali idololatriæ ab vrbe & luco extirpatione: de ſummo ſeruandæ religionis ſtudio, legiſque Dominicæ adimplendæ. De exemplari vtriuſque Tobiæ probitate integrum capitibus duodecim ſcribit librum; firmiſſimam in obſeruandis Domini vijs adhuc in medio infidelium, conſtantiam nec minus firmam in cœcitate, in pauperie, in perſecutionibus, in improperijs, in calumnijs. Curam educandorum in Dei timore, caſtitate, modeſtia, filiorum. Largas & iuges eleemoſynas: indeficientem in humandis pauperibus laborem, aliáque id genus inſignia opera virtutum. Librum vberiorem de virtutibus Iob. Quid Matthatias? Ardentiſſimum huius pro Dei lege zelum late ponderat; oblatámque pro continendis à lapſu conciuibus vitam, cum tyrannorum vrgerentur tormentis. Quorum ſimilibus ſcriptis exaggerat encomia Abel, Enos, Henoch, Noë, Iacob, Phinees, Ioſue, Caleb, Eliæ, Eliſæi, Samuelis, Ezechiæ, Ioſaphat, Ieremiæ, & Eleazari: quos omnes præter proprias hiſtorias, ore Eccleſiaſtici rurſus mirificè commendat, S. S. Sed non omittã Præcurſorem Baptiſtam; cuius non ſolam miraculo factam conceptionem; non ſolam lætam cunctis natiuitatem; non ſolam præſcriptam à Deo nominis impoſitionem: ſed & prophetatam natiuitatem & vitam. Et (quod glorioſius eſt) ipſe ore proprio Dei Filius ſumma ponderatione, encomijſque diſtinctis virtutes eius, quæ ſcriberentur, expreſſit. *Quid exiſtis* (ait) *in deſertum videre? Arundinem vẽto agitatam? Sed quid exiſtis videre? Hominem mollibus veſtitũ? Sed quid exiſtis videre? Prophetã? Etiam dico vobis, & pluſquam Prophetam. Hic eſt enim, de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam tuam ante te. Amen dico vobis, non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſta.* Primi autem parentis nec opus vllum, nec virtutẽ, nec ſcientiã, artemve,

Tobiæ 1. vſque ad 14.

Iob 1. 1.
1. Machab. 2. 24. 41. 49 64.
Gen. 4. 4.
Gen. 5. 12.
Gen. 6. 8.
Gen 26. 24
Gen. 28. 11
Num 25. 7
Ioſue 10. 14
Num 14. 6
3 Reg. 17. 1. 18. 1.
4 Reg 1. 1. 2. 11. 12. 13. 21.
3 Reg 19. 9
4 Reg 2. 14
20 4 31. 5.
14 6. 18 7. 1. 13 14 20. 21
Eccl. 48. 13.
1. Reg. 3 4. 20. 7. 5. 9 8. 1. 12. 3.
4. Reg. 16. 20. 18 4 7. 19 2. 20. 1.
3. Reg. 12. 45.
1. Par. 17 7.
Ierem. 1. 1.

nec facultatem, aliudve quippiam magnum aut egregium in historia creationis, vitæque eius tangit, aut commemorat. Certum est autem, eas, quibus Dei manu formatus est, prærogatiuas fuisse non vulgares: imo fortè eminẽtissimas omnium, exceptâ Deiparâ, quibus posteri eius quouis genere & gradu floruerũt: cum hominem illum, qui cæterorum radix formabatur, & caput quiq; Dei manu formabatur, omni absolutum perfectione esse decuerit. Adeò vt legentes illa Dei ad Salomonem verba, *Dedi tibi cor sapiens & intelligens in tantum, vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit*, hæreant Doctores, dubitantes, an verbis his includatur Adamus; vt qui, cùm omnium caput sit, non videatur mutua hominum collatione comprehendi. Atque ita scientia Salomonis pleniorem Adæ scientiam senserunt Pererius, Valentia, atque Pineda, cum Viualdo. Cæteras enim virtutes eminentissimo Adamum gradu habuisse, concordes affirmant omnes Patres, Ambros. Dionys. B. Thom. Bonau. Hugo Victorinus, Scotus cum omnibus Theologis. Adeò vt & illud, quod nemo alius, habuerit donum, originalem cum gratia Dei iustitiam: vt cum Doctoribus his omnes, dempto nemine, & ante eos Origen. Basil. & Nyssenus senserunt. Quod eousque processit, vt dixerit Aug. primum hominem in Paradiso fuisse beatum: quia nec mors metuebatur, *Nec vlla corporis mala valetudo: nec aberat quippiam, quod bona voluntas adipisceretur: nec erat, quod carnem, animumve hominis fœliciter viuentis offenderet.* Et rursus fuit beatus, ait, *modo quodam inferiori quàm in illa vita Sanctorum, supercæleſtiumque Angelorum*: Et tamen nil horum narrant litteræ sacræ, cum aliorum hominum virtutes & facta ex professo dicant, & expendant.

Adami & Hevæ excellentia perfectissima.

Pari ratione insignium virtutes fœminarum commendare Scripturæ non omittunt. Saræ narrant studiũ educandi filium in Dei cultu, euertendique eum à suspecta puerorum societate. Imo & externam eius speciositatem describũt. Alterius item Saræ, vxoris Tobiæ, laudat humilem in falsis calumnijs, indigniſque pro honestate contumelijs tolerantiã, feruentem orationem, profundissimæ sapientiæ in tribulatione sententias: seruatam, post coniugia septem, virginitatem, firmissimam in Deũ in medio fluctuum

2 Macha. 6 18 24. Eccl 44 1 vsque ad cap 50. Luc 1.7.57. Malac 3.1. Matt 9.7 3 Reg.3.12.

Pererius in Genes. li.5. q 3. Valentia tom 1.disp. 7 pun. 1. §. Alterum. Pineda, de rebus Salomonis, li.3. c. 10 §.12. in fine. Viualdus in opere regali. Ambros.li. de paradiso cap 13. Dion. de diuin nom. cap.4. S.Tho.1.p. q. 95. per totam. Bonau. 2. dist.29. art. 2.q.2. Scotus dist. 29.quæstio vnica. Hugo Vict. li. 1. de Sacram. p.6. Orig lib.3. periar c.6. Basil.hom. 10. hexameron. Nyss. Oration. in id. Faciamus hominem. Gen.1. Aug. lib.4. de ciuitat.

Dei c 10.& li. 11. super Gen ad litteram c.18.

ac tribulationum confidentiã, assiduam in custodienda domo vigiliam, & curam. Anna Samuelis mater scribitur patiens in æmula humiliter sufferenda, cum multis ab ea imbueretur opprobrijs: ad Deum semper in tribulationibus recurrens: profunda in cõtemplatione, & in spiritu: Sedula impijs oblationibus, votisque fideliter reddendis: fidelis in amouendo ab vberibus suis vix ablactatum vnicũ, quem summè desiderauerat filium, vt offerret Deo templi ministrum ab infantia. Ester describitur supra modũ formosa; vigilijs, ieiunijs, cæterisque corporis afflictionibus dedita; orationi frequenter incumbens: humilitati adeò profunde affecta, vt ad Regni gloriã ex paupere euecta, omnis arrogantiæ, elationis, superbiæ, inanisq; gloriæ fuerit detestatrix. Tandem Machab. textus nullũ laudis genus reliquit, ad sublimandã fœminæ illius probitatem, quæ septẽ filios truculentissimis videns propter Deum discerpi tormentis, hilaris pro Dei gloriã, ad martyrium eos confortabat. *Supra modum autem mater mirabilis, & bonorum memoria digna: quæ pereuntes septem filios sub vnius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat propter spem, quam in Deum habebat, singulos eorum hortabatur, fortiter repleta sapientia; & fœmineæ cogitationi masculinum animum inserens, dixit ad eos: Nescio, qualiter in vtero meo apparuistis: neque enim ego spiritum & animam donaui vobis & vitam; & singulorum membra non ego ipsa compegi; sed enim mundi creator, qui Spiritum vobis iterum cum misericordia reddet & vitam, sicut nunc vos ipsos despicitis propter leges eius.*

Gen 21.9. Gen.12.12 Tob.3. 7.8. 6. 1.Reg.1. 6. 10.24.2.1. Ester.1.15. 4.16.14.1.

2.Mac.7. 20.

Quæ verba longissima oratione irridẽs tyrannũ prosequuta est pia mater & fidelis. Propter quod. *Nouissime post filios omnes, & mater cõsumpta est.* Cum ergo excellentiũ encomia fœminarũ adeò luculenter Scripturæ describãt: non potest quidem vacare mysterio, quod nullã de Heuæ perfectionibus mentionem faciãt magis, quàm si obscurissima fuisset paupercula. Nam præstantiam eius qualitatibus multis fuisse mirabilem eisdem constat fundamentis, quibus viri sui prærogatiuas multos prædicant Doctores. Saltem pulchritudine cõsummata fuit, vt quæ Dei manibus formata; id nemo reuocat in dubiũ. Nec dici potest, quod pulchritudinem Scripturæ non computent; cum narrent & exaggerent speciem vtriusque Saræ, Abigail, Ester, Iudith, & aliarum.

Maria perfectiones describuntur obiter in textu, variis occasionibus.

Eandem pro infantis nostræ perfectionibus moueo quęstionem. Cur nimirum, cum Sanctorum virorum egregiarumque mulierum adeo explicite encomia referantur in textu: huius tamen Deiparæ magnalia nullo ex professo describantur volumine, sed obiter aliqua, speciali occasione occurrente: cuiusmodi est cum partu virginitas, occasione turbationis sponsi Iosephi. Videntis intactam à se sponsam prægnantem: profundissima humilitas, occasione salutationis Angelicæ: & humilitas eadem simul cum iucundissima verborum suauitate, occasione visitationis, qua Elisabetham salutauit: qua etiam occasione insinuatur & Charitas, fides, mansuetudo, contemplatio: nec non pietas eius occasione defectus vini in nuptijs, quo pater familias & matrona confusione magna erubescentes affligerentur, nisi Mariæ ope suppeteret vinum: Custodia legis, cultus & religionis, occasione seruandi præcepti Purificationis enixarum: qua etiam occasione manifestatur animus offerendi se, suaque omnia creatori: Constantia magnanima occasione narrationis verborum pendentis in cruce Saluatoris: cuius cum verbum illud, *Mulier, ecce filius tuus*, narrandum esset; præmittere oportuit, *Stabat autẽ iuxta crucem Iesu mater eius*: Magisterium denique, quo fidelis post Ascensionem instruebat, occasione narrandæ Discipulorum congregationis, Spiritum sanctum expectãtium. Quid dicemus ad hæc? Quam inueniemus solutionem? Dicetis, mihi hanc incumbere, non vobis. Fateor: sed quod vos de proposita Adami & Heuæ difficultate dixeritis, id ipsum ego circa propositam hanc pro Marię excellentijs quæstionem, respondebo. Audio iam vos dicentes; pater, quid necesse erat primorum parentum perfectiones sigillatim describere, vbi scriptum est, *Creauit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creauit illum*: Masculum & fœminam creauit eos. Cum enim ad Dei imaginem creati sint, multo quidem expressius, multóque plenius describuntur eorum perfectiones, dum ad Dei imaginem creati perhibentur, quàm si omnes illæ nominibus proprijs sigillatim essent numeratæ. Idque insinuat repetitio illa: *Creauit Deus hominem* ad imaginem suam: *ad imaginem Deus creauit illum*. Vt quid tam continua repetitio, absque verbis

Ioan. 19. 26.

Act. 1. 14.

Gen. 1 27.

alijs interpositis? Nec enim otiosa est; cum Scripturarum verba præcisa sint semper? Vtique idem est, ac si diceretur: *Creauit Deus hominem ad imaginem suam.* Quod si quæratis, quibus sit ornatus excellentijs: iterum dico: *ad imaginem Dei creauit illum.* Quoniam verbo vnico plura quidem dico, quàm si longam texerem Historiam. Qua etiam ratione ne illo quidem verbo vsus est autor, quo in cunctis alioqui rerum formationibus: nempe, *Vidit Deus, quod esset bonum*, quod de nullius rei creatione dicere omisit. Ex quo enim dictum est, *Creauit Deus hominem ad imaginem suam*; ibi dictum mansit, non solum bonum, sed omni etiam perfectione esse consummatum. Idem ego vobis pro B. Virgine respondeo. Cum enim de hac scribat Chronographus, *Mariæ, de qua natus est Iesus*; non potuit sane adeo plenam perfectionem eius narrationem adijcere, quin multo pauciora, multóque minora viderentur, quam quæ narrat, dum ait; *De qua natus est Iesus.* Sub hac quippe matris dignitate omni quæcumque perfectissima sunt, absque exceptione vlla comprehendi, compertum est. Idque tanto vberiori amplitudine, quanto dignitas matris Dei altior est, quam dignitas imaginis Domini ipsius. Quod si imaginis dignitati apprime attendendum sit; constat clarius inde Mariæ supra Heuã celsitudo. Fieri enim ad imag. Dei, vno è duobus accipitur modis: tũ, tanquã effectus, tum tanquã principium & origo. Depictum enim. S. Ioan simulacrum, factum est ad imaginem Ioannis, id est, in id, vt sit. S. Ioannis imago. Quod imaginis genus effectus est: cum huiusmodi imago tanquam à causa exemplari exprimatur à Ioanne aliter fit homo statuarius ad imaginem Ioannis: nempe statuarius fit, ad hoc, vt Ioannis imaginem efficiat, vt, si dicat Fidias: volo, sculptorem facere Petrum, ad imaginem Ioannis, id est, vt Ioannis sculpat imaginem, vt in genere hoc, is, qui fit ad imaginem alterius, fit non vt effectus exemplaris, sed vt causa efficiens imaginis eius: quatenus Petrus efficitur sculptor, vt imaginem efficiat Ioannis. Igitur homo primus ad imaginem Dei factus est primo illo modo; id est, vt Dei esset imago, eductus ab eo tanquam ab exemplari hominis causa: & similiter fœmina illa prima Heua. At Virgo Deipara ad imaginem Dei facta

Gen. 1 4. 10. 12. 18. 21. 25.

Matth. 1. 16.

Adam imago Dei in genere causæ exemplaris.

Maria creata ad imaginem Dei duobus modis: tum in genere causæ exemplaris, sicut Heua: tum in genere causæ efficientis, sicut nullus alius.

est, non solum modo illo, sicut Heua, reliquæque mulieres ac viri: sed alio etiam modo, quo dixi, hominem fieri sculptorem ad educendam ab aliquo imaginem sculptura. Nam Virgo diuina in id est creata atque directa, vt Dei ipsius imaginem ederet mundo, Verbum videlicet diuinum Virgineo ex vtero producens ipsam Dei imaginem, Dei Filium. Itaque dixit Deus; Faciamus Mariam ad imaginem nostram: id est, ad edendam imaginem nostram. Ex quo liquet, quanto altiori opere & sculptura, Mariam, quam Heuam formauerit creator. Quamuis enim primam fœminam illam, quam creauit in id, vt esset imago Dei ipsius, non omnino conformem sibi fecisset, non ideo aliqua in Deum ipsum nota, aut imperfectio redundaret; cum imaginis defectus minime sit defectus prototypi. At cum Virgo Deipara eo fine à Deo facta sit, vt Dei ipsius ederet imaginem: minime quidem potest intelligi, quo modo, cum imago ipsa summa perfectio sit, non sit summe perfecta mater ista, quæ ad talem Dei imaginem facta est. Quod si dicere, ad imaginem Dei factus est homo, nempe Adamus & Heua, est plane dicere, nihil penitus vltra esse dicẽdum, vt agnoscantur perfectissimi: quidnam dicendum restat, postquam dicit Chronologus, *Mariæ, de qua natus est Iesus*, vt omnes aduſque perfectiones, & eas quidem supremo gradu, in Mariam hanc glorioſe confluxisse intelligamus? Meritò Ansel. *De Virgine dicere, quod mater Dei est, superat omne, quod sub Deo dici potest.* Quorum ergo adijciat textus: *Mariæ, de qua natus est Iesus;* & vidit Deus quod esset bona?

Ansel. opusc. de forma, & morib. B. Mariæ, & de excellẽtia Virg.

Expedit hîc animaduertere illam rerum narrationem, quæ Verbo fit vnico, altiorem esse, ac pleniorem, quam, quæ plurimis exprimitur. Nam dum sigillatim referuntur, non tam integra fit, tamque exacta numeratio, quin aliud quidquam vel numerandum maneat, vel saltem minus impense commendatum, ita vt de tali re, eiusue perfectione dubium semper relinquatur. At dum talis res omnibus absoluta numeris vnico Verbo commendatur, tunc quidem vndecumque perfecta ab auditoribus concipitur.

Profundius adhuc constabit res, si ad originalem nume-

Adam imago Dei in genere causæ exemplaris.

Maria creata ad imaginem Dei duobus modis: tum in genere causæ exemplaris, sicut Heua: tum in genere causæ efficientis, sicut nullius alius.

rorum rationem reducatur. Vnus quippe numerus, cum supremus sit, latiorem multitudinem dicit, quam multi simul numeri; imo eos omnes comprehendit. Cum enim dicis, 987654. minus numeras, quàm dicens millia millium. Nam mille milla omnes numeros illos, 987654. cõprehendit, & insuper 12346. Quanti stetit Delphicum Apollinis templum? 987654. talentorum, quanti tẽplum Salomonis? mille millium talentorum. Maior summa hæc: sed verbo expressa breuiori. Vos fratres mei, *Estis Templum Dei viui*, dicit Paulus: videamus ergo Templum ex his aliquod quãtæ sit æstimationis. Quot numeris refert Susannæ æstimationem S. Spiritus? quinque numeris exprimit. Pulchra valde fuit hæc: fuit timens Deum: fuit Dei amatrix adeo, vt posita inter mortem & peccatum, elegerit potius infami lapidari nece, quàm Deo displicere. Fuit fide tanta, adeo intrepida spe, vt ad supplicij executionem educta, *Cor eius fuerit habens fiduciam in Domino*. Fuit completa vitæ integritate; siquidem nunquam fuerat dictus huiusmodi sermo impuritatis de Susãna. Maria nostra Tẽplum est Salomonis; non illius præuij, sed præcipui, qui de se testatur, *Ecce plusquam Salomon hic*. Estque Maria hęc non solum Templum, in quo Deus, sicut in cæteris iustis, spiritaliter habitat & colitur: sed etiam in quo tota sua substantia, corporalis etiam habitauit corporaliter. Quot ergo numeris Templi huius narratur æstimatio? Vnus numerus est: numerus vnicus: *De qua natus est Iesus*: Sed numerus hic omnes numeros boni comprehendit, omnes prærogatiuas, virtutes omnes, omnia Charismata, ac perfectiones vniuersas Saræ, Rebecæ, Deboræ, Ruth, Annæ, Abigalis, Ester, & Matris Machabęorum ac Susannæ, Sanctorumque cunctorum; imo & Archangelorum, Dominationum, Potestatum, Thronorum, Cherubim omnium, atque Seraphim; non solum diuisim, sed in vnum collectorum. Itaque pluribus Sola hæc perfectionibus constat, pluribusque gratiæ Dei gradibus, quàm vniuersi in vnum connumerati: intantum, vt Deus magis velit Mariã quam reliquum orbis vniuersi; vt varijs dictis innuunt S. Patres, Hieron. Ephren. Damasce. Ansel. Ildefonsus, Petrus Damian. Andr. Creten. & Bernard. Vnde infert S. Bonau.

Numerus amplior paucioribus profertur verbis, quã numerus minor.

2. Cor. 6 16.

Dan. 13. 2. 23. 5. 42. 27.

Matth. 12. 42.

Matth. 1. 16.

Hieronym. Ephren. Damasc. Anselm. Ildefons. Petr. Dam. Andr. Cret. Bernard

Apud Suar. 3. p. Tom. 2. disp. 18. sect. 2.

Quid

Quid mirum, si præ omnibus diligit, quæ præ omnibus dilecta est. Quam doctrinam apud hoſce Patres implicitam, eduxit intrepidè Suarez in lucem, lucidiſſimum ſibi doctrina hac ſplendorem concilians. Bonauen. opuſculo de laudibus.

Quid minus poteſt de talis filij matre præſumi? Qua præſtantia, quibus ornamentis, qua celſitudine, quo numine decoraſſe matrem putandus eſt filius, *Qui potens eſt, & Sanctum nomen eius*? Qualibus Chariſmatibus circundata cenſebitur; quæ Deum vtero genuit & portauit? Quales erunt anſæ vaſis illius quod ad portandum Deum, factum eſt? Certe vaſorum anſæ ex eadem, ex qua ſunt vaſa ipſa, ſolent eſſe materia, aut æquali penitus ac ſimili. Lutei vaſis anſæ luteæ ſunt: argenteæ argentei: ſi aureum eſt vas, & anſæ aureæ: æneæ, ſi æneum eſt, aut ſaltem ferreæ, quod ferrum æri æquale ſit. Quis vnquam vidit in luteo vaſe argenteas anſas? in ferreo vitreas? Ferreas in aureo, aut adamantino? Homo vas eſt luteum quidem ac fragile, *Sicut lutum in manu figuli; ſic vos in manu mea*, ait Ierem. Ideo B. Paul. *Habemus theſaurum in vaſis fictilibus.* Cæterum diuini artificis ars adeo eſt mirabilis, vt dum, ad faciendos homines vaſa, lutum manibus ſumit, faciat illud aurum & chriſtallum; ſicut Solis virtute viſcera terræ in argentum mirifice conuertit & aurum. *An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam*? Et rurſus ad Timot. *In magna autem domo non ſolum ſunt vaſa aurea & argentea; ſed & lignea, & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis autem mundauerit ſe ab iſtis; erit vas in honorem, ſanctificatum, & vtile Domino, ad omne opus bonum paratum.* Eſt ergo Iuſtus homo argenteus Scyphus, aureus homo perfectus; conſummatus eſt vrceus adamantinus, luteus fragilis homo, quãtauis lubricus atque difractus occaſione. Iſaias: *Væ qui contradicit factori ſuo: teſta de ſamijs terræ.* Quod ſi luteo vaſi dicitur væ, cum ex fragilitate delinquat & paſſione: quidnam dicetur obſtinato, qui vas ferreum eſt, lapideum, æneum? *Peccatum Iuda ſcriptum eſt ſtylo ferreo in vngue adamantino, & exaratum ſuper latitudinem cordis eorum.* In Hebręo eſt, *peccatum ſculptum, excuſſum, intime impreſſum.* Quibuſnam rebus huiuſmodi vaſa erunt plena ſeu repleta? Vacuane? quæ- Ierem. 18. 6. 2. Cor. 4. 7. Rom. 9. 21. 2. Tim. 2. 20. Iſa. 45. 9. Obſtinatus homo vas furetum. Iere. 17.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

Eccles 1.1. Osee 8.8. dam de quibus *Omnia vanitas*, sed quæ plena sunt: quibus sunt plena? *Israël factus est, quasi vas immundum*. Tale se dolebat Oedipus, quod turpiter esset educatus: *Ita me turpibus bellum educastis vas repletum sordibus*. Quàm abiectis plenum cogitationibus! Quàm indecoris verbis! Quàm turpibus actibus! O perditum vas! *Factus sum tanquam vas perditum*. Quidnam est perditum? Vas, quod minime deseruit vsui illi, in quem factũ est. Peius adhuc: nã Hebręa vox, Oued, significat, perdens. Vas perdens, quidquid ponitur in eo; tum quia transfundit; tum quia intolerabili graueolentia contaminat. Talis est peccator. Quinam peccator? Quilibet. quidnam ex vase isto faciet summus artifex? Si luteum est, si ex fragilitate ac passione delinquẽs? ferrea virga comminuet. *Reges eos in virga ferrea; & tanquam vas figuli confringes eos*. Domine Deus, misericors & clemens, tantus contra vas luteum rigor? Virgo ferrea confringes? Nõne ad comminuendum illud, sufficit, si è manu tua cadere sinas? Nonne pro extremo vasis supplicio dixisti; *Leuabo ad cœlum manum meam*, vt scilicet desinam ex ea luteum hominem, qui à manu mea cadens, confringatur? Vt quid ferrea virga? Timete amici, & pertimescite. Si fictile vas, cũ sit adeò facile confringi, vt solo lapsu conteratur. Virga ferrea à Deo iuste confringitur: quonam instrumẽto comminuetur ferreum vas, obstinatus criminibus homo? Ferro ne? Parũ est? nã ferro cõfringitur vas fictile. Lapide? Parũ est. Quidnam. Vtiq; igne diffringetur vas ferreum, æneum igne dissoluetur. *Secundum duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuiq; secundum opera eius*. Itaque in ferreo vase ira thesaurizatur, quæ in districtionis die effundatur abundè. Quidnam tunc dicetur septem Angelis? *Ite, & effundite septem phialas iræ Dei in terram*. Quoniam capitalia crimina sunt septem: plenæ ira phialæ septem effunduntur, *Et factum est vulnus sæuum, & pessimum in homines, qui habebant characterem bestiæ*. Qui enim homines bestiæ habent characterem, nisi ferrei corde: qui nulla, sicut belluæ, ratione flectuntur. Aureum vas, ac proinde pretiosum vocatur in sacris litteris illud, quod diuino Regi seruitio est. Eo, quippe ipso, quod omnipotẽti, ditissimoque imperatori vsui seruit, aureum esse, magnique

Pſal. 30.14.

Pſal. 2.9.

Deut. 32. 40.

Rom. 2 5.

Apoc. 16.1.

Apoc. 16.2.

Peccator vas omnia perdens & graueolentia contaminans.

Peccata ex fragilitate atque passione quo supplicio puniantur.

Supplicium pro peccatis ex fragilitate atque passione quale.

Obstinatus peccator qua punitione plectatur.

Peccatum ex malitia quanto rigore punitur.

Duritia cordis quo supplicio castigatur.

valoris, plane consequitur. Pulchre Baruch: *Melius est, esse Regem, aut vas in domo vtile; in quo gloriatur, qui possidet illud.* Baru.6.58. Itaque in vasibus seruitio suo vtilibus gloriatur summus Rex: quo facile constat, vasa huiusmodi esse pretiosissima; adeo vt quodlibet huiusmodi vas appelletur Rex: melius est, esse Regem, aut vas vtile seruitio supremi Imperatoris; *Quoniam seruire Deo, regnare est* Cum igitur homines omnes sint vasa; consequens est, vt illorum ansæ sint eiusdem metalli, cuius est homo quiuis, lutea, ferrea, ænea, vel argentea; aurea, & adamantina, sunt autem ansæ virtutes & vitia, inclinationes, proprietates, actus, opera; cæteræque dispositiones. Si enim ornamentum cuiuscumque vasis quod homo est, tale esse absque dubio, qualem hominẽ ipsum, affirment Scripturæ, vt est illa Eccl. *Simon Oniæ filius, quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso*: quis credat, vasis ansas minus vasi vniformes, quam ornatum, cum in omnibus vasis magis conformes vasis ipsis sint ansæ, quàm reliqua ornamenta. Quod si quis, cum prauum sit vas, fictas ostentet ansas, simulatas virtutes; is præterquam quod pessimum vas est, dicente Isa. *Fraudulenti vasa pessima*; non poterit adeo callide dissimulare fallaciã, quin facile ex se appareat, nõ minus, quã in vase ferreo argẽteæ ansæ. Id quod nõ omisit notare proprijs terminis Sapiẽs, cũ dixerit; *Quomodo si argento sordido ornare velis vas fictile: sic labia tumentia cũ pessimo corde sociata.* Elegãter dicit sordidũ argentũ illud scilicet, quod terra mistũ est; quale est argenti metallũ nondũ defœcatũ; in quo millesima pars argentũ est, reliquæ terra. Itaque in eiusmodi homine facile agnoscuntur opera esse terrea, sicut vas ipsum, nempe homo; etiãsi non nihil argẽti virtutis luceat intermistũ. Cũ ergo ansas omnes, imo reliqua vasis cuiusque ornamẽta talia esse, qualia sunt vasa ipsa, necesse sit; quales putabimus ansas, qualia ornamenta, virtutes, opera, inclinationes, excellentias, mores, Charismata illius vasis, quod diuinus artifex perfecit, vt in eo vnico Deus ipse reponeretur; nascereturque ex eo Deus ipse? *Non sustinebat iustitia, vt diuinum illud vas electionis communibus afficeretur iniurijs, nam plurimum à cæteris differens, natura communicabat, non culpa.* Eccl.50.10. Isa.32.7. Prou.26.23.

Ficta virtus facile apparet ficta.

Virtus callide simulata non potest callida dissimulari.

Opera hominum talia sunt, qualis ipse homo.

Fundamentũ doctrinæ huius profundius est adhuc, quã-

uis planũ. Etenim ansarum finis ille vnicus est, vt vasa ansis sumãtur ad vsũ illũ, cui idonea sunt. Certe & homines quique ansis sumũtur, ferũturq; ad officia, quibus sunt vel apti, vel propẽsi. Constat aperte ex Hispano vocabulo, quo idẽ est, *Asa*, *ô asidero*. Vnde quoduis dictũ, vel factũ, seu occasio quæuis, qua capitur homo, ansa elegãter dicitur. Sic Tulli⁹: *Si locus habet reprehẽsionis ansã aliquã*. Quin & prouerbialiter, cũ quis vitã alterius perscrutatur, si inueniat aliquid vnde arguat illũ, aut certè illũ trahat, quo vult; dicitur ansã quærere. Sic Plaut. *An non vides hũc ansam quærere*? Similiter, qui occasionem dat, ansam præbere dicitur, vt notauit Plato lib. de legibus 3. Experimenta huius offendimus crebra. Si quis tibi malum vult; ansam à tenui arripit verbo, quod de Petro dixisti, vt inter Petrũ & te discordias seminet & iurgia. Si videt te ante ianuam domus Orestilæ bis transire: accipit ansam, ad affirmandum strictam Orestilæ tecum amicitiam. Si vides Agnetem fenestram frequentari: sumis inde ansam, ad ingrediendam domum eius, iudicans auidam colloquendi cum viris in cubile, iocandique cum eis illam, quæ ad colloquendum, & iocandum, sponte, erit ad fenestram: & ansam hanc ipsa præbet Agnes. Si lusoria folia in ludo lineis insigniisti, ad alienam pecuniam fraude rapiendã; prębes ansam latroni, qui id te facere cognoscit, vt te inuitet ad plura varij generis furta, intelligens, te esse latronem. Quid faciet Deus? Quid faciet Satan? *Deus sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostẽderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Quare vasa irę praui scilicet homines apta dicuntur in interitum? Nisi ex eo, quod eorũ aut prauæ inclinationes, aut opera pessima, ansæ sunt, quibus apte capiũtur à Diabolo, ad ferẽdum eos æternam in mortem. Quare misericordiæ vasa in gloriã dicũtur prępparata? nisi ex eo, quod virtutibus multis, inditaq; à Deo sancta inclinatione, quasi solidis ansis apta sunt, quæ à Deo ipso, ad glorioſam sumantur euectionẽ. Vidit Deus obedientẽ adeo Abrahamũ, vt ad præceptum suũ manũ extenderet, ad immolandũ filiũ dilectissimũ, vnicũ, post centũ sterilitatis annos desideratũ: quidnã ideo fecit? *Quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me; benedicam tibi, & multiplicabo semen tuũ sicut stel-*

Cicero. Pro Plãco.

Plaut. Persa.

Plato 3. de Legi.

Rom. 9. 22.

Gen. 22. 16.

Ansis homines capiuntur, tenẽtur, feruntur, raptantur.

Occasiones ansæ sunt, quibus feruntur homines ad ea, quorum sunt occasiones.

Virtutes hominum sunt ansæ, quibus leuantur à Deo.

Opera bona ansa sunt, quibus homines à Deo sumuntur, vt eleuẽtur.

Occasionem accipit Deus ab aliqua hominis actione seu virtute ad magnificãdum eum.

Diabolus accipit ansam crimen hominis, eiusue indignationem, ad perdendum eum.

las cœli, & vel vt arenam maris. Ecce, quia feciſti rem hanc, immolationem filij propter Deum ſumit Deus anſam, ad poſteros eius tam immenſo numero, tanquam benedicta progenie multiplicandos. Deſpexit Ioſeph, ne Deo diſpliceret, libertatem, delicias, voluptates, honores ſibi abundè oblatos ſi heræ ſuæ illecebris concederet, eligens eſſe miſerum, damnari ad mortem, eſſe annis tredecim in carcere. Cumque pallium ſuum in apprehendentis illud heræ manu fugiēs relinqueret, apprehendit Deus pallium illud anſam, ad magnificandum glorioſe Ioſeph, vectum triumphali curru, gubernatorem Ægypti, ditantem valde, exaltantémque domum patris ſui & fratrum, appellatum nomine Saluatoris mundi: multóque magis ad ornandam animam eius, glorificandámque virtutibus, rebuſque geſtis præclariſſimis. Vidit ſimiliter Deus ardentem vino legis ſuæ zelo Phinees, accenſo adeo, vt, cum videret virum de populo Dei in legis opprobrium intrantem, *ad ſcortum Madianitidem, vidente Moyſe & omni turba filiorum Iſrael, qui flebant ante fores tabernaculi: ſurrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione, perfodit ambos ſimul, virum ſcilicet & mulierem.* Honorificum Deo opus hoc Phinees quam firma fuit anſa, vt Deus Phinees ad aliquid magnum apprehenderet? *Dixit Dominus ad Moyſem, Phinees auertit iram meam à filijs Iſrael. Ecce do ei partem fœderis mei: & erit tam ipſi, quàm ſemini eius pactio Sacerdotij ſempiterni; quia zelatus eſt pro Deo ſuo.* Fuit Abigail, ſicut columba pacifera; quæ cum inter virum ſuum & Dauidem ardentes videret flammas iurgiorum, manſuetudine ſua prudentiſſimis & verbis & factis extinxit ignem, accenſumque valde Dauidem & placauit, & reduxit. Hanc pacificantem manſuetudinem ſumpſit Deus anſam, ad eleuandam fœminam ad Reginæ ſolium & honorem, appellandámque eam benedictam verbis iſtis: *Benedictum eloquium tuum, & benedicta tu.* Sed ex qua anſa ſumpſit peccatricem Magdalenam, vt per orbem totum ferret celebrandam? Fortè ex anſa alabaſtrini illius vaſis, de quo Lucas: *Attulit alabaſtrum vnguenti; & ſtans retro ſecus pedes eius, lacrymis cæpit irrigare pedes eius, & vnguento vngebat.* Imo lacrymæ ipſæ Magdalenæ ſunt anſæ. Perpendite rem. Duo alabaſtra ſeruiunt Chriſti pedi-

Abraham factus pater innumera poſteritatis, quoniã vnicum filium immolauit Deo.

Ioſeph auctus temporali gloria & aterna, occaſione dimiſſi pallij in manu allicientis mulieris.

Gen. 39. 7. 41. 40. 47. 5. 45. 4.

Phinees exaltatus occaſione zeli, quo ſcortantes interemit.

Num. 25. 6.

Abigail exaltata ad Regiam dignitatē occaſione pacis, quam inter diſſidia prudenter compoſuit.

1. Reg. 25. 18. 32. 40.

Maria Magdalena apprehēſa oculis à Deo vt per vniuerſum mundū grandi feretur gloria.

Luc. 7. 37.

bus: alterum odoriferi vnguenti, quo pedes eius vngebat peccatrix; ipsa peccatrix alterum: quæ lacrymarum liquore plena eosdem pedes prius lauit, quam vngeret. His, velut ansis, lacrymis, apprehendit Deus plenum hoc aqua rosea aquimanirium, vt leuaret ad astra. Quod si lacrymæ forte videantur nequaquam posse ansæ vocari, cum aqua potius aquimanirij sint: parum interest modus locutionis. Dicamus aptius, oculos illos, vnde lacrymæ prodeunt, ansas esse aquimanirij. Id enim
Luc. 7.37. planè indicat textus: *Mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit, quod accubuisset Iesus*, vt cognouit, ait: oculis cognouit: mentes cognouit oculis: corporis oculis lacrymas effudit. His ergo oculis apprehendit eam Deus vt exaltaret. Audio quosdam musitantes, aures potius ansas esse, quam oculos. Sit ita sanè: ansæ eædem sunt: nam fides ex auditu: ideo mulier hæc, *Vt cognouit auditu,*
Rom. 16.17 *lacrymis cœpit rigare pedes eius.* Nisi quis pergat dicere, vtrasque fuisse ansas, aures & oculos: quod ingenue concesserim. Quoniam, quo grauius est vas, eo pluribus est ansis; vt luteas aliquas amphoras quatuor ansis sæpe videmus. Id quod æneæ campanæ, quoniam pondere multo, nunquam non habent. Et grauior quam æs, peccator est pondere. *Posuisti me contrarium tibi, & factus sum*
Iob. 7.20. *mihimetipsi grauis.* Peccatrici ergo in ciuitate mulieri ansæ quatuor opportunæ sunt, vt à peccatis eleuetur ad æthera. Aures ad fidem: hinc etenim assumpta est Mag-
Luc. 7.50. dalena, dicente Christo ipso: *Fides tua te saluam fecit*: fundentes aquam oculi dolore ex amore procedente: iuxta
Luc. 7.47. illud eiusdem Domini verbum; *Remittuntur ei peccata multa; quoniam dilexit multum.* Ansis igitur his assumpsit Deus Magdalenam, vt glorioſa per orbem ferat fama. Et tu peccator, qui me audis, nonne quatuor his te disponeres ansis, vt ad magnalia à Deo accipiaris? Duæ primæ sunt aures, quibus verbum Dei audiens, fide instrueris. Oculi duæ aliæ lacrymis resoluti, quod Deum tuum cœcus offenderis. Fateor ansæ istæ diuino compinguntur auxilio: sed præstabit hoc tibi, qui mulierem istam tanta per orbem
Matt. 27.13 celebritate portauit, vt dixit verbis illis: *In toto mundo dicetur, quod hæc fecit in memoriam eius.* Nonne ad glorifican-

dam Iudith gloria tanta, *Vt non recedat laus Iudith de ore hominum*, sumpsit Deus ansas? aures eius clausas ad omnem conuersationem cum viris? *Tu gloria Ierusalem; quia feciſti viriliter eò quòd castitatem amaueris, & post virum tuum, alterum neſcieris*; ideo manus Domini confortauit te; & ideo eris benedicta in æternum. Ideo, ait; ecce ansas, vnde sumpsit Deus phialam hanc, vt eam exaltaret. Iud. 13.25. Iud. 15.10.

Videmur nunc haud secus loqui, ac conuersantes in cuneo viri inuitati in die natiuitatis desiderati infantis: cuius cum nihil, præter pulchritudinem, sit, de quo instituatur conuersatio; colloquuntur de illis, qui in eandem infantis domum, natiuitatem celebrare, conueniunt, tum viris, tum fœminis: de elegantia videlicet earum, de speciositate, vestium ornamentis, concinnitate, discretione, modestia, varijsque sententijs, quas ex adstantium ore prolatas curiosè notant, laudántque, vel irrident. Itaque infantem nostram in cunis relinquentes, sola eius laudata, excedente Sole, pulchritudine, de multis illis in tota ferè loquimur concione, qui tum præclarissimi in sacris litteris viri, tum sanctissimæ fœminæ, ad lætissimum hunc Reginæ omnium Mariæ ortum ouantes conueniunt, & exultant. At certè omnia, quæcunque confluentium huc Sanctorum & Sanctarum charismata notamus, in nostræ infantis gloriam dirigimus. Hæc quippe certa ex dictis prodit conclusio; adamantinum hoc electionis vas, quod electum est, imo formatum in id, vt Deum in se haberet infinitum, tam pretiosis constare virtutum ansis ac charismatum, quam est vas ipsum pulchrum atque prætiosum: quandoquidem virtutibus his, ac perfectionibus, tanquam solidis ansis, sumpsit Deus ipse phialam hanc in qua esset Deus ipse ea decentia, ac veneratione, qua maior nulla, nec excelsior. *Mater Dei, Domini, Regis, omnium plasmatoris, & Creatoris cunctorum, digna digni, immaculata immaculati, vna vnius, vnica vnici.* Accedit, quod non sola in vasis attenditur puritas vt ansæ sint eiusdem puritatis, ac fulgoris: sed soliditas etiam; cum solidi vasis facti ad portandas grauis oneris res solidas oporteat esse ansas æque, ac vas ipsum. Alioqui vel Origen. hom. 1. ex varijs.

Virtutes hominis ob quas à Deo ad grandia eleuatur, firmissima virtutes sint.

solum vasis ipsius pondus diuellat ab ansis ipsum vas, itavt si ænei vrcei ansæ sint luteæ, eleues solas ansas, dum vrceũ leuare aggrederis, manente immoto vrceo, aut certe vix leuato, in terram habente, ansis in manu tua relictis Idem in animatis vasis Adæ filiis; sed notando discrimine. Nam cum homines leues leuia sint vasa, & lutea prorsus, teneræ sufficiunt ansulæ ac exiles, vt à mundo & Satana arripiantur, & portentur, quò volunt hostes isti: at iusti hominis, cum solidissima sint vasa & integerrima, certe cum ad grauia à Deo munera assumuntur, solidas quoque ansas esse consequitur eas, quibus sic sumuntur à Deo; virtutes nimirum, inclinationes, ac res gestas. Scimus, Abrahamum pretiosissimum vas electum à Deo, vt ex incluso intra illud sanguine vnigenitus Dei ipsius Filius nasceretur: quàm ergo solida fuit ansa illa, qua, ad eleuandum vas istud in altum assumptum diximus à Deo. Nonne brachium illud, quod, vt dilectissimum interficeret filium, ex Dei iussu obediens leuauit? *Quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum.* Quis neget, brachium Abrahami fuisse fortissimum, quod tantam vicit fortissimi in filium amoris vim, ac resistẽtiam? vice versa, quam leuis fuit ansula, qua illum, qui à Deo electus erat primus populi Rex, arripuit Diabolus Saulem, vt per scelera multa raptaret in præceps. Ansula fuit alieni pallij lacinia, qua illud sibi applicans apprehendit. Ansulæ fuerunt ouium & boum aures, quibus greges rapuit & armenta. Ansa (planius dico) fuit auara cupiditas. Iussit ei Dominus, vt omnia, quæcumque erant Amalecitarum, prorsus demoliretur, homines, iumenta, greges, pecora; omnemque supellectilem consumeret. *Et pepercit Saul Agag, & optimis gregibus ouium, & armentorum, & vestibus, & arietibus, & vniuersis, quæ pulchra erant.* Quonam duxit Diabolus ansis istis Saulem? extraxit à regno: deiecit à throno: amouit longe à Dei gratia: excluſit à cœlis: præcipitauit in tartara, dixit enim ei missus à Deo Samuel: *Pro eo, quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus, ne sis Rex.* Quod & effectu continuo compleuit. Cõferte nunc Saulis factũ cum facto Abrahami. Quantonam erat difficilius, occidere filium,

Operabona, propter qua Deus eleuat homines ad sublimem gradum, solidissima virtutis sit opera.

Impij homines, cum leues sint, debili quauis à Satana ansula capiuntur.

1. Reg. 15. 9.

1. Reg. 15. 23.

filium, dilectissimũ, vnicum, ac vnicam spem posteritatis, quàm occidere greges & armenta, quæ minimè aluerat Saul, nec sua emerat pecunia? Heu cupiditatem! Si esset Saul priuatus homo, rebúsque illis maximè egeret: non adeo mirum, quod in priuando se pretiosis illis spolijs difficultate grauaretur: at quod absolutus Regni totius Dominator, præ omnibus locuples & potens, adeò esset auarus, adeo alienis gazis inhians, vt expressum Dei calcauerit iussum, ne res illas sibi non assumeret: nemo quidem negarit, valdè ansulam istam, qua sic à diabolo illectus est, atque confractus. Quousque confractus & illectus? *Spiritus Domini recessit à Saul, & exagitabat eum Spiritus nequam.* Exagitabat, ait, ferebat, sicut vas, huc illucque, quocunque ierat confringendus. Ecce ille quibus hominem ansis capit diabolus, paruæ nimis sunt, fragiles, debiles, exiles: firmæ ac solidissimæ, quibus Deus sumit ad magnalia.

Videamus, quàm solidæ fuerint ansæ illæ, quibus Iudith ad magnalia à Deo sumptam, nuper commendaui, aures videlicet conuersationi cum viris vndique clausæ: quàm debilis ansa, qua Bethsabee adduxit Satan in adulterium, ex quo & viri sui interemptio sequuta est. Etenim pudicitia Iudith omnibus illis fuit corroborata, quibus neruis oportet, castitatem communiri. *In superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum: in quo cum puellis suis clausa morabatur: & habens super lumbos suos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ. Et erat hæc in omnibus famosa, quoniam timebat Dominum valde: nec erat qui loqueretur de illa verbum malum.* Iudith. 8.5. Hæc sunt propria firmitatis adminicula. Quanam ex istis posset ansa diabolus capere Iudith, atque raptare? Quænam ex istis debilis ansa, qua à Deo Iudith difficulter assumeretur ad grandia? At cum Bethsabeetam tulit Satan ad committendum cum accersente Dauide fœdum adulterium; nulla alia fuit ansa, quam debitæ circunspectionis defectus, quo se post meridiem lauit in loco, vnde potuit à viris planè videri, ac inquietari. Hæc enim vna extitit ansa, qua à Dauide perspecta, ab eo fuit protinus accersita, & temerata. *Vidit mulierem se lauantem ex ad-*

uerso super solarium suum. Quisnam putaret, solitariæ fœminæ lotionem, qua domi suæ absque arbitris vllis se lauabat, ansam esse diabolo, qua ad tam indignum eam duceret flagitium? Et tamen ansa quidem fuit; vt metuant omnes, qui Deum timent, videntes, quantumcunque debilem ansam ansam esse Satanæ sufficientem, qua homines alliciat, præcipitet, conterat. Quis non timebit? Quæ, vt sumatur à Deo, debilis est ansa vt arripiatur à diabolo. Quibus nam ansis portata est impietatis amphora in longinqua? Dicat, qui vidit Zacharias: *Ecce mulier vna sedens in medio amphoræ; & dixit Angelus: hæc est impietas; &* Zachar. 5. 7 *misit massam plumbeam in os eius. Et ecce duæ mulieres egredientes, & spiritus in alis earum: & habebant alas quasi alas milui: & leuauerunt amphoram inter terram & cœlum, vt ædificetur ei domus in terra Sennaar.* Multa hic indaganda: sed vnum duntaxat in propositum noto; luteam amphoram luteis, posse ansis in tam altum leuari, in tam longinqua ferri grauissimo plenam plumbo, quæcunque sint alatæ istæ mulieres, quæ eam portare perhibentur. Nam quæcunque sint, pessimæ indicantur. Fortè ideò duæ, quod altera sit carnis concupiscentia, ferens hominem quo ipsa vult, ansa corporali: altera superbia vitæ, quæ inflata hominis superiori voluntate arripit eum, vt in aëra ferat inter cœlum & terram. Sic miserum ferunt in terram Sennaar, quæ est Babylonis; quasi dicat, in locum perditionis. Nec prætereunda prouida nimis Dei bonitas: quæ istud, quo impius homo fertur vas multo grauat plumbo, eis scilicet rebus, quæ hominem, ne leuis sit, nec ad ludicra currat, onerant & grauant: quales sunt ægritudines, dolores, fames, sitis, paupertas, infortunia, tristes casus, intimæ afflictiones, quibus oppressus homo, nullum ad leuia mundi, & carnis placita sentiat in se motum. Et nihilominus tanta est huiusmodi hominis leuitas, petulantia tanta, vt vel sic miseriis obrutus, morbusque consumptus, nequaquam desistat luxuriæ incumbere; pro vanitatis punctis digladiari. Miser homo! vndenam capit te peccatum? Quænam in te inuenitur ansa, qua te aut libido arripiat, aut vanitas? Heu peccati vim! Adeo leuis es, adeo ad vana

propensus, vt tenuissima, quæ manet in te corporalis, licet putrida ansa, sufficiens sit, vt in aëream eleueris vanitatem, ferarisque libidine in Sẽnaar, quantumcunque clementissimus Deus grauet te grauiter, vt sistas. Crebro quidem miseram hanc hominum conditionem perpendo. Videbitis hominem putridum prorsus, ærumnisque innumeris languentem, cuius nulla omnino apparet ansa, qua vel capi libidine, vel animi possit elatione; adeò viuum lasciuia, adeo ad petenda altiora pennatum, ac si & iuuenili esset fortitudine, & regia opulentia ac maiestate. Quænam ansæ sunt hæ, quibus iste sic fertur, & leuatur? Vtique & si amphora hæc nullas habeat ansas; duæ tamen mulieres eam ferentes, viuas habent alas oculis plenas; vt alæ ipsæ ansæ sint amphoræ, quibus apprehendatur, & portetur. Itaque vehemens carnis concupiscentia pennata quidem est; cum rapidissimo feratur impetu ad lasciuiam; suppleátque ala sua eam, quæ languido homini deficit ansa ad turpitudinem. Similiter est superbia pennata, tendénsque semper ad altiora: qua veloci ala ansam hominis supplet, qua ad elationis motum vndecunque caret. Sufficiunt ergo ansulæ quæuis; imo & illę, quę nec ansę sunt, sed locus, in quo ansæ esse solẽt, vt à diabolo illiciatur homo. Ideo clamat Apostolus, *Nolite locum dare diabolo*. At illæ, quibus hominem Deus apprehendit firmæ omnino sunt ansę: tantóque firmiores, quanto excelsior est ille, ad quem assumitur gradum. Quam ergo solidæ putandæ sunt ansæ illæ, illæ virtutes, inclinatio, indolis propensio, cæteraque magnalia, quibus diuinum hoc assumpsit vas. Mariam Virginem, opifex ille, qui eam fecit, vt idoneum esset vas, quo Deus ipse portaretur? Quam solidæ ansæ, quibus assumptum est vas ad portandum *æternum gloriæ pondus*! Quod si pondus est gloriæ; quam pretiosum existimandum est vas, quo tota Dei gloria fertur? Quam pellucidum? Quam purum? Nonne vas adamantinum? Nonne purum prorsus ab imperfectionibus adamas? Certè quicunque ex vobis ad iter aliquod exiturus, si curiosus est, ac mediocriter diues, vtriculum illum, quo ferendum est vinum, aromatibus multis, fra-

Ephes. 4. 27.

2. Cor. 4. 17.

Simile.

grantibusque præparat odoramentis ? Quanto maior fuisse putanda est Diuini Regis cura in præparando vase illo, quo ferendum erat vinum, quod veniens è cælis ad terras ipse erat bibiturus ? Vniendum sibi sanguinem dico; qui vini nomine non raro solet accipi, & intelli-
Deut. 32. 14 gi. *Sanguinem vuæ biberent*, dixit Moses : id est, biberent vinum. Quod diuinis aromatibus, quibus odoramentis ambari & almisque, qua fragrantia delibutum est, ac præparatum, antequam Rex ipse decretum inchoaret iter ! O purissimum vas ! O glorioſissimum ! O vas adamantinum, aureo emblemate exornatum ! Verè illa, *Simile.* qua æternum gloriæ pondus laterna ferendum erat, longè supra adamantem oportebat esse splendidiorem; ne gloria hæc intra eam inclusa, non coruscaret tanta à foris gloria, quanta gloria ipsa ex seipsa est, minimè laternæ corpore impedita.

Illud non omittam prædicare : non vnam duntaxat, sed duas esse vasis huius ansas : alteram, qua à Deo assumptum est in matrem suam dilectissimam : alteram, qua nos tenemus illud, tanquam nostri generis honorem, tanquam patronam, aduocatam & matrem, vt nobis adsit, faueat, patrocinetur, & succurrat. *Quis post filium tuum ita generis humani curam gerit, sicut tu ?* ait sanctus Germanus. *Quis ita nos defendit in afflictionibus nostris ? Quis tam citò præueniens, ab irruentibus liberat tentationibus ? Quis in supplicationibus adeò pro peccatoribus pugnat ?*

Germanus. Patriarcha Constant. homilia de zona & fascijs Deiparæ.

Generalis igitur est hodierna vniuerso orbi lætitia; hominibus, Angelis, terræ ipsi, & ipsis cœlis, sed Deo potissimum, cui vnica filia nata est. Longe abhinc abest affectus ille, quo fœmineæ prolis natiuitate minus, quam natis viris lætantur parentes & cognati. Nam filia hæc nullo fuit parentibus oneri; honori cunctis : nobis, cognatis eius, sponso Ioseph, ac Patri Deo. Si prouerbialis illa interrogatio, qua in die partus solet quæri sitne filius, an filia, mœstum pro natis filiabus innuit affectum; vetus quidem prouerbium est, alacri hoc Mariæ ortu deletum. Non nouerant homines Mariam, cum nondum nata esset,

nam si nouissent; minimè dixissent. Constat à testamenti prisci temporibus ductum esse prouerbium: cum homines tunc auiditate nimia à filiabus, tanquam à graui onere, se eximere sategerint, filios vero domi retinuerint. *Iudicauit Israel Abesan de Bethlehem, qui habuit triginta filios, & totidem filias; quas emittens foras, maritis dedit; & eiusdem numeri filijs suis accepit vxores, introducens in domum suam.* Iudicum. 12. 8. Bone Deus! Nonne filiam saltem ex triginta vnam domi retineret, qui omnes triginta retinuit filios, nullo dimisso? An qui totum regebat Israeliticum populum, domum gubernare impos sibi videbatur, si tot filiæ domi sinerentur? Numquid vult Deus indicare, intolerabile filias onus parentibus? Nam qui historiam scribit, Deus ipse est; qui nil frustra commendat; sed ad imitationem aliorum. Intendit ergo instruere homines, vt, tanquam intolerabiles sarcinas, filias à se excutere conẽtur? Imo oppositа omnino videtur instructio. Etenim tam filiæ, quam filij domestici sunt; extranei generi & nurus: magis ergo pertimescũt parentes externorum indolem & onus, quam propriorum mores filiorum. Vnde fit, vt quum emissa filia, filium retinet Pater; ideo sic se habeat erga vtrumque, non quod filiam cupiat eijcere, sed quod generum in ædes introducere formidet. Nurum autem admittere non timet; quod cum mulier sit, nullum quidem est digladiandi periculum, sicut cum domi admittitur gener. Ergo si Abesan ille triginta domi retineret filias, totidem generos haberet domi; ac consequenter dominos totidem; quo nemo quisquam, toleraret. At filijs retentis, minus timendæ erant triginta illæ filiorum vxores, domum introductæ. Itaque non mulieres, sed viros recusabat ille in domum adducere; cum virisque viuere & versari. Igitur si filiarum natiuitate minus, quam ortis filiis gaudent parentes; ideo vtique est, quod ex tunc iam dolere incipiant, quod filiæ à se amouendæ sint, cum adultæ, nuptui sint, sint tradendæ. Sed esto, segnis illa in filiarum ortu iocunditas parentum ab ipsis processerit filiabus, quod grauior, quam filij, fuerint oneri parentibus; id quidem fuit in illo tempore. Nunc iam se aliter res habet, postquam filia hæc nata Deo est, & nobis nata. Iam

Nosepodia valer contellas.

filiæ ortus exhilarat valde, ex quo talis filia nata est. Si aliæ filiæ olim erant oneri; filia hæc hodie nascens onera aleuat nostra. Si aliæ filiæ non æquè, ac filij honorabant prosapiam; filia ista est nostri generis decus: nostra corona lętitia nostra. Hæc leuamen nostrum, gaudium, tripudium, solatium; spes vnica nostra: præsidium, refugium, adiutorium; interuentrix ad gratiam consequendam, & ad fruendum denique Dei gloria.

IN NATIVITATE BEATÆ MARIAE.

SERMO III.

Liber generationis Iesu Christi. Matt.1.1.

FOEliciſſimus nobis natiuitatis Mariæ dies totus aurora eſt, totus cordium hilaritas, iucunditas totus. Videtur ſane non omnino lætus, ſi aurora totus ſit; cum lætitiæ fons, qui eſt ſol candidiſſimus, nondum mundo appareat, dum perſtat aurora. Nondum (fateor) apparet ſol: at nec ſubſequens ſolem tenebroſa nox vlla, crepuſculum vllum, vlla nebula. Certa appropinquãtis mundo ſolis aurora Maria hodie naſcitur mundo: amœna expultrix afflictionum, cordũ dilatatio, adeo, vt & florum dilatentur calyculi, erumpant flores ipſi iucundiſſimi. Nondum eſt hodie natus ſol iuſtitæ, Chriſtus: ſed orta Maria ſolis huius certiſſima prænuntia, gratiſſima hominibus aurora; in cuius die nullum audet apparere crepuſculum. Turget noſtræ huius roſæ calyculus, ſenis vterus Annæ ſeptuagenariæ: & ſuauiſſima nobis roſa erumpit Maria. Hæc hodierna die *Editur partu in ouilis ipſius Ioachim domo*, ait B. Damaſcenus: in quam ille, & vxor ſe inter Paſtorum receperant caulas, confuſi nimis, quòd vſque ad ſeptuagenariam ſenectutem permanſiſſent ſteriles. Quinam florum hortus in eo fuiſſe creditur tugurio, quod inter Paſtorum magalia ſitum erat? Fœnum vtique ſolum inter huiuſmodi tabernacula ſolet reperiri; & hoc plerumque aridum. Hoc caſas ſuas tegunt

Maria natiuitas cur ex ſterilibus parentibus, ſenioque confectis.

Damaſc. lib. 4. de fide orto. cap. 15.

rustici; ac consequenter rusticæ Ioachinianæ domunculæ tectum ex fœno existimatur. Ex fœno hoc hodie nascitur rosa; ex sicco tecti fœno rosa Maria: nam vna hæc culmen est familiæ Ioachini, ac domus eius. Tectorum fœnum, dum homo intelligitur, maledictio quidem esse solebat. *Dominus iustus concidet ceruices peccatorum. Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquam euellatur exaruit. De quo non implebit manum suam qui metet.* Quis neget ex fœno nasci, Mariam; quandoquidem, *Omnis caro fœnum*? Quis ex arido fœno eam oriri dubitet, cum nascatur ex arida Annæ carne, atque Ioachini? At quis fœnum neget benedictum; cum minime ante euulsionem sui aruerit? non aruerit Anna, nec Ioachim antequam è terra euellerentur, sed floruerint potius, tam candidam in senecta rosam producentes. Vtramque manum metentes impleuerunt ambo. Repleuit Maria manus eorum semetipsa: repleuit bonis, & benedictionibus repleuit. In ortu hoc plena est & Dei, & hominum benedictio, maledictio nulla. Minime conuenit in natiuitatem hanc subsequens ille versus: *Non dixerunt, qui præteribant, benedictio Domini super vos, benedicimus vobis in nomine Domini.* Imo dicunt omnes tam prætereuntes, quam adstantes, *Benedictio Domini super vos.* Ioachim, & Anna; qui tam virentem in senecta rosam ex sicco fœno produxistis: & nos quoque hoc videntes, *Benedicimus vobis in nomine Domini.* At tu Domine Deus, cuius est hodie larga super Mariæ parentes benedictio, memento (quæso) benedictionem hanc ad nos quoque, qui ex Mariæ genere sumus, extendendam, vt nobis tui gratiam præstes auxilij, eadem Maria interuentrice, quam alacres hodie inuocamus dicentes,

Psal. 128. 6.

Isa. 40. 6.

Psal. 128. 8.

AVE MARIA.

Hodiernum

HOdiernum genealogiæ Christi, & Mariæ chronologium legentibus quibusque, ac illud audientibus occurrit statim causa dubitandi, curnam quæ genealogia proposita est Christi, non ad Christum ipsum, nec ad matrem eius, sed ad illum, qui ad Christi stirpem minime pertinet, Ioſephum, matris sponsum, adducatur. Quinam esse potuit scriptoris finis, quo proposita Christi genealogia, non ducatur ad ipsum, nec ad matrem eius in textu ipso matrem nominatam? Nam si pergat quispiam respondere, non fuisse in illo populo morem, vt per fœminas linea duceretur: Obstat ipsemet textus, à quo tantum abest, vt fœminam à genealogiæ excludat linea, vt sola potius nominata sit fœmina, *Maria, de qua natus est Iesus*: cæteri parentes Ioseph, non Iesu, nec Mariæ nominantur: exceptis duobus illis, qui in libri inscriptione, non in linea ipsa proponuntur, Dauid, & Abrahamus.

Christi genealogia adducitur ad Ioseph, non ad Christum ipsum; quod in eo id, quod diuinũ est, intẽtius, quam quod humanum, attendatur. Christus, quoſnam humanitatis habuit defectus.

Varias in concionibus alijs huius chronographorum stili causas, quas vtcumque assequor, exhibui: inter quas vna hæc, quam nunc adijciam, forte habebit locum. Cum Dominus Christus, & Deus sit, & sit pariter homo. Ita quidem vtraque constat natura, vt quæ diuina est, sit in eo integerrima cum omnibus attributis, ac perfectionibus suis, ne vno quidem ex his, qui in Deo sunt, deficiente illi apice, vel iota. At quod humanum est, est quidem in eo prorsus integrum, quoad humanæ integritatem naturæ: quoad turpitudines nequaquam. Itaque ex parte corporis fuit illis Christus proprietatibus, quę ab humana natura, etiam perfectissima detrectari non possunt, etiam illis, quæ sunt debilitatis: quales sunt, fames, sitis, dolor ex adhibita deforis punctione, ac ex multo labore lassitudine: vt ex proposito hoc Matthęi libro multis constat in locis. Nam præterquam, quod, fragilitas hęc ad conditionem pertineat humanam, fuit in id etiam necessaria, vt doloribus nos, ac morte redimeret, æternaque vita cumularet. Quæ est Synodi sexta definitio, Paulique prędicatio; *Debuit per omnia fratribus assimilari.* Alij vero humani defectus, quibus non est connexa prorsus humanitas, inestque aliqua deformi-

Christus præcisum habet, quod humanum est; plenissimum, quod diuinum.

6. Synodo generali. Act. 4. Heb. 2. 17.

tas, nequaquam eum attigerunt. Cuiusmodi sunt morbi, ac ægritudines, à quibus compositi vndecũque humores sunt immunes, nisi vitio suo, aut inordinatione causam morbis ministret ipse homo. Quam nec prębuit eis ordinatissimus Dominus; nec vlla fuit humorum inæqualitate, aut discrepantia. Cuiusmodi etiam praue corporis carnei inclinationes, à quibus multo longius fuit. Vtpote corpus à sancto Spiritu compositum. Sic docuit B. Damasc. Theologis cunctis consequentibus. Multóque longius fuit à passionibus animę, quę aut oneri sunt, aut indecentię, tam quoad intellectualem quã quoad partem voluntatis. Illę nãque passiones, quę minime dedecorant hominem, exclusis alijs, fuerunt in eo, nempe timor, ira, pauor, & appetitus alimenti: sed nec hę citra ordinem, aut metam. Non metus ex vana causa timoris: non ira præceps, sed ordinata contra peccata, tanquam Deo aduersa: non appetentia superflui cibi, sed ad vitam præcisè necessarij. Quæ omnia sunt in Euangelio Matth. 7. & 26. Marci 3. & 14. & Isa. 53. & explorata à sanctis Patribus, Athanasio, Aug. Damasc. atque Concilijs generalibus. Nullus denique in eo fuit peccati fomes, affectus videlicet ad malum; qui in hominibus aliis est tanquã fumigans intitione scintilla, ab igne peccati misere relicta: quæ est omium doctrina Orthodoxorum, certa ex vnione humanæ naturæ ad Verbum diuinũ: tradita à Doctoribus in 3. p. q. 15. ait 2. Ex quo fit, vt, quum id, quod in Christo est humanum, sacri scribũt cronographi; id quidem adeo præcisum scribant, vt nil vltra sonet, quàm quod humanæ naturæ exigit integritas, demptis omnibus illis, quæ in puro quoque homine multæ sunt, imperfectionibus: scribant autem omnia plenissimè, quum, quæ in eo sunt diuina, scribunt. Scribunt imminentis mortis timorem: sed addito validissimo animo illo, quo accedentibus ad comprehendendum eum ministris dixit semel, & iterum; *Quem quæritis? Ego sum.* Quo trementes illi, *abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.* Scribunt tristitiam ac turbationem, qua ob amici Lazari mortem, *Infremuit Spiritu, & turbauit seipsum:* Sed qualem tristitiam? Qualem turbationẽ? Eam profecto, quæ minimè obstitit, quo minus eundem Lazarum ex tumulo ad vitam reuocaret. At cum factam ab eo illam,

Damasc. lib. 1. fidei, cap. 14. & lib 3 ca. 20. Theologi in 3. dist. 15 & 16. & 3. part. q. 14. art 4.
Matth. 7.
Matth. 26.
Marci. 14. 33.
Marci. 3.
Isa. 53.
Athanasius serm. 4 cõtra Arian.
Aug. lib. 14. de ciui a. c. 8 & Psal. 87. & 93.
Damasc. lib. 3. de fide c. 23.
Marci. 14. 33.
Ioan. 18. 5.
Ioan. 11. 33.
Ioan. 11. 43.

quæ diuinæ virtutis est opus, tranquillitatem scribunt maris; quonam describunt additamento, quo eius Deitatem coarctare videantur? *Facta est procella magna venti; & fluctus mittebant in nauim, ita vt impleretur nauis: & exurgens comminatus est vento, & dixit mari: tace, obmutesce: & cessauit ventus, & facta est tranquillitas magna.* Quanam additione, diuinitatem coarctante, virtutem hanc scribunt Euãgelistæ? Imo additio ista est: *Dicebant ad alterutrum; quis putas est iste? quia venti, & mare obediunt ei.* Scribunt Lucas, & Matthæus: *Dixit paralytico, remittuntur tibi peccata tua*: Diuinæ remissionem potestatis: hanc quanam scribunt coarctatione? Imo confirmatione Deitatis. *Vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum: & surrexit, & abijt in domum suam.* Marci 4. 37. Matth. 9. 2. Luc. 5. 18.

Christi diuina generatio plenissimè narratur in scriptura.

Quod scribendi genus tantò accuratius in vtraque vtriusque naturæ Christi genealogiali narratione obseruarunt chronographi; quantò narratione hac nobilis, ac distincta vtriusque naturæ conditio altius, ac expressius commendatur? Audite nunc, differentia quanta vtramque generationem describant. Incipit Ioannes diuinæ librum generationis serie ista: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum.* Nonne perspicitis, quot modis diuinam generationem exponere nitatur? Quatuor ecce cõtinuatis eam narrat modis; quibus Christum Dei Filium, ipsumque verum Deum plenissimè esse, manifestat. *In principio erat Verbum:* Filius videlicet æternus in Patre. Et iterum: *Verbum erat apud Deum;* Vt expressius indicet principium istud, quod Pater est Verbi, esse Deum ipsum. Et rursus, *Deus erat Verbum*; Id est, nemo putet, ita generatione hac à Patre Deo Verbum generari, vt & Verbum ipsum Deus non sit, aut sit Deus alius à Deo genitore; sed ipsemet, *Deus erat Verbum.* quod, & iterat quartò, adijciens adhuc: *Hoc erat in principio apud Deum.* Nec sistit hic Scriptor; Imo eandem, quam ex parte principij à genitore videlicet Deo, explicuit Filij Deitatem, narrat vlterius ex effectibus, dicẽs: *Omnia per ipsum facta sunt:* quod solius proprium est creatoris. Et iterum: *& sine ipso factum est nihil.* Amplius adhuc: *Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis; & vidimus gloriam* Ioan. 1. 1. Ioan. 1. 2.

eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis. Plenum, plenum ait. quæ plenior potuit generationis fieri narratio? Ad humanæ nunc generationis seriem à Matthæo scriptam redeamus. Quàm (rogo) plena est narratio ista? Narrãdam proponit humanam Christi genealogiam. *Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham*: quos numerat Christi progenitores? *Mariæ, de qua natus est Iesus*; præterea nullum, exceptis duobus antiquissimis illis, in libri inscriptione nominatis. Abrahamo, cum Dauide quãuis omnes, quos numerat antecessores Dauid consequenter fuerint Christi parentes; non tamen ducit eos directè ad Christum, sed ad Ioseph, virum Maria. Solam, præter hos, Mariam nominat parentem, arcta adeo narratione, vt intelligant homines, quod diuinum est plenissimè esse in Christo Domino: quod humanum est, integrum quidem quantum ad naturæ integritatem, sed amissis reliquis quæ sordida sunt & minimè naturæ necessaria. Adeò præcisum assumpsit humanum: vt ne subsistentiã quidem assumpserit humanam, omissis his, quæ & sordida sunt, & minimè naturæ necessaria. Hoc enim fine, cætera, quæcũque narrantur humana, prorsus præscisa describuntur. Nẽpe, quod mater Virgo sit; qua virginitate multum à se excludit humani: quòd plena sit gratia, vt eidem virgini notũ fecit Legatus verbis illis; *Aue gratia plena: Dominus tecum. Quòd turbata est in sermone eius*, dixitque ad eum. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Apposita valde est B. Thomæ animaduersio, qua monet, minimè dicendum, Christũ Dominum humanos contraxisse defectus, quanquã eos, quos dixi, defectus suscepit, famem, sitim, & dolores, quoniam verbum contrahere significat res ex parẽtibus prouenientes: quod longè fuit à Domino Christo, qui huiusmodi defectus non ex parentibus contraxit, sed volũtariè suscepit. Vt nostrã eis operarẽtur incolumitatem, ac vitã sempiternã. Præclarè Paul⁹; *In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Vbinam dixit Paulus, aut canonicus Scriptor alius, omnẽ in Christo humanitatis esse plenitudinẽ? Imo excludunt eam propterea, quòd non omne, quod est in hominibus alijs miserum, ac deforme; sed quod integra exigit natura, existat integrum in Christo. *In similitudinem* (ait) *hominum factus; & habitu inuentus, vt homo.*

Luc. 1. 28. Luc. 1. 29. Luc. 1. 34.

S Tho 3. p art. q. 14. art. 3. & ad 1.

Coloss. 2. 9.

Philip. 2. 7.

Maria præscisum habet in se, quod humanum est, amplissimum, quod est diuinum.

Mens igitur hæc Euangelistarum, cautissimumque scribendi genus in præcelsam natæ hodie puellæ redundat dignitatem. Fuit namque tantæ Deo curæ, vt filius suus præscisum sibi vniret humanum; vt & mater, ex qua id humanum sumpsit, præscisum similiter ex parentibus suis humanum duceret; cunctis (inquam) præscisum imperfectionibus, quæ eam minus puram supremo facerent Seraphino. Vnde nec parentes eius describi voluit, nisi remotissimos, Abrahamum, & Dauidem. Imo, & certos eius genitores, qui minimè scripti in libro hoc, in alijs historijs describuntur, Ioachim, & Annam, habere voluit: humani, quam minimum habere possunt genitores. Erant steriles ambo; ambo ætate confecti; prole ambo, præ senio desperata: quid hoc? Nisi certa Dei voluntas, vt genitricis suæ parentes, consumpta iam ferè humanitate generarent, extremoque iam in limite posita, humanis vitijs exsiccatis. Itaque genitricem sibi elegit puellam, antequam multum haberet humani; & eos eidem genitrici parētes, in quibus humanum ferè esset consumptum, salua naturæ integritate. Scio & Abraham, Saramque vxorem eius in senecta, Isaacum genuisse, *Erant autem ambo senes, prouectæq; ætatis, & desierant Saræ fieri muliebria.* At generatio hæc ideo in ea ætate facta est, quòd tunc fecerit Deus pactum cum genitoribus illis, quod ipsius Dei Filius ex progenie illa esset nasciturus. Vnde & eam per Angelos nuntiari voluit: & natum Isaac, imo & parentem eius circuncidi; vt ex tunc iam superflua ex eis scinderentur humana. Et (quod apprime notandum est) vt firmissimum hoc de nascituro ex Abrahamica stirpe saluatore pactū cum ipso iniret Abrahamo, eum à cognatione sua egredi iussit, dicens. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui: faciamque te in gentem magnam: & benedicam tibi; atque in te benedicentur vniuersæ cognationes terræ:* propter nasciturum scilicet ex Abrahamo Dei Filium, vt intelligunt Doctores omnes, & infra dixit Deus ipse explicitè magis; & in c. 11. ad Hebr. Curnam eum ex cognatione fecit exire eo, quòd Christus ex illo esset nasciturus? Nonne palam perspicitis propositum nostrum eos, qui in Dei cognatos prępara-ntur, ab humana cognatione egredi oportere? Quantò

Maria parentes cur steriles, & in senectute genuerunt.

Ioachim & Anna cur steriles, & senes genuerunt Mariā.

Anna cur sterilis, & vetula Mariam genuit.

Abraham & Sara cur steriles, ac senes genuerunt Isaac.

Sara cur vetula genuerit filiū post sterilitatem.

Circuncisio cur præcepta Abrahamo.

Abraham iussus egredi de cognatione sua, quoniam in Dei cognatum præparabatur.

Gen. 18. 11.

Gen. 17. 11. 22. 18. Gen. 18. 1. Gen. 17. 10. Gen. 21. 4.

Gen. 12. 1.

Gen. 18. 18. 22. 17. Hebr. 11. 8.

magis ipsam genitricem: vt huius ne cognatio quidem nominetur humana, excepto parente illo, qui ob respectum hunc ex propria exiuit cognatione, Abrahamo videlicet; & Dauide similiter, qui cum fuisset filius Isai, non Isai filius, sed Iesse hodierna in genealogia filius appellatur. Scio, & Præcursorem eius, Ioannem, natum ex sterili, ex ea tamen, in qua minimum humani fuerit, eum nasci oportuisse, qui magis est Angelus, quàm homo; vt Præcursor esset Domini illius, qui est homo, ac Deus: sicut & Prophetæ pronuntiarunt; & post ortum expressit Christus ipse, dicens: *Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Atque ita conceptus hic Ioannis consequenter fuit à cœlesti Angelo parentibus eius prænuntiatus; vt scribit Lucas. Quod si Abrahæ, & Saræ, quòd generationis Christi ex pacto fuerint origo, remotissima licet, & parentibus Ioannis, quòd in eiusdem Christi Præcursorem gignebatur, totum ferè humanum, quod præscindi potuit, sic præsciſum est, quantò magis ipsimet vnicæ parenti, non dicam præsciſum, vt in reliquis istis; sed præclusum potius ante quàm eam quidpiam inficeret humanum?

Ioannes Baptista cur ex sterilibus, ac senibus natus.

Matt 11. 10
Malac. 3. 1.

Luc. 1. 11.

Cum ex defectu cœlestis pluuiæ tota iam iam propter scelera sua periret fame, ac siti Samaria, volens Elias nuntiare Regi Achab, vberem iam imbrem imminere, dixit ad eum contristatum nimis: *Ascende, comede, & bibe: quia sonus multæ pluuiæ est. Elias autem ascendit in verticem Carmeli, & pronus in terram, posuit faciem suam inter genua sua. Et dixit ad puerum suum: ascende, & prospice contra mare. Qui cum ascendisset, & contemplatus esset, ait; non est quidquam. Et rursum ait illi: reuertere septem vicibus. In septima autem vice ecce nubecula parua, quasi vestigium hominis ascendebat de mari. Cumque se verteret huc atque illuc, ecce cœli contenebrati sunt, & nubes, & venti: Et facta est pluuia grandis.* Beatissimam Dei genitricem nubem paruulam fuisse, testatur Isaias, ita de ea loquens. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum.* In quam enim nubem ascendit Dominus, vt Ægyptum introiret, nisi in purissimam genitricem suam, in cuius brachijs in Ægyptum

Maria nubs sæpe eleganter designata.

3. Reg. 18. 41

Nubes symbolum Mariæ Deiparæ.

Isai. 19. 1.

est ductus? Qua ratione nubem illam esse Deiparam, interpretati sunt Origenes, Eusebius, Hieronym. Anselm. & Procopius Gazeus. Fuit vtique nubes; quoniam, etsi à terris orta, proximior tamen cælo, quàm terris. Ideo nubes leuis: quoniam nihil est in rebus terrestribus, quod tam parum terræ habeat, ac nubes: cùm subtilissima terræ sit exhalatio, tenuissimus aquarum vapor. Est è terra Maria: sed quam minimum terræ esse potest. Præsertim, cùm non nubes vtcumque; sed leuis dicatur nubes: vt minus adhuc terra, quàm reliquæ nubes, agnoscatur. Kaldæa translatio habet: *reuelabitur Dominus in nube gloriæ suæ*: quoniam profecto B. Maria nubes gloriæ est, diuinis vndique exornata splendoribus. Ideò etiam apparens Eliæ tempore nubecula fuit parua, quòd minimum participaret terræ. Sed multò altius considerandum, quòd fuerit nubecula, quasi vestigium hominis, parua, cum multæ pluuiæ ab ea exierit sonus: *Sonus multæ pluuiæ est*, dixit tunc Elias. Quomodo à nubecula parua magnus copiosæ pluuiæ sonus? Quomodo amplior effectus, quàm causa? Maria nostra nubes est, & parua quidem: & multæ tamen ex ea sonitus pluuiæ. Nec tantum miror, quòd paruula sit, quàm, quòd sit, sicut hominis vestigium. Expendamus intenti nubeculæ huius, & effectum, & causam: videbimus in eis mirabilia. *Nubecula quasi vestigium hominis est*: hoc ex parte causæ. Est sanè Maria, sicut hominis vestigium: quoniam, re pensiculatiùs consideratâ, nihil est hominis, quod tam parum hominis habeat, quàm vestigium eius. In tantum, vt, cum rem summè exaggerare intendimus, dicere soleamus, solum est vestigium quoddã hominis, vel rei cuiusuis de qua agitur. Itaque infantula in nostra solum ex hominibus reperimus vestigium: vix carnem humanam; vix crassitudinem, vix terram: sed illud hominis vestigiũ, quo verè fœmina agnoscatur humana; nil impurũ contrahens ex atauis. *In Maria matre Iesu, humanæ naturæ, natura sanctitatis Angelicæ sociatur*, ait S. Ignatius. At effectus eius sonitus multæ pluuiæ est. Quænam est pluuia hæc, nisi filius eius, qui & Dei Patris est filius? Hunc tanquam inundaturum terras imbrem sancti Patres à cœlis petebant, dicentes: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum; aperiatur terra,*

Origen. hom. 3. in diuersos. Euseb. li. 6. de dem. ost. Euag. c. 20. Hieron. in c. 19. Isai. Anselm. in c. 2. Matth. Procopius Gazeus in c. 19. Isai. Kald. in Isa. 19. 2.

Nubes, qua Samariam fœcundauit, ideo quasi vestigiũ hominis, quòd matrem Dei præsignarit.

Pluuiæ sonitus magnus ex nubecula parua, qua matrem Dei designauit.

Maria Deipara cur nubecula instar vestigium hominis.

Ignat. epist. ad S. Ioannem.

Christus pluuia terrã fœcundans, ex nube Maria ortus.

Isai. 45. 8.

& germinet Saluatorem. Quàm copiosus nubeculæ, quàm immensus Mariæ partus. Florens Virginis germen, mundi Saluator omnem terram replens, & fœcundans. Longe amplior, & altior Mariæ progenies ipsamet Maria genitrice. Ideò Mariæ parentes minimè in genealogia numerantur; nominatur plenè germen eius: *De qua natus est Iesus:* nec alius Iesus, sed *qui dicitur Christus.* Pulchrè S. Bernar. *Proculdubio mater Domini antè sancta, quam nata. Sanctus ortus; quoniam immensa prodiens ex vtero sanctitas, Sanctum fecit illum.* Itaque natiuitas Mariæ plus participat ab eo, qui ex nata hac erat nasciturus, quàm ab eiusdem natæ parentibus. Quod non minus eleganter confirmat his alibi verbis: *Hæc igitur sapientia, quæ Deus erat, de sinu Patris ad nos veniens, ædificauit sibi domum ipsam, scilicet matrem suam.* Filius magis, quàm parentes, ædificauit sibi Mariam: Ideò in eius factura ac genealogia matrem vult suam nominari magis quam filiam genitorem, quasi à filio ipso participet plus, quàm à parentibus. Minimè erat prætereundum in ista apparentis visione nubeculę, quod inquirens eam in cœlo puer, septem reuersus sit vicibus: cum ibi denotetur intensissimum vniuersæ terræ videndi fœcundatricem suam, Dei parituram desiderium, tum etiam parentum eius Ioachini, & Annæ ætas septuagenaria, cuius causa obseruauit septem vicibus mundus, si iam desideratissima hæc Maria nasceretur. Sed multo profundius obseruandum video, sonitum pluuiæ à nube exituræ, auditum prius ab Elia, quàm nubes ipsa appareret in cœlo. Quomodo enim potuit audiri sonus pluuiæ venturæ à nube illa, quæ nondum in aëre videbatur? Hæc est præcelsa infantis nostræ dignitas, & gloria. Prius ex ea auditur sonitus pluuiæ, nempe prolis eius, quàm ipsa à parentibus suis videatur producta. Prius sonat in Maria, quod habet à filio, quàm appareat in ea, quod habet à parentibus. Ideo, (quod & valdè notandum est) audiens Elias pluuiæ sonum, nõ vult nubem adspicere; sed ponit faciem inter genua; quòd natæ Virginis corpusculum renuat ex adspectu iudicare; sed ex grandi grandis sonitu pluuiæ, filij ex ea magni nascituri. Quod idem attendit Euangelista; vt narrans Mariæ genealogiã, à filio eã magis, quàm à patribus sumendam

Matt. 1. 16.

Bernar. ep. 174. ad Canonicos Lugdun.

Bernar. ser. 9. ex paruis

Maria genealogia plus participat à filio quàm à parentibus.

Nubes septem vicibus quæsita in cælo denotauit Mariã ortum ex sterilibus, senibusque parentibus.

Sonus pluuiæ venturæ, à nube nondum apparente, designauit nascituræ Mariæ dignitatem.

sumendam iudicarit. Nec exhausta dum nubeculæ mysteria in nascentis hodie virgis gloriam: nam pro eo, quod Vulgatus scribit: *Nubecula parua, quasi vestigium hominis*, habet, Originalis textus Hebræus, *nubes parua, sicut vola viri.* Quisnam est vir iste, nisi Dominus Christus; cum nomine viri designetur ipse sæpe in litteris sacris, præsertim Ierem. Zachar. Actorum, S. Petri, interprete; B. Gregorio. Ergo cum nascitur Maria, quasi vola nascitur filij ex ea nascituri. Sed quare nascitur, non vt integra viri manus; sed quasi vola viri? Vtique manus Christi integra cum digitis suis tũc erat mundo apparitura, quum Christus ipse nasciturus erat, vt Dei opera perficeret. Manus enim opera designat, vt est notum. At perspecta sine digitis vola, & ea quidem inuoluta, constitutæ in fœderibus seruandæ fidei, certum Symbolum est, qua ratione, quæcumque manus quondam faciebat sacra, inoluta erat vsque ad digitos, ex Numæ statuto apud Romanos; vt Pierius est auctor. Quod, & Arabes colebant adeo, vt nunquam inirent fœdus, nisi sanguine lapideis ex vola elicito cultris, in id deputatis, vt scribit idem Valerianus. Quid ergo est nubes apparens in cælo, instar volæ viri, nisi nascens Maria in certissimum signum implẽdæ promissionis Dei, qua se in mundi salutem, atque bonorum abundantiam nasciturum, fuerat pollicitus? Ideo vola inuoluta nube; nam nubibus inuoluuntur res eisq; celantur. Inuolutum quidem Natiuitati Mariæ Diuinum nasciturí Christi mysterium; quod eliciendo à vola eius sanguine confirmandum erat. Ideo, cum Christus ipse eiecit à muto homine dæmonium, dixit: *Si in digito Dei eitcio Dæmonia, profecto peruenit in vos regnum Dei.* Ideo etiam ad perfectam redemptionem, qua liberandus erat à Dæmoniorum potestate, orabat Deum homo ore Psalmistæ: *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me.* Nunc autem, cùm nondum Christo nato, nascitur Maria, apparet mundo vola Christi; non integra manus, non consũmata salutis nostræ opera; sed ea vola, quæ iam hinc extensa, multam cœlitus promittit pluuiam, terras fœcundaturam vniuersas, iuxta dictum Prophetæ: *Oculi omnium in te sperant, Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno: aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Expectabat Elias in Carmelo,

Hebr. in translat. Pagnini. 3. Reg. 18. 44.

Iere. 33. 22. Zacha. 6. 12. Lucę vlt. 29 Actor. 2. 11. Greg. li 1. in 1 Reg. ca. 1.

Vola manus symbolũ seruanda fidei.

Pierius lib. 35. §. Fides.

Maria nascitur tanquã vola viri, in symbolum vẽturi Christi, ad complendas promissiones.

Luc. 11. 20.

Maria nascente aperit Deus manũ ad implenda benedictionibus omnia.

Psal. 143. 7.

Psal. 144 15.

expectabat & puer; imo, & Rex Israël, & populus omnis apertissimis intenti oculis expectabant pluuiam, qua escis alerentur, & aquis; quum apparuit nubecula, quasi vola viri; quum apparuit Maria, signum volę manus Dei, quę iam incipiebat aperiri, vt opportuno tempore è cœlis daret alimentum; totámque terram benedictionibus repleret. En filij Mariæ; en iam hodie Dei extenditur vola, replere nos beneficijs incipiens, indicánsque fœliciter, se quàm cito & digitos extensurum, vt planè nos cumulet, & foueat.

Habitus tã boni, quam praui, quam efficaces sint ad malos, ac bonos actus.

Nos etiam considerationem huius extendamus, intelligentes, quòd cùm manus hominis duabus constet partibus, vola nempe, & digitis; non ineptè dicetur significare duo illa, quæ in hominis operationem concurrunt, habitus scilicet, & actus. Scimus ex Philosophia tum & experimento, hominem quemque & habitu, & actu ad opera pleráque procedere. Actus est ipsa actualis operatio, nempe verbi expressio, esus mellis, extensio manus ad erogandam eleemosynam, pedis ad deambulandum, iusta iustæ sententiæ pronuntiatio. Habitus autem est prompta consuetudo, qua (vt consequente Augustino, docuit Philosophus) in huiusmodi actus facilè, ac penè absque deliberatione sæpè erumpit homo. Itaque & est habitus iustitię, & iustitiæ actus: habitus temperantiæ, fortitudinis, prudentiæ; & virtutum harum multi similiter actus: sicut ex opposito, sunt in homine alio habitus iniustitiæ, ignauiæ, incontinentiæ, ac temeritatis; multique consequentur horum actus vitiorum. Vndenam est, vt septuagesies iuret Persius quotidie, tum verum, tum falsum, absque vlla prorsus animaduersione; Petrus ferè numquam, nisi magna, cùm rara iuret consideratione, ac reuerentia? Vndenam hoc? Nisi ex eo, quòd Persius ex habitu sit assuetus ad iurandum; Petrus non item? Vnde (rogo est) quod tu, impudice homo, quot in domorum ianuis, quot in fenestris, quot in vijs, & (quod horresco dicens) quot in Dei templis vides fœminas, oculis aspicias petulantibus, turpibus verbis alloquaris, iocetis impudens; & quidquid lasciuum exequi potes, minime prætereas; vicinus autem tuus modestis vbique sedeat oculis, ambulet, & modestis; nec vllum vspiam proferat verbum indecorum, nullis se leuem nutibus exhibeat, signet cruce pectus, quoties inde-

S. Th. 1. 2. q. 49. art. 3.

Arist. in ca. de qualitate, & li. 5. Metaphys. tex. 25. & li. 2. Eth. c. 5. Aug. li. 83. quæstionũ q. 73. & li. de bono cõiugij ca. 25.

cens aliqua irruit cogitatio? Vndenam differentia tanta? Nisi ex eo, quòd prauis tu sis habitibus assuetus, bonis vicinus tuus? Ille modestiæ, pudicitiæ, honestatis, continentiæ: petulantiæ tu, lasciuiæ, immodestię, garrulitatis, ac luxuriæ? Vndenam, vt tu Maxentia, quæ me audis, promas vigesies in die Diaboli nomen, famulas tuas, seruos, famulos, filios maledictionibus confundens; nullum soror tua, nec semel in vita, tale aliquod proferre verbum audiatur; imo ossibus tota contremiscat, audiens labia laxata, ignitæ linguæ temeritatem? Vndenam, nisi ex oppositio tuo, ac sororis habitu loquendi? Vndenam est, vt tu pudica Domina, cum impudicum à viro audis verbum, turberis; immittásque scandalum in audacem: perditę autem quæ numquam concioni assistunt mulierculæ, vix à viris ad turpia requisitæ, respondeant concedentes, nulla deliberatione, nullo discursu? Vndenam? nisi ex habitu tuo illarum habitibus contrario; quod luxuriæ illę, tu habitu sis induta castitatis?

Habitus habitibus gignuntur, & augentur.

Habitus autem isti actibus generantur, & additis actibus augentur; vt docet Philosophus, & S. Thomas. Nam, qui iurare incipit homo, in dies amplius iurare consuescit. *Serpit enim deinde res, quæ procliuis ad perniciem, cum semel cœpit, labitur*; dixit Tullius. Sicut per contrarium, qui cilicium induere cœpisti, quamuis repugnante id incœperis corpore, nunc iam ex consuetudine habitu acquisito, induis illud sæpe multo minori carnis renisu, imo sicut alia quæuis indumenta.

Arist. li. 2. Ethic. ca. 1. S. Tho. 1. 2. q. 52. art. 2.

Actus boni generant, & perducunt habitus bonos, sicut pra uos praui.

Cicero. de amicitia.

Habitus bonis à Deo infunduntur hominibus: supernaturales à solo illo, morales aliquibus amicis, cum acti ab homine acquiri possint.

At vero potest, & solet Dñs Deus huiusmodi habitib⁹ bonis virtute sua hominem inducere, ante vllos hominis actus, quibus tales habitus acquirat. Et quidem quoad supernaturalia opera ad supernaturale obiectũ ordinata, qualis est fides, spes, charitas, certũ omnino est, huiusmodi habitus à solo infundi hominibus Deo, nec posse ab homine vllo prijs actibus acquiri. Quæ est Trident. Conc. commẽdatio, Pauliq; dictũ, asserentis: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritũ sanctum.* Quoad alios vero habitus, quos potest quisq; Deo adiutus suis actibus acquirere, certũ quoque est, & hos à Deo infundi hominibus multis secundũ beneplacitum suum. Sic enim Apostolis prę̃stitit habitum loquendi linguis multis, quas minime illi acquisierunt.

Conc. Trid. sess. 6 c. 7. Rom. 5. 5.

Fides, spes, Charitas, in nemine sunt, nisi à Deo infusa.

Actor 2. 3.

Videamus iam, quid exempli, quid doctrinæ, quid emolumenti ex natiuitate hac ædificationi nostræ hauriamus? Quid ex infante imitandum decerpemus? Lætitia quidem, exultatio, ac hilaritas grandis admodum perfunditur cunctis, cum operaturæ salutem nostram manus volam iam prodire videamus; nubem, ex qua deueniet pluuia, terras fœcundatura largiter omnes. At quidnam exempli ex dudum nata infantula sumemus? Nullos (Fateor) in ea videmus actus, cum nondum sciat digitos mouere: at videmus habitus amplissimos, quibus animam eius in ventre matris Deus exornauit. Nullam hodie in Maria motionem videmus digitorum; at volam eius, quasi solidi volam perspicimus viri; habitus multos, ex quibus suo tempore procedent actus, quẽ admodum digiti oriuntur à vola. Omnium quippe virtutum, tam Theologicarum, quam earum, quæ ab homine acquiruntur, habitibus Mariam nostram nasci exornatissimam, concors est Patrum, absque controuersia, consensus. Quod si dicatis vos, vt quid tam cito habitus isti; cum diu otiosi futuri sint vsque ad eam puellæ ætatem, in qua eis vti idonea sit, in earum virtutum actus erumpens: Veriſſima ista respondebimus ratione. Quęnam adeo est ex prægnantibus segnis, quæ à die, qua se grauidam agnoscit, non incipiat tam de præparandis curare pannis infantilibus, quod Hispani dicimus; *preparar ta camaſtica para el parto*. Imo & ipse prægnanti vir præbendi vxori necessarias ad id expensas solet esse solicitus. Cur ergo prouidus ille Pater Mariæ, qui eam in Filiam antequam nasceretur, adoptauit, iuxta omnium consensum Theologorum, minus erga eam prouidus putetur, qui huiusmodi vestes infantiles, antequam nasceretur, præpararit, continuóque natam eleganter induerit; imo nec dum ex vtero egressam; vt conuenientes censent Bernardus. Quid autem sunt habitus, nisi vestes quædam; vt habitibus his, quasi prępparatis infantilibus pannis exornasse Mariam Pater eius Deus agnoscatur? Quin etiã, cum honoratus quisque prolis patrinus, à die, quo in patrinum est à nasciturę prolis parentibus electus, incipiat iam accurata præparare illud infantis coopertorium, seu palliolum, quod Hispani vocamus *La cobija*; quisnam dubitat, & huiusmodi habitum à sancto Spiritu prępparatum Mariæ

Maria dudum nata, nõ solũ gaudio, sed exẽplo etiã nobis est.

Maria ex matris vtero fulgẽtissimis ornata habitibus exijt.

Simile.

Simile.

Bern. ep 154 ad Canonic. Lugdunẽs.

Maria nascentis patrinus Spiritus sanctus.

multo ante, quam ex ventre egrederetur? Hunc enim Mariæ fuisse patrinum, satis apertè dixit Mariæ ipsi Angelus Gabriel, quum in die concipiendi ab ea Dei filij dixit nuntius ei: *Spiritus sanctus superueniet in te; & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Quidnam est, *Superueniet?* Ergo venerat ante in eandem Virginem patrinus? Venerat absque dubio, quum ipsa nata est, qui patrinus venit, cum ex ea Deus erat nasciturus. Quidnam est etiam, *obumbrabit?* Nonne vmbra eam operire? Ergo prima vice hac eam operuit patrinus iste iuxta opportunitatis indigentiam, habitu videlicet isto, quem patrini donant infantibus pallium. Apposita sunt Laurentij verba Iustiniani: *Illam profectò adhuc in matris vtero decubante adamauit Verbum, vt pote superabundante iam benedictione præuentam, & sancti Spiritus magisterio deputatam.* Præuentam, ait, benedictionibus à Patre, sanctis scilicet habitibus; & sancti Spiritus Magisterio deputatam: cum Magisterij effectus sit, vt Magister exornet habitibus discipulos: Patrim, vt doceat adoptatos.

Lucæ. 1. 35.

Mariæ parietis patrinus Spiritus sanctus.

Laurēt. Iustin. serm. in natali Mariæ.

Estque recolendum, quod patrinus quisque quo ditior est, eo honoratior, eo excellentiorem spiritali Filio dat huiusmodi lænam, seu diploidem, quoad duo; tum quoad magnitudinem, tum quoad elegantiam, ac pretium. Est enim huiusmodi palliolum duplo maius corpusculo infantis, & nonnunquam maius triplo, auro multo, ac gemmis contextum pretiosissimis. Quàm igitur magnum quàm pretiosum, & elegans existimandum est palliolum istud, quod spiritali huic filiæ suæ sanctus donauit Spiritus? Considerate (obsecro) quam dudum creato præstitit Deus chlamydem Lucifero. *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum, Sardius, Topazius, & Iaspis, Chrysolithus, & Onyx, & Berillus, Sapphirus, & Carbunculus, & Smaragdus. Aurum opus decoris tui, & foramina tua in die, qua conditus es, præparata sunt.* Hæc supremi illius Angeli chlamys. Sed quid sibi volunt foramina illa à die creationis in auro præparata? Ad quidnam præparata in auro foramina? Vtique quum in auro, gemmis præsertim ornato, præparantur foramina; in id præparantur, vt in eis ponantur pretiosiores gemmis margaritæ, aliæve vniones pretiosiores illis, quæ in foraminum gyro positæ sunt.

Ezech. 28. 13.

Gratia, & gloria inter se conueniētium symbolum elegans in Luciferi indumētis. Lucifero præparata gloria in fulgentissimo vestimentorum, quib⁹ indutus est auro.

Diuinæ gratiæ certum ad superventuræ gloriæ respectum, certámque gloriæ mensuram mirabili symbolo repræsentãt aureæ bracteæ mirificè sculptæ, vacuis tamen foraminibus, quæ postea margaritis repleantur, aut gemmis. Nam gratia Dei aurum est pretiosissimum, quo dives est anima, valdéque refulgens: extremæque gloriæ receptaculum, sicut auri bractea foraminata proprium margaritæ receptaculum est. Eo enim ipso, quod pulchra, vt aurum est Dei oculis anima; est consequenter ad gloriam, sicut ad candidissimam gemmam, præparata adeo, vt gratia ius ad gloriam sit, gloriáque detur homini iuxta gratiæ mensuram; sicut bracteæ foramen est mensura gemmæ. Nomen quippe auri, & purgationem refert, & nitorem. Sic quidem Hebraicus auri nomen Hharath purgationem significat, vt legimus Exodi 11. & Iosue 10. quod & noster notauit Pineda. Latinè autem dicitur ab aura, splendore videlicet candidissimo; vt obseruauit. S. Idorus, dixitque explicito Poëta carmine illo.

Aurũ pulchra diuinæ gratiæ repræsentatio: præsertim cũ est foraminibus vacuis præparatum ad gemmas.

Gratia aurũ foraminibus præparatũ ad gloriæ margaritas, & gemmas.

Hebræa. Exod 11.7. Iosue 10. 21

Pineda de reb. Salom. l.6 c.18 §. 10.

Isid li.16. origin.c 17. Virg.Ænei.

Discolor vnde auri per ramos aura refulsit.

Nec abhorret aliud auri nomen Hebraicum Zahab, quod apud Ieremiam fulgorem item designat. Vnde apud Iob legimus, *ab Aquilone aurum venit*, id est aurea lux, vt patet ex contextu. Vtraque est diuinæ proprietas gratiæ, qua & à sordibus purificatur anima, & purgata nitescit eodem gratiæ fulgentissimo splendore. Quid non refulget, quum purificatur à maculis? Vno vtrumque verbo dixit Nyssenus Greg. *Illuminatio dicitur gratia, per quam efficimur puri.* Nec prætereunda Augustini verba: *Quid aliud est iustitia in nobis, vel quælibet virtus, qua recte, sapientérque viuitur: quàm interioris hominis pulchritudo?* Quod si spiritalis puritas, ac speciositas, consequenter erit grata Deo: neque enim aliud ei, nisi purum, ac pulchrum gratum esse potest. B. Hieronym. *Omnis enim Sanctus habens in se animæ pulchritudinem, amatur à Domino.* quod si gratia hac, seu pulchritudine gratus est homo oculis Dei, eiusque dilectus: recte quidem infertur, eum ad tantam gloriam destinatum, & acceptum, quanta est gratia ipsa, qua sic acceptus est. Textus Apostoli, *Signati estis Spiritu promissionis sancto: qui est pignus hæreditatis no-*

Hebræa. Ierc.51 7. Iob.35.22.

Greg.Nyss. hom.2.in Cant.

Aug.epist. 85.ad Consentium.

Gratia splẽdor, ac decus animæ, eiusq; pulchritudo, puritas, candor, ornamentum.

Hier.in c. 10. Danielis.

Ephes. 1.13.

Gloriæ præparamentũ ius, & mensura gratia iustificãs est, seu gratia habitualis.

ſtræ. Eſt ecce gratia pignus gloriæ, eſt promiſſio, eſt conſignatio; ſicut aureæ bracteæ foramen certa ſuperponendæ gemmæ conſignatio eſt, atque promiſſio. Nec omittit Apoſtolus ipſe gratiam appellare aurum, ſimúl explicans iſtam gratiæ cum gloriæ connexionem, iſtaque foramina ad vniones. *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum in laudem gloriæ gratiæ ſuæ; in qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo, ſecundum diuitias gratiæ eius, quæ ſuperabundauit in nobis*. Ecce prædeſtinauit nos ad beatitudinem; ad cuius conſecutionem gratificauit nos, id eſt, fecit ſibi gratos gratia ſua, tanquam præparamento, ac menſura eiuſdem beatitudinis. Si ergo gratia maximus diuitiarum theſaurus eſt, & hæc futurę pignus beatitudinis: quam (rogo) pretioſa gemma erit gloria ipſa, ac beatitudo, cuius conſignatio, cuius pignus tam prętioſa in terris auri bractea pręparatur? Igitur foraminatæ illæ Luciferi bracteæ magnam Dei gratiam deſignabant, in qua creatus eſt, præparata ad tantumdem gloriæ, quanta erat gratia illa, ſi iuxta illam Deo obſequeretur. Si ergo Lucifero illi, quod ſupremus eſſet Angelorum, tot in ipſo creationis eius die data ſunt ornamenta, tot prętioſis vnionibus exornatum aurum, pro gyro foraminum illorum, quę nunquam repleta ſunt, cum ad eam gloriam minime peruenerit: qualia (rogo) cenſebimus ornamenta in die formationis ſuæ data Virgini illi, quæ ex tunc iam, vt eſſet Dei mater, parabatur? Quam amplum pallium, quamque corpuſculi humani capacitatem excedens? Pallium ex tela candidiſſima, diuinis, auro etiam diuino, margaritis, ac gemmis intermixtis? Quam excedentem Angelicas manus pallij plumaturam? Quam elegantibus emblematibus, ac tonis. Quot circumſepta gemmis prętioſiſſimis foramina illa bractearum, quæ ad gloriam erant præparata, non ſolum beatitudinis, ſed dignitatis etiam matris Dei, matris Altiſſimi?

Iam iterum dicetis vos, ſplendidiſſimos infantis noſtræ habitus ſummæ quidem eſſe nobis lætitiæ, quod mater Dei noſtri adeo egregie ſit ab vtero exornata. At quoad noſtrũ attinet exemplum, quid hoc prodeſt, niſi ad id tãtum, vt filios noſtros baptizari faciamus, vt huiuſmodi habitibus

colluceant? Ad hoc autem nulla est opus monitione; nam nemo fidelis filios suos omittit baptizare, sciens, supernaturales illos tres virtutum habitus, fidem, spem, charitatem baptismate infundi, vt definit Concil. Trident. Quod si & moralium virtutum habitus omnibus digne Sacramenta suscipientibus infunduntur, quæ probabilis est opinio Sancti Thomæ, paruuli quidem nostri iã baptizati sunt: habitus (vt videtur) eis sufficiunt; nulla circa eos de actibus bonis cura necesse est. Nobis fatemur, est circa actus nostros necessaria non leuis, ad colendum nostris actibus Deum, præceptáque eius obsequenda; nec non ad debitam satisfactionem, & meritum, tum prẽterea ad eosdem habitus virtutum, vel acquirendos, vel augendos; in quo nulla est controuersia.

Conc. Trid. sess. 6. ca. 7.

Virtutum supernaturaliũ habitus à Deo infunduntur homini cum iustificatur saltem.

Virtutes morales quousque à Deo infundantur.

Hos autem virtutum actus nec infans hæc docere nos, nec nostri possunt ediscere infantes. Verumtamen quamuis præclarissimi recens natę Mariæ actus, quod interni fuerint, non potuerint tunc imitationi prodesse: nunc tamen cum noti sint vobis, emolumento, & paruulis vestris, & vobis est magno. Vobis, vt tam elegantium habituum & actuum amore ducti, eos omnes, tam supernaturales, quam morales à Deo impetrare studeatis, eisque diuinitus ornari, vt certo ornatur eis, quisquis aut susceptis iustificatur Sacramentis, aut vera contritione cum firmissimo recipiẽdi proposito: quod & Concilium ipsum definiuit, quoad Theologicas virtutes. Quod si lapsi post baptismum fide non careant nec spe homines baptizati: carent tamen charitate: & fides in eis lenta est, spesque remissa; quæ omnia à Deo efflagitare aspicientes Mariam excitamini. Filiis item vestris illud emolumentum est, vt à die natiuitatis eorum actibus eos bonis instituere incipiatis; quibus, & ad bonos habitus formentur.

Conc. Trid. sess. 6. ca. 7.

Videbitur forte otiosa institutio: cum ediscẽdi quicquam boni, vel male incapaces sint infantes isti. At interrogo vos, quinã sunt magis otiosi habitus: corporales ne illi, quos nascituris præparatis infantibus pannorum nempe, ac paliolorum; an habitus isti spiritales, quibus eorum animi exornantur? Nam corporales illi omnino sunt non solum otiosi, sed & vacui; cum nondum natus sit infantulus, illis

Educatio fœtuum ab infantia huius habet. Infantes à die natiuitatis instituendi. Simile.

illis inuoluendus: at spiritales consuetudines, scilicet ac mores, quamuis pro ætate ista otiosos concederemus: vacuos tamen nemo concedet: cum in nato iam ponantur infante. Si ergo nemo culpat parentes, quod ante filij natiuitatem, præparent vacua in fescellis inuolucra; imo nisi præparent, culpantur: quanto maior erit culpa parentum, qui natis iam filijs fulgentissimos hos bonorum habitus morum omittunt segnes præparare? Nedum, quod infantes à die ortus his habitibus imbui, prorsus necesse est; tantũ abest, vt otiosum. Alioqui transacta iam infantia difficulter attemperantur pueris habitus, & habitibus pueri. Pro qua institutione non solum adest tota Dei scriptura, Theologia tota; sed omnes etiam prudentes Philosophi, omnia cum Philosophia experimenta. Appositum valdè est illud Plutarchi documentum: *Sicut infantium membra simul, ac nati sunt, formari, componique debent, vt recta, minimeq; obliqua fiant: ita puerorum mores principio aptè concinneque fingere conueniet. Illa namque nouella ætas ad fingendum facilis, teneraq; est: difficilius autem, quæ dura sunt, molliuntur.* Infallibilis veritas: quam est, non dicam fallibilis, sed falsa præsumptio eorum, qui adhibitam pueris à cunabulo instructionem inanem arbitrantur. Incipit profecto ab ipsa ortus hora inuiscerare sibi infans eos mores, qui ab eo postea minimè euelli possunt, nec ab eis infans ipse. Vt quid negemus natiuitati huic, ac generationi id, quod omnium alias naturalium rerum generationibus commune semper intuemur? Sata enim quæcunque, cum primum gigni incipiunt, mittunt priusquam nascantur super terram, occultas intra ipsam radices, à quibus postea præscindi non possunt, nisi sectione vitam amittendo. Mittunt quidem radices ab incunabulis infantes, à quibus postea abduci nequeunt, ni eo tempore, quo abducuntur à vita. Est flosculus quidam in Cillene Arcadiæ, nomine Moly, cuius, cum candidus sit, radix est tetra, vt scribit Theophrastus, & Dioscorides. Huius speciei plantulam quandam allatam ad se testatur Plinius, cuius radix triginta pedum erat longitudine. Mirabilis flos, sed significatio mirabilior. Talis quidem est virtus: candida valdè, ac speciosa; sed cuius radix nigra sit: quoniam principio videtur formidãda; cum

Filij recte ab incunte infantia instituendi.

Parentes instituant filios ab infantia.

Simile.

Moly flos nascens in Cillene Arcadia florida virtutis symbolũ.

Virtutis symbolũ flos nomine Moly in Cillene Arcadia notissimus.

Theophrastus apud Dioscorid. lib 3. c.5.

Plin.lib.5. cap.4.

multo sit comparanda sudore, magna angustia, atque afflictione. Sed quid sibi vult adeò profunda radix? Nisi certum nostri symbolum propositi, quod non aliud est, quam ab ineunte hominum ætate debere radicare virtutem, esseq; absconsam sub infantia, sicut sub terra absconditur radix antequam fructificet. Radix absque dubio à principio in pueris visceratur alterutra, aut virtutis, aut vitij; quæ discursu temporis intimatur magis, vt sit euulsu difficillima. Expertum audiamus Hieronymum: *Difficulter eraditur, quod rudes anni perbiberunt.* Dic mihi, amice, & tu, Domina dicito, quo fundamento speras, filiam tuam fore in maiuscula ætate modestam, obedientem, pudicam, verecundam, sobriam, mansuetam, si prima, quæ in infantia profert verba, turpia permittis, & consentis: si concedis ei quidquid vociferans, sicut vipera, petit: si pateris esse inuerecundam, immodestam, procacem, petulantem? Dicis, nunc infans est; nescit, quid faciat: postea capaci ætate corrigetur. O cœcam! ô indignam deceptionem? Dic mihi quæso: si rosam vis in tuo plantare virideto, nunquid genistæ plantabis radicem, vt rosa prodeat ex ea? Eritne rationi consentaneum, si respondeas: quamuis radix nunc genistæ sit, temporis decursu rosa ex hac radice germinabit? Non est profecto alia parentum imprudentia, qui filiolam suam in amœnissimam pudicitiæ, honestatisque rosam educare cupientes, radices in infantia plantant turpitudinis. An si primi tempore veris intendis rosam asseruare domi, vt hyemis tempore siccam habeas ad medicamina rosam, rutam viridem colliges asseruandam, putans, eam, quæ in viriditate ruta est, postea in senecta siccam rosam futuram? Nec ratio patitur, nec Deus, qui sic ait; *Quæ in iuuentute non congregasti, quomodo inuenies in senectute?* Sanè quamuis esse infantem, nubilis iam puella ruta erit: nec rosa sicca, sed sicca ruta in senectute. Etenim à tam tenera necessitas hæc incipit ætate, vt dicat Magnus Gregor. *Verba nutrientium aut lac erunt, si bona sint; aut venenum, si mala.* Quid Gregorium allegauerim Sanctum? Imo & Ethnicus Plato admonebat nutrices, ne turpes, ac friuolas pueris fabulas mandarent, ne illorum animos ex initio stultitia corruptis imbuerent moribus. Quapropter B. Chrysostomus merito

Simile.

Simile.

Eccl. 25.

Gregor. li. epistolarū. epist 187.

Plato apud Plutar. 6 de liberis educan.

Nutrices selectissimæ quærendæ infantibus Parentes circa spiritales magis, quàm circa corporales filiorũ habitus solliciti esse debere.

eos vituperat parentes, qui de splendidis filiorum corporis habitibus solliciti, parum de spiritalibus curant. *Nulla alia ratione peruersi vt sint liberi contingit; nisi quod eorum patres circa vitæ præsentis commoda æquo amplius incumbunt, & ferè dixerim, insanunt. Cum enim illa solummodo inquirunt, nihilq; illis præferendum censent: & suam pariter, & liberorum animam negligere coguntur. Hos ego patres parricidis ipsis immaniores dixerim: illi enim corpus ab anima separant, isti, & animam, & corpus æternis ignibus tradunt.*

Chrysost. lib. 3 aduersus vituperatores vitæ Monasticæ.

Maria perspecta, parcit Deus mundum delere.

Omnes igitur in Mariam nostram oculos conijciamus. Nos, filij eius, vt & collętemur, & imitemur; Deus, pater eius, vt collætetur, & faciat, nos eam imitari; veniamque propter eam concedat, & salutem. Erat quondam in Rhodanis muris depicta à Protogene tabula artificio tanto, vt cum Rex Demetrius vrbem obsidens posset facilè capere ea parte, qua tabula illa picta erat, vltro abstinuerit ab incursu; maluitque parcere victoriæ tantæ, quàm delere picturam; cum nulla alia parte posset vrbem expugnare. Auctor est Plinius. Vtique præcelsa hæc puella nostra ideo in vrbe nostra nata est, in populo scilicet generis humani, vt sit nobis murus, sit etiam in muro posita nostro, vt impetens nos iusta Deus ira, populum totum ob scelera nostra deleturus: visa Virgine hac in muris nostris, sistat, sedetur, deferbeat, & mitescat; parcátque populum eruere, cum nulla alia parte inuadi deberet, quàm ea, in qua Mariam videt, à parte nimirum, qua videt Adæ filios, & inter eos Virginem purissimam.

Pictura à Protogene facta symbolum mediatricis Dei, & hominum Mariæ.

Protogenis depicta tabula symbolum Mariæ mediatricis.

Plin. lib. 35. c. 10. post medium.

Maria reprimit iustã Dei in homines iram.

IN PRÆSENTATIONE B. VIRGINIS MARIAE.

SERMO I.

Luc. 11. 27. *Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti.*

EST in primarijs quibusdam ciuitatibus, quod in nobilissima Hispalensi mea vsitatum videmus, nobile statutum, quo à communi vnius anni vectigali manet exemptus, qui ex hortorum colonibus primam anno illo præcocis fructus intulerit sarcinam, quæ speciei illius prima sit: tametsi alij alios in vrbem intulerint fructus. Hodie afferunt Ioachimus, & Anna præcocem in templum Dei fructum ventris sui, vnigenitam Virginem; quæ, quàm serò fuit à senioribus genita, tam velociter post editionem maturuit. Venit namque trimula libens, alacris, læta Creatori suo in templo præsentanda. Nonne liberi erunt à tributo non per annum vnum, sed per annos omnes, qui eam offerunt parentes? Sed quæ est ista libertas; nisi Dei gratia; de qua Apostolus: *Ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Sed quidnam? Tam suauis fructus, tam prætiosus, tam dulcis, tam salubris, tamq; cito maturus, tam ante cõsueta oblatus tempora, dignus est, vt solis propter illum detur parẽtibus libertas. Imo vniuersæ eorũ prosapiæ; cũctis dico filijs Adæ, qui illa frui procurauerint. Cũ ergo libertas gratiæ Dei sit, quę propter prętiosissimũ hunc fructũ hominibus longiter

Maria fructus præcox supremo Regi præsentatus.

Maria amore concedit Deus libertatem hominibus, & gratiam.

Rom. 8. 21.

impenditur: adest hodie nobis iusta occasio petendi à largitore, non solam hanc, quæ libertas est, gratiam; sed illam etiam, quæ est cœleste auxilium ad loquendum, si suauissimum hunc fructum offerentes eandem puellam inuocauerimus patronam, dicentes ei,

AVE MARIA.

MIrum, quòd in trimulæ præsentatione puellæ vtatur Ecclesia Euangelica hac, quæ fœturam eius accinit, lectione, *Beatus*, ait: *Venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti?* Quid ad trimulã attinet futura vteri fœtura; vt in die, quo trimula celebratur, ex eo ab Ecclesia celebretur, quòd multos post annos vtero suo gessit Saluatorem? Eximia planè Mariæ commendatio: summa, qua ab annis teneris, reuerentia suspicitur. Vult illustrata sancto Spiritu Ecclesia, vt illa, quæ Dei mater est, semper vt Dei mater agnoscatur; adhuc cùm nondum esset Dei mater. Idcirco non in sola occasione, in qua genus eius oportet ostẽdere, qualis est conceptionis, & ortus: legit in Festis eius omnibus textum aliquem, quo Dei mater indicatur, S. Damasc. *Maria in templum adducta, & oblata, non secus, quàm oliua frugiferam se præstitit; quæ in domo Dei plantata, diuinoque spiritu impinguata, fructus pulcherrimos protulit: adeoque virtutum omnium domicilium effecta est. Mentem igitur ab omni seculari cura, & carnis concupiscentia seuocauit: animam cum carne virginem, puram, illibatamque conseruans, prout eam decebat, quæ Deum ipsum in suo vtero gestura esset.* Quisquis efficiendæ effigiei plasticem videt, formulamve domus construendæ: ex tunc quidem eam intuetur, tanquam normam simulachri, aut domus, quæ postea construenda est. Sanè B. Virgo in id à Deo facta est, vt plastes esset eius, quem in vtero suo hominem fieri parauerat, filium ipsius Dei, & eiusdem Virginis Filium. Appositè Epiphanius, *Maria digna facta, quæ vas, & habitaculum Filij Dei efficeretur.* Atque ita ab ortu suo tanquam talis Filij plasticem voluit Deus eam suspici, & haberi, suãque ita instruxit Ecclesiam, vt de Virgine hac, adhuc in-

Maria à primordijs suis tanquã fœtura Dei mater commendabatur à Deo ipso.

Damasc. lib. 4. de fid. c. 15.

Epiph. hæres. 78. cõtra Antidicomar.

fantula, illam Euangelij legat historiam, quæ supremi eam filij affirmat genitricem. Est pretiosissimum suauissimi thymiamatis altare virgo hæc à conditione sua; tametsi diuinum incensum non statim, sed postea, decreto tempore in ea positũ, suos efflauerit odores. Dixit Dominus ad Moysem: *Facies quoque altare, ad adolendum thymiama, de lignis Cetim. Vestiesque illud auro purissimo, tam craticulam eius, quàm parietes per circuitum. Facies que ei coronam aureolam per gyrum: Et adolebit incensum super eo Aaron, suaue fragrans mane: Non offeretis super eo thymiama compositionis alterius, nec oblationem, & victimam; nec libabitis libamina. Et deprecabitur Aaron super cornua eius in sanguine, quod oblatum est pro peccato: & placabit super eo in generationibus vestris. Sanctum Sanctorum est Domino.* Sacrosanctum altare Dei Maria est, de lignis Cetim, vtpote virginitate incorruptibile, coopertum auro maternæ dignitatis. Habuit à principio, antequam thymiama adoletur, aureolam Reginæ coronam, vt quæ iam inde in supremam erat electa imperatricem; quæ postea mater facta Regis, ampliauit coronam in auream ex aureola. In hoc demum altari oblatum est suauissimum Deo thymiama: cùm in ipso Incarnationis instanti, se totum Patri Deo obtulerit Christus, & retulerit. Sed quidnam est, quòd iusserit Deus, nullũ alterius mistionis thymiama offerri in hoc altari? Quis dubitet? Christus solus est hypostaticæ vnionis thymiama; quod solum hoc altari dignum, & quo solo dignum hoc altare, dicit Deus ipse; nec aliud licere in tam sacrato altari offerri thymiama, non victimam aliam, non libamen. Redditque honorificam valdè rationem, dicẽs: *Altare hoc Sanctum Sanctorum est Domino.* Itaque nullo alio fine factum est hoc altare, nullo alio fine Maria constructa, præter vnum hunc, quoad suscipiendum Deum parabatur. Sed inter alia illud mirum: *Adolebit incensum super eo Aaron, suaue fragans mane.* Quoniam à vitæ suæ diluculo cœpit ex purissima hac Virgine ille puritatis efflari odor, qui postea superposito diuino thymiamate, plenius confragrauit.

Exod. 30. 1. *Maria altare thymiamatis.*

Considerem us Filium eundem simul in duobus vteris existentem, Patris scilicet vtero, & vtero Virginis. Si talis est vterus Patris; qualem decebat esse matris vterum? Cõ-

Maria in vtero, & in vtero Dei simul extitit idem ß:

lius: ex quo vtriusque vteri constat quoddam aqualitatis genus.

grueretne, vt Dei Filius in summè puro, pulchro, diuino vtero existens, esset simul in vtero, minoris, quàm summæ in genere suo, puritatis. Id certe non patitur Anselmus; qui iure optimo ait: *Dicebat, vt illius hominis conceptio de matre purissima fieret, nempe decens erat, vt ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicum Filium suum ita dare disponebat, vt naturaliter esset vnus, idemque communis Dei Patris, & Virginis Filius.* Ecce non solum eo tempore, quo Virgo Filium concepit; sed eo etiam, quoad concipiendum disponebatur à Deo, talis esse debuit, qualem esse decuit Dei matrem. Fuit itaque Patri Deo similis, suppar, æqualis quadamtenus Maria, quum Dei ipsius vtero suo genuit Filium, genitumque gerebat: in eo (inquam) quadamtenus cõpar, quòd Filius ille vtroque simul esset in vtero, & Dei Patris, & Mariæ. Qualem ergo putamus fuisse tunc vterum genitricis Dei, cùm genitoris vterus summè esset glorioſus? Audite eundem Patrem dicentem Filio. *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus Sanctorum ex vtero ante Luciferum genui te.* Gignit iugiter Filium Deus Pater ex vtero suo in splendoribus Sanctorum: quoniam Filius hic splendor est splendidissimus, splendoribus vndique circundatus, atque adeo splendoribus à diuino ipso sole procedentibus. Quin etiã splendoribus Sanctorum vniuersis nimirum Sanctorum virtutibus, quibus illi in æternum fulgent, & beãtur. Dei etenim Verbum est pleniſſimus ille, quem Deus mente sua gignit, conceptus, tam sui ipsius, quàm de rebus omnibus: Sanctarum præsertim; eò quòd res omnes in Deo sint, fulgeantque in eo splendidissimè; eòque magis, quo puriores sunt, ac sanctiores. Cùm enim Sancti omnes in Deo sint eminenti quadam ratione; consequẽs est, vt dum Deus se concipit mente, concipiat & illos: sitque conceptus hic tam sui ipsius, quàm de Sanctis omnibus conceptus; quo scilicet Deus mẽte agnoscit eos. Quod attendẽtes asserunt Theologi, diuinum hunc Verbum procedere à Patre per cognitionem, quam habet sui ipsius, omniumque in se creaturarum: imo, & creaturarum provt sunt in seipsis; vt docuit Augustinus, & post illum Angelicus Thomas, ac Bonauẽtura cum Scholasticis. Est ergo Filius in Dei vtero candi-

Anſel. de conceptu Virg. c. 18.

Maria in vtero, & in vtero Patris erat simul Filius vtriusque in vtero Patris splendoribus Sanctorum circũdatus: lilys in matris vtero.

Psal. 109. 3.

Greg Nyss. Orat. quæ est inter translatas à Francis. Zino, Diony. de diuinis nominib. ca. 5. Aug. li. 1. in Ioan. c 5. Anſel. in monologio. c. 33. & 34. S. Tho. 1. p. q. 3. art. 4 & q. 14 art. 4. & q. 4. art. 1 & 2. Aug lib. 15. de Trinit. l. 13. & 14. S. Tho. 1. p. q. 34. art 3. Bouauen. in 1. dist. 27. a. 2. p. 2. q. 2.

Deus omnia in se eminẽter continet.

Verbum diuinum procedit à Deo per cognitionem, quã Deus habet sui ipsius, & omnium creaturarũ.

Maria in vtero, & in vtero Dei simul existit idem si-

dissimis fulgidus splendoribus,eò quòd sit plenissimus cõceptus splendorum omnium, quibus Sancti omnes,tã Angeli,quàm homines,nitent,& nitebunt in æternum: atque adeo nitidissimus ipse;& inde imprimis, quòd ipsius fulgẽtissimi Dei sit glorioſissimus conceptus. Nunc interrogo auditores,si Verbũ hoc in Dei vtero tam Sanctis est splendoribus circundatũ; qualenam erit in vtero matris, quando in Patris vtero ita coruscat, & refulget? Nonne similibus gigni, ac circundari in matris vtero fulgoribus exiſtimandus est communis vtriusque vteri Filius, Iesus Christus? Quales ergo sunt fulgores isti; quibus materno coruscat in vtero? Dicit sponsus sponsæ Mariæ: *Venter tuus, sicut aceruus tritici vallatus lilijs.* Tritici aceruus Christus est, vt Patres intelligunt omnes, qui in vtero Virginis vallatus est lilijs. quæ sunt lilia hæc? sunt quidem similia lilia splendoribus illis, quibus paterno resplendet in vtero. Aspicite, rogo, Filium hunc duobus pariter in vteris: in illo splendoribus, lilijs in hoc vndique circundatum. Nonne lilia hæc splendoribus illis oportet esse consentanea? Sunt splendores hi; Sanctorum splendores; quæ ergo erunt lilia, nisi lilia Sanctorum; eorum videlicet suauissimæ virtutes? Sunt namque lilia flores omnes cuiusuis speciei; licet pro certa aliquando sumantur specie; vt ex Nicandro scribit Athæneus. Græci flores quoslibet appellant lilia; Hispani speciem vnam; Latini tum peculiarem, tum omnes, vt scribũt Plinius & Vergilius. Quum pro speciali flore accipiuntur, pudicitiam mysticè intelligunt Patres: Virtutes omnes quum pro cunctis floribus sumuntur. Qua acceptione septem potissimum Mariæ virtutes colligit Rupertus ex sponsi verbis in libro Canticorum; propter quas formosa appellatur,& amabilis. *Virtutes illæ sunt simplicitas, cogitationum munditia, innocentia, doctrina, verecundia, humilitas mentis, & carnis integritas, siue incorrupta virginitas.* Quibus si Theologicarum virtutum addamus ternarium; sunt virtutes decem; totidem speciosissima varij coloris, variique lilia odoris fragrantissimi. His vallatus est Mariæ venter: his & ille, qui in eo incluſus est, aceruus frumenti. His circundari decuit in Mariæ ventre Filium illum, qui in paterno vtero propriis semper circundatur splendoribus. Illic splendoribus

Cant. 7.2.

Lilia Symbolum virtutum.

Lilia tum pro specie vna, tum pro omni florum accipiuntur specie.

Nicander Athæneus lib 15. Plin. li 21. cap. 4. Vergil. 6. Æneid.

Mariæ virtutes septem inter alias.

doribus Sanctorum; hic Sanctorum lilijs, quæ non sunt alia, nisi sanctæ Sanctorum virtutes. Imo & Sanctorum splendoribus in Mariæ vtero circundatur, siquidem & flores splendidi sunt, ac collucentes. Impensè quidem considerandæ conuentio. In vtero Patris Spiritus est Filius, sicut & Pater est Spiritus: in matris ventre Spiritus simul & caro; quoniam *Verbum caro factum est*: estque vtrobique miris circumseptus splendoribus propriis, non adiectis. Quales ergo erunt splendores hi vtroque in vtero? At qui spiritales in vtero Patris, qui Spiritus est, & in quo Filius etiam purus est Spiritus: at in matris vtero cùm Filius caro sit simul & Spiritus, tales profecto oportet esse splendores: in quibus nimirum, & cœlestis puritas, & summa sit puritas terrestris. Ideo lilia hæc vtraque pollent excellentia; & ea, quæ ad visum spectat, splendore videlicet coruscо, in quo cœlestem imitantur splendorem; & ea insuper, quæ mulcet adoratum, quæque od terram naturaliter pertinet. Procedit enim liliorum fragrantia ex tenui eorum resolutione, qua efflatus Spiritus, suauis est odor. Hæc autem propria terræ est: nam spirituum nulla est resolutio, quantò minus supremi Spiritus, qui Deus est, purus, sempiternus? Hęc sunt lilia Mariæ; hæc Virginis lilia, flores Virginis. Hę sunt virtutes, quæ in Dei matre requiruntur, fulgent, fragrant, circundant inclusum ventre fœtum, Dei Filium.

Lilia splendida, & odorifera.

Ioan. 1. 14.

Quod si eo tẽpore, quo Virginis vterus Filium concepit, Filium fouit, Filium gessit, eum liliis circundatum circundedit; qualisnam esse debuit, & potuit eo tempore, quo in id, vt in matrem eius præpararetur, in ipsius Templo præsentata est? Numquid venter tunc vallatus lilijs? At saltem si lilijs nondum vallatus; firmissima tamen liliorum radice stabilitus. Prius enim radix plantatur in terra, quàm erumpant arbusta, ligna, rami, folia, flores, fructus. Quorsum hodie in Templo præsentatur Maria, nisi vt in contigua Tẽplo domo esset calatus, seu potius testa, in qua radices liliorum alerentur? Quis vnquam vidit erũpentes absque cultu flores, quo vel in testa coluntur, vel in horto? Ideo Virgo hæc *hortus conclusus* appellatur à sponso, quod in domo hac Templo suo cõtigua Virgo ipsa hortus sibi, in quo magna coluntur cura illorũ radices liliorũ, qui concipiendi tem-

Maria antequam gigneret Dei Filium, erat fragrãtissimus florum calatus. Maria ante conceptum Filium habebat in se radices illorum liliorũ, quibus iam conceptus circundatus fuit in vtero eius.

Cant. 4. 12.

pore Filij fragrantissima erũpent,& coruſca. Quã vero conformes ſint flores iſti illis Sanctorũ ſplendoribus,in quibus paterno ex vtero gignitur Filius; ipſamet ratio generationis oſtẽdit. Quidnã eſt gigni in ſplendoribus SS? Concipiẽs Deus Pater mente ſua Sanctos omnes virtutibus multis ſplendidiſſimos, ſimulq; ſeipſum fulgentiſſimum; Filiũ gignit ſuum. Ipſe enim conceptus Filius ipſe eſt,& Filius eſt conceptus ipſe. Concipit enim,tanquã vtero,Deus mente ſua vnumquemque Sanctorum candidiſſimum eo candore,quo virtutibus ſuis eluceſcit: qualẽ ergo concipiet Mariam conceptu hoc, quo reliquos agnoſcit? Concipit profectò eam,qualis in ſe eſt;pluribus multò,& eis quidẽ fulgentioribus virtutum radiis,ac ſplendoribus fulgidã,quàm omnes ſimul homines,& Angelos,ſimul in vnum congregatos. Sola igitur illa maior eſt pars eorũ quæ ſunt in Dei cõſpectu,quã omnes Sancti,homines,& Cœlites. Cœteros concipit Dominus Deus,tanquã verbo hoc ſuo in ſplendidam formandos,ſeu iam formatos claritatẽ: Mariam vero tanquã concipientem,& parientem eundem ipſum Filium ſuum, quo ipſe omnia concipit, & quem ipſe concipit, & parit. Eſt igitur illa in Dei mente ab æterno circundata ſplẽdoribus; vallatus lilijs vterus eius. Qualis ergo erit,quũ in Tẽplũ adducitur hodie,vt in matrẽ Dei præparetur? Vt gignẽdũ ventre Dei genitũ ſplẽdidiſſimis lilijs circũuallet? Nonne erit calatus, ſeu teſta,in qua vniuerſorũ radices liliorum, quæ Conceptionis ſuæ tẽpore cũ anima eius plantatæ ſunt excolantur, curentur, foueantur,producant ramos, qui indies augeantur, vt tempore concipiendi vtero Verbi flores illi erumpant, quibus illud circundari decet, & oportet? Eſt florentiſſimus apud Eccleſiaſticum textus; qui præterquam quòd Virgini huic diuinitus congruit:eſt applicitus ei ab Eccleſia. *In hæreditate Domini morabor. Tunc præcepit,& dixit mihi creator omnium, & qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo; & dixit mihi; In Iacob inhabita, & in Iſrael hæreditare, & in electis meis mitte radices,* Ecce tunc, quum in hæreditate Domini,quæ eſt gratia eius,concepta fui,vt in ea morarer in æternum,Dominus ipſe *Dixit mihi, in electis meis mitte radices.* Tu,quæ inter electos meos,eorũque ſplendores mente mea conciperis potiſſima: mitte ex

Maria à Deo mente concepta ab æterno aliter, quàm reliqui Sancti.

Eccl.24.11.

nunc iam, ex primordijs tuis, tua ex conceptione firmissimas in electis meis radices, inextirpabiles eorum radices liliorum, quibus tuo in vtero vallatura est eum, quem ego in vtero meo Filium splendoribus circundo. Mitte ex nūc iam radices; ex num, ex nunc, quum in mēte mea es in electis meis; nempe inter illos, tanquam prima, potissima, Regina Domina, Imperatrix. Cui textui mirificè adstipulatur sequens contextus, qui præsentis officij Epistola est, quo radices illæ conceptione Virginis plantatæ producunt hodie diuinam arbusculam, ex qua digni Filio Dei nascentur flores, quibus Virgineo conceptus vtero vallentur. *In electis meis mitte radices. Ab initio, & ante secula creata sum; & vsque ad futurum seculum non desinam; & in habitatione sancta coram ipso ministraui. Et sic in Sion firmata sum, & in ciuitate sancta similiter requieui. Et radicaui in populo honorificato; & in partes Dei mei hæreditas illius; & in plenitudine Sanctorum detētio mea.* Itaque ab initio, & ante secula creata sum, id est, mente diuina disposita, ac si iam creata essem. Quoniam quæ Dei mente semel disponuntur, ita certa sunt, vt facta iam putari debeant. *Tunc in habitatione Sancta coram ipso ministraui.* Quid aliud est hodierna præsentatio, quā id, quod præsenti dicitur textu? In id enim præsentata est in Templo Maria, *Vt in Sancta hac habitatione*, sedula coram Deo ministraret. *Et sic in Sion firmata sum.* Sic in Templo Sion firmata sum radicibus illis, quibus sui cōceptione fundata; quatenus virtutes illæ, quarum radicibus concepta sum, in dies firmantur exercitio, cui in Tēplo hoc iugiter intendo. Hic radicaui in populo honorificato, honorificato ob Tēplū hoc, in quo diuini cultus fit professio; sed & nō exiguè honorificato, quòd ad concipiendum, pariendumque Deū diuina hæc Virgo in eo disponatur, & formetur. *Et in plenitudine Sanctorum detentio mea.* Mea quidem conceptio, illa scilicet prima, qua mente Dei concepta fui, gloriosè ibi illuxit in splendoribus Sanctorum: at detentio mea, qua per annos decem moror in Templo, nunquam exiens ab eo, est in plenitudine Sanctorum. Ibi in Sanctorum splendoribus; hic in Sanctorum plenitudine. Quoniam Sancti omnes in Deo sunt, ac in mente eius in splendoribus, non in plenitudine; quoad vsque splendores illi, quibus Deus

Eccl. 24 13.

Sancti sunt eminenter in Dei conceptu in splēdoribus; at in se ipsis sūt in plenitudine, ob executionem operum, ad quæ disponit eos Deus mente sua.

illos concipit fulgidos, operum exercitio compleantur. Illo exercitio, ac vsu, quo creati iam, ac vita fruiti complent suis operibus, quod mente Deus sua dispositum ab eis efficiendum. Hoc certè est, quod ait Maria: *In plenitudine Sanctorum detentio mea.* Et quoniam detentione hac, qua moratur in Templo, producuntur arbusculæ ex radicibus illis; quæ inditæ ei fuerant conceptione; addit continenter fertilissimam hanc lignorum productionem, magnumque eorum incrementum. *Quasi cedrus exaltata sum in libano, & quasi cypressus in monte Sion. Quasi palma exaltata sum in cades; & quasi plantatio roseæ in Hiericho. Quasi oliua speciosa in campis, & quasi platanus exaltata sum iuxta aquam in plateis. Sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi, quasi myrrha electa, dedi suauitatem odoris, & quasi storax, & galbanus, & vngula, & gutta & quasi libanus, non incisus vapore habitationem meã. Ego, quasi terebinthus, extẽdi ramos meos: & rami mei honoris, & gratiæ. Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris.* Eccl. 24. 17.

Quod si Virgo hęc ante ortum suũ gratia furit plena, estq; nunc maiori in plenitudine: quanta (rogo) dicemus Mariã gratia coruscare? Congruit mirabiliter, vt Virgo illa, quæ, quòd esset altare factũ ex lignis Cetim, habuit in se incẽsũ suaue, fragrans mane, antequã aduenire tempus illud, quo diuinũ thymiama, Dei Filius in purissimo hoc altari (vt explicatũ est) adoleretur; dicatur similiter præsentationis die, antequam Filiũ hunc conciperet ventre, germina illa produxisse, ex quibus erant orituri suauissimi flores, qui genitum in vtero eius Filium honorificentissimè circundarent.

Iã sigillatim perspicienda sunt lilia hæc, quę ab hodierno die in Maria cœperũt germinare. Nec enim expectatus est ipse incarnãdi Verbi dies, vt vterũ Virginis lilia decorarẽt: sed ab infantia ipsa erũpere cœperunt, vt tẽpore Filij concipiendi, perfecto iam fulgerent incremento. Verùm ego nunc omnia lilia hæc in auras producere minimè intẽdo; sed vnum, aut alterum ex his, quæ in ætate illa maximè à puellis exiguntur. Quorum si primum dixero verecũdiam, ac ruborem; rem præposterè assumere, minimè videbor. Est absq; dubio pudor prima, quę in puellis requiritur virtꝰ; prima perditio inuerecundia, quæ iam inde ostẽdit, vsq; ad

Maria honestissimus pudor.

Pudor prima fœminarum, præsertim virginum virtus.

Pudor primum puellarum requisitum.

senectam fore perditissimam fœminam. Honestissimus hic puellarum pudor non parùm recreat, non parùm allicit diuinum sponsum; qui eo delectatus, dicit ad sponsam: *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ.* Nihil pudori similius malo punico, ob flammeum vtriusque ruborem. Sed prius fragmen, quàm integer fructus, pudoris est symbolum. Causam exhibet hanc Rupertus vnicam. *Fragmen mali punici rubet magis, quàm integrum malum: & verecundia sine dubio malo punico debuit assimilari. Et tu, Virgo Virginum, singulariter verecundа es: & multis bono exemplo proficis.* Benè aperuit Rupertus malum punicum: bene scilicet sancti Spiritus mentem. Sed libet adhuc fructum hunc magis aperire; mysterium magis inculcare Clausum punicum, rubeum quidem est; at non comparet rubor, dum est clausum: apparet simul cum fragmentis. Rubor in genis fœminarum ex altera è duabus aduenit causis; externa vna, altera interiori. Extrinseca est coccineus puluis, seu purpurissum, aut muricis cruor; quo omnes ferè rubent mulieres, superposita albæ rubea terra. At rubor hic non est magnum pudoris indicium, aliàs nulla ferè non esset pudibunda. Illum omnes pudorem dixerimus, qui nullo adiecto cocco, nec murice, subitò apparet in genis, leui quauis causa erubescendi. Quonam pigmento rubescit Virgo, audito inhonesto quouis verbo? Nullus vtique tunc superponitur genis puluis, neque sanguis. Prodit ergo ab intrinseco in genas rubeus color: atque adeò semper viget intrinsecus; qui, mouente occasione, ascendit ad genas. Cumque rubeus color, aut ex puluere sit, aut ex muricis sanguine, seu conchæ, vt Plinius tradit: consequens est, vt quoties subitò rubescit puella, moto rubescat sanguine proprio, qui occasione quauis perturbatur. In quo illud præterea perpendi à nobis vellem; mouentem causam tum à foris vrgere, tum intrinsecus: quamuis materialis roboris causa semper interna sit, proprius scilicet sanguis. Est interna mouens causa pudorem, cùm deprehenditur accusaturve fœmina culpæ, vel criminis, quantumvis exigui; externa tunc est, quum audito verbo impudico, turpi conuersatione, blanda illecebra, erubescit; imo & audita propria laude; commendatione, seu encomio. Pudor

Punicum malum symbolum pudoris. Similc.

Cant. 4 3.

Ruper. in c. 4. cantic.

Pudor in genis rubes, procedit ab interno.

Plin. lib 9. c. 35. & 37.

igitur hic, qui causa concitatur extrinseca, magna virtus est, fidáque custos puellarum. Tametsi, & ille proficuus sit, qui ex propriæ culpæ accusatione procedit. Est enim adeò procax inuerecundia, seu impudentia, vt inter obiecta publicè flagitia, eaque probata, aut manifesta, perstet vir, siue fœmina adeò immota vultu, vt scelera sua nihili prorsus ducere videatur. Nullum profectò desperatæ virtutis adeò certum indicium. Heu mores! Væ mulieri non erubescenti, cùm & animæ præ pudore efflandæ offertur occasio! Quid ab illa potest iam sperari, cuius cùm ab oculis debeant præ verecundia exire lacrymæ; ne rubor quidem exit ad genas? Quid de illa, quæ obiecto crimine, non solum minimè erubescit, nec confunditur: sed perstat potius procax in illo, illudque defendit, nullum præbens indicium pœnitentiæ? Quum huiusmodi fœminam adeò procacem videritis, dicite indubij, actum esse de illa. Difficulter recuperatur semel perditus pudor: atque adeo & cum eo perdita virtus. Nouit, qui luculenter ponderauit, Tragicus Seneca: inuerecundiam hanc extremum ducens malum, & illud quidem prorsus irreparabile. Verba eius sunt hæc:

Impudentia defendit scelera propria.

Pudor semel amissus nũquam recuperatur.

Impudentia extremum malum.

Seneca Tragicus in Agamemnon.

Periere mores, ius, decus, pietas, fides:
Et qui redire, cùm perit, nescit pudor.

Ecce perijt pudor, qui redire nescit, quum semel perit, seu discedit. Extremum (inquam) putat malum; quandoquidem post perditionem morum, iuris, decoris, pietatis, fidelitatis, vltimam dicit perditionem pudoris: quo raso, nil virtutis manet. Vterque ergo pudor bonus est, ac necessarius; neuter reijciendus. Nam qui reijci præcipitur, ille solus est, qui peccata humiliter confiteri, non patitur. Hic solus est, de quo Ecclesiasticus: *Non est bonum, omnem reuerentiam obseruare.* Propter hunc, posuerunt pudorem duplicem Philosophi: sicut & Euripides in scena. *Pudor duplex est: alter quidem bonus: alter labes domus.* De extremo hoc dixerat 4. in capite Ecclesiasticus ipse: *Non confundaris confiteri peccata tua;* sicut & ibi dixit: *De mendacio ineruditionis tuæ confundere.* Nec contemnenda Plauti sententia: *Plerique homines, quos, cum nil refert, pudet: vbi pudendum est, ibi eos deserit pudor: cùm vsus est, vt pudeat.* Quod si fœ-

Eccl. 40. 20

Euripid. in Hyppolito.

Eccl. 4. 30.

Plautus Epidico act. 2.

Pudor bonus, & pudor malus.

minam deserat, extremum est malum: eò quòd post iacturam hanc, nihil iam sperari possit boni. Itaque sponsæ genæ assimilantur punico fragmento, cuius rubor antequam appareat, erat latens intus in punico malo. Vnde igitur pudor in Maria? Non ex culpa quidem, aut commissa, aut præsumpta: nam integritas morum manifesta fuit cunctis, nemine vitium obijciente. Quidnam mali potuit obijci Virgini, quæ omnibus semper absoluta virtutibus, omni fuit perfectione consummata? Certa historia est, quam ex Epiphanio refert Nicephorus. *Erat Maria in rebus omnibus honesta, & grauis: pauca admodum, eaque necessaria loquens: perquàm affabilis, honorem suum, & venerationem omnibus exhibens. Sine risu, sine perturbatione, & sine iracundia maximè. Fastus omnis expers, simplex, minimeq; vultum fingens, nihil mollitiei secum trahens; sed humilitatem præcellentem colens. Et, vt paucis dicam, in rebus eius omnibus multa diuinitus inerat gratia.* Quid ergo esse potuit, quod mali obijceretur Virgini huic, quo erubesceret? Et erat nihilominus Virgineo prædita pudore. Nicephor. lib. 2 hist. Ecclesiast. c. 25.

Taciturnitas maximè in puellis requisita.

Virtuti huic comes est taciturnitas, quam à diuina cultam puella, dictum est extremis his verbis: pauca admodum, eaque necessaria loquens. Et quoniam virtus est pudori affinis; promitur à sponso statim postilla, quæ de pudore dixit verba. Dicit enim consequenter ad sponsam: *Sicut vitta coccinea labia tua: & eloquium tuum dulce.* Cur coccineæ vittæ labia dicit sponsæ? Qui sponsam intelligunt Ecclesiam, consequenter censent. Ideo labia vittæ dici similia, quòd plurimorum labia fidelium ita fide vniuntur, ad vnum idem confitendum, ac si vittis strictè vnica essent. Vnit enim fides labia multa, ad eandem doctrinam prædicandam, tanquam triplex funiculus, seu instita. Quomodo enim exercerent homines Apostoli monitum: *Idem sapite, pacem habete*, nisi eorum labia vnita loquerentur? Et quoniam vnio hæc absque charitate perfectè consistere non potest: vocat sponsus coccineam vittam, eò quòd coccineus color accensam designet charitatem. Quod nec Apostolus omisit, qui dicens, *Idem sapite, pacem habete*, continenter subdit; *& Deus pacis, & dilectionis erit vobiscum.* At verò nos, qui sponsam sequimur Cant. 4. 4. 2. Cor. 13. 11. 2. Cor. 13. 11

Silentium magna puellarũ virtus.

Fides vnit labia multa fideliũ, quasi vitta ligans ea.

Simile.

Charitas vnit homines ligans eos vitta coccinea.

Mariam, labiorum vittam taciturnitatem intelligimus, quæ Virginis labia ita spontè ligauit, vt quater tantum locuta describatur. Estque vitta hæc ideò coccinea, quòd verba tingeret rubore, quo silendi virtuti pudor iungebatur. Id quippe magnum in puella est, vt quoties loquendum sit, rubore suffundatur, nulla præterea causa, quàm quòd labia aperiat ad loquendum. Quam silentij, pudorisque virtutem notans Bernardus dixit; *Sed in his omnibus quoties verecundissimæ Virginis, quoties pudicissimæ turturis vox memoratur audita? In omni textu quatuor Euangeliorum, si benè meminimus, non, nisi quater, Maria loquens auditur. Primò quidem ad Angelum: sed cùm iam semel, atque iterum allocutus eam fuisset. Secundò ad Elizabeth, quando vox salutationis eius Ioannem exultare fecit in vtero: & eam magnificantem Mariam, ipsa magis Dominum magnificare curauit. Tertiò ad filium, cùm iam duodecim esset annorum; quòd ipsa, & pater eius dolentes quæsijssent eum. Quarto in nuptijs, ad filium, & ministros:* & id quidem mota pietate. Erant ergo Mariæ labia sicut vitta coccinea propter silentium, tum charitati, tum pudori coniunctum. Vndenam rubet, quum loquitur Virgo? Vtique ex eò, quòd non sit assueta locutioni; siquidem vt Philosophus dixit, *Ab assuetis non fit passio:* non fit nimirum immutatio circa eos actus, quibus homo peruius est, aut assuetus. Appositè Ambros. *Virgo erat loquendi parcior: verecunda sermone.* Vtilis verecundia, quæ ad labia exit, & ad genas, & sit alijs fœminis exemplum. Id, quod Ambrosius ipse alibi scripsit, dicens: *Discant mulieres propositum pudoris imitari.*

Silentij symbolum vitta coccinea.

Maria Virgo taciturnitatem perfectissimè coluit.

Maria quater tantum locuta perhibetur: & id quidem sanctissima ex causa.

Bernar. in sermone signum magnum.

Aristoteles cap. de qualitate. Ambros. lib. 2. de Virgin. Ambros. in Lucan. initio. Greg Naz. in monitoriis ad coniugatos. Idem Greg. in oratione, qua exhortatur Virginem. Cypr. lib. 1. epist. 10. Hier. epist. quæ incipit, Retulit mihi. Chrys. st. serm. Quid regulares fœminæ Nyss. in cõment. linguæ Græcę. Basil. lib. de vera Virginit.

Tertium, quod præsentis concionis est vltimum puellarum requisitum, est cubilis clausura, & ab omni virorum colloquio sequestratio. Est Nazianzeni Gregorij sententia: *Laudo fœminas, quas mares minimè norunt.* Nec sola hæc, sed alia in libro alio: *Virorum etiam castorum aspectum fuge: ne forsitam macula vulnereris, aut vulneres.* Ponderat magis adhuc Cyprianus; latius Hieronymus: vehementius Chrysostomus, & Nyssenus Gregorius: dignis, quæ non omittam, verbis Basilius: *Grauis, ac vehemens virorum erga fœminas vrget concupiscentia: & masculinis corporibus est in iita, vt non possit euelli, quæ, nisi vi quadam opprimatur, pudorem omnem paulatim*

Puellarum clausura valdè necessaria.

Virgines abstrahendæ à conuersatione.

Occasiones impensè fugiendæ.

paulatim excutit, ipsumq; iudicium, & sanitatem mentis euertit. Quis non timebit? Quis non formidabit? Quis non cauebit?

Maria pervigilem domus clausuram semper coluit.

Quapropter diuina puella nostra in templo est præsentata; in cuius domo Virginibus segregata, per annos decem, quousque nuptui traderetur, tranquilla vixit clausura, ac solitudine. In tantum, vt ab illius temporis Hebræis appellaretur Ahalma, id est, abscondita, vt Hieronymus notauit. quam inde laudat, & Chrysostomus, dicens: *Erat virgo per cuncta admirabilis; cuius animam decebat, ab omni esse tumultu cogitationum immunem: quæ tanti electa est ministra mysterij.* Idem Damascenus. Hier. in c. 7 Isai, & in epistola ad Eustha. de casta Virg. Chrysost. supr. Damascen. orat. 1. de natiu. Virg.

Maria cunctis à principio perfectionibus absoluta.

Ecce ex eo, quòd ad tam excelsum mysterium, Dei nimirum genitricis, electa sit; omnibus à principio perfectionibus consummata iure existimatur à Patribus. Pertinuit enim ad Dei honorem, vt talem à principio formaret Mariam, qualem decebat esse, quæ eum erat genitura. Apositè B. Leo: *Virgo Regia Dauidicæ stirpis sacro grauidanda fœtu, diuinam, humanamq; prolem prius mente concepit, quàm corpore.* Leo serm. de natali Domin. qui in incipit Saluator.

Maria vterus à principio dictus est beatus.

Meritò ergo legitur hodierna die Euangelij pars, qua mater vocatur Beatoris. Imo & iure optimo vocatur iam beatus venter eius; quòd Dei Filium esset portaturus. Est alia ratio ab ea, quæ in reliquis beatis, in vtero Virginis, vt ante possessam beatitudinem, beatus appelletur. Dicitur beatus ille, qui est diues meritis, quibus debetur possidenda postea beatitudo, quæ in Dei possessione consistit.

Maria beata ante ascensum in cælos.

Sic dixit Rex vates: *Beati omnes qui timent Dominum; qui ambulant in vijs eius.* Quare beati? *Labores manuum tuarum quia manducabis; beatus es, & benè tibi erit.* Quia manducabis tuorum fructus laborum, eritque tibi benè præstituto tempore; ideò beatus es; non dicit eris beatus; sed beatus es præsenti tempore. Erat ergo Maria præsentationis die beatissima; quandoquidem assignata erat iam, & destinata; imo in id formata, vt Deum gigneret, & pareret. Sed plus vltra: nam citior expectabat vterum eius beatitudo, quàm reliquos cœlitus beandos. Vterus enim Virginis verè beatus fuit, quum Dei Filium concepit, ac gessit, nam propter solam beatitudinem, quæ in cœlis & debe- Psal. 117.

Maria habens Deum in vtero beata erat.

batur: sed propter ipsam etiam possessionem, qua intra se ipsum habebat Deum. Vnde Mariæ Beatitudo duplex fuit; & possessio Dei in vtero suo; & eiusdem possessio, qua Deo ipso fruitur in æternum. Duplicem hanc Mariæ beatitudinem ostendit præsens Euangelium; alteram sententia mulieris dicentis: *Beatus venter, qui te portauit:* alteram, dum respondit; *quin imo beati, qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud.* Quoniam Virgo ipsa multò plenius custodiuit Dei Verbum, quàm omnes simul Sancti, homines, & Angeli. Ideò videns eam prægnantem iam Elizabetha,
Luc. 1. 43. dixit ei, *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me: & beata, quæ credidisti.* Fide nempe vniuersis formata virtutibus. Mirum, quòd statim ac peperit Virgo Dei Filium.
Luc. 2. 19 51. *Maria conseruabat omnia verba hæc in corde suo.* Perpendite distantiam à verbis ad Verbum in Maria. Verbum habebat in vtero, in corde verba. Verbum Dei in vtero incarnatum; in corde Dei verba conseruata. Videte (obsecro) quàm prope habeat Verbum, & verba. Cor propinquum est ventri, venter cordi. Nihil interponit Virgo verbis, & Verbo; vt nihil in ea mediet inter Deum, & Deum. Alebat ventre Verbum Dei; verba Dei corde conseruabat, vt & corde, & ventre esset beata. Partes hominis agnoscimus duas, carnem, & spiritum: quarum vtramque Deo libens tradidit Maria. Vterus est carnalis pars, cor pars spiritalis. Cum ergo Verbum Dei, quod spiritus est exciperet Virgo in interiori suo: nutriuit ventre, quatenus erat Verbum caro factum: conseruauit & corde, quatenus Verbum erat spiritus: eratque Verbum obedientia conseruandum.

Maria præteris custodiuit verba Dei.

Si ergo Sancti quique ex nunc iam beati dici solent, quòd fundamentum habeant beatitudinis: quantò magis purissima hæc Regina cœli debet dici beata in die hac, qua Deo præsentatur, vt in eius matrem præparetur? Præsertim, cùm ex nunc iam conseruet corde Verbum, quod postea geret ventre. Hodie, hodie ab Ecclesia dicitur, *Beatus venter, qui te portauit*; & eodem fundamento similiter dicitur: *& vbera, quæ suxisti.* Beata planè vbera, quæ, vt lactarent Deum, consecrata sunt hodie. Vndenam beata? Quid inquirimus vnde? quisnam quæret, vndenam Deus beatus sit? Est quidem beatus Dei Filius, quòd à Patre Deo

Maria inde beata vnde beatus est Deus.

propria eius ſubſtantia nutritur; *Ego viuo* (ait) *propter Patrem*: quoniam Patris alitur ſubſtantia; & Pater eſt ſimiliter beatus, quòd ſubſtantia ſua nutriat Filium ſuum. Si ergo Pater eſt beatus, quòd ſua Filium alat ſubſtantia: nonne erunt beata vbera hæc, quæ eundem Filium lacte nutriunt ſuo? Imo adeò beata, vt ex nunc iam beata iure dicantur, eò quòd talem ad nutritionem deſtinata ſint, & conſecrata. Ioan. 6. 58.

Beatus ergo venter, qui te portauit: Beata vbera, quæ ſuxiſti, ô Virginis fili! Et beatus venter tuus, & vbera, ô Dei mater, cùm & ventre, & vberibus ſuppar ſis Deo Patri, gignens ventre, quem gignit, alens vberibus, quem ſua filium alit ille ſubſtantia. Beatus venter, vberaque beata, beata tota tu, & beati, qui te deuotione imitantes, imitatione ſequentes, ad cœleſtem perueniunt templum, vbi Deo tecum præſentati, & te, & Deo ipſo æterna fruuntur beatitudine.

IN PRÆSENTATIONE B. VIRGINIS MARIAE.

SERMO II.

Luc. 11. 27. *Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti.*

SECVNDVM notas nostrarum leges Hispaniarum, fortunatus quisque auri fodinæ inuentor debet quàm primùm inuentæ à se fodinæ primitias Regi præsentare; quod Hispani dicimus, *Registrar las minas*; vt post occupatam ab inuentore ipso signatam sibi; ex lege, fodinæ partem, suæ Rex capiat possessionem; deinde inuentor partem aliam secundam: & post hunc amici eius, hique partem maiorem, aut minorem iuxta rationem amicitiæ. Eximia est inuentoris hilaritas, eximia & Regis, ac regni quidem vniuersi non modica, quum inuentum fodinæ metallum multi ac prætiosissimi auri præbet specimen: lætissimisque tunc alacritatibus celebratur inuentio, vt quæ cunctis Regni incolis prospera, ac vtilissima speratur. Quæ (rogo) adeo grata, adeo iocunda, adeo læta, & alacris potuit Deo fieri oblatio, ac diuinæ huius infantulæ nostræ, cœlique Reginæ, & Angelorum: quæ fœliciſsima auri fodina est, ex qua prætiosissimum illud educendum est aurum, *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei abscondit.* Quod si sapientiæ thesauri, verè thesauri sunt, & ratione hac verè sunt in Christo thesauri: consequens est, vt mater eius auri fodina verè debeat appellari. Præsertim cum Damascenus appellet eam sa-

Coloss. 2. 3.

Maria Virgo auri fodina, ex qua supremus Rex infiniti valoris eduxit aurum.

Maria prius Deum, quam parētes eius habuit possessionem.

Maria plus diuinum habet, quàm terrestre.

pientiæ thesaurum; quia incautæ Heuæ verbis serpentis credulæ simplicitatem emendauit, dum Angelo prudenter respondit, quomodo fiet istud? Terra (fateor) est puella hæc nostra, ex terrenis oriunda parentibus; tamen & auri metallũ est terra; sed auro permista. Hoc inter Mariam, aurique fodinam quamlibet interest discrimen; quòd gleba metalli quæuis plus terræ habet, quàm argenti, vel auri; Maria plus auri, quã terræ: plus virtutum, ac gratiæ, quàm terræ, à primis ductæ parentibus. Imo plus vltra adiecit Damascenus: Immaculata: quæ cum terrenis affectibus nihil habet commune. Sed & ille ex visu testis Ignatius, antequam testis esset ex visu, sic scripsit ad eum, qui eam domi habebat, beatissimum Ioannem. *Sicut nobis à fide dignis narratur, in Maria matre Iesu, humanæ naturæ natura sanctitatis Angelicæ sociatur.* Tantum profecto infantula hæc nostra habet auri, vt supremus Rex communes, ordinariasque fodinarum leges circa puellam hanc seruari, minime sit passus; eò quòd extraordinarium prorsus metallum sit. Accipit nimirum ipse Rex pretiosissimi huius fodinæ possessionem priusquàm inuentores eius, parentes scilicet, accipiant. Deo quippe ipsi præsentatur hodie prius, quã parentibus suis præsentetur: cum ad seruiendum prius Deo, quàm ipsis suis ministret parentibus, vix ablactata præsentetur. Imo antequàm ipsa eius genitrix possessionem illius in vtero acciperet, anteuerterat Deus, capiens eius possessionem, quum eam creare decreuit: vt ipsamet fatetur dicens: *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Difficilis est apud Doctores assignatio causæ, qua Chronologus Matthæus eam, quam orditur Dominicæ generationis, lineam ducat ad Ioseph, Mariæ sponsum, non ad Mariam ipsam, nec ad Christum: cũ propositus in libri titulo Christus nullatenus ex Iosepho ipso genitus perhibeatur, sed ex sponsa eius Maria operatione Sancti Spiritus. Iacob autem *genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus.* At ego vnam quidem hãc veram dicerem huiusmodi causam genealogiæ, quòd voluerit Deus, eam, quam Mariæ habet possessionem, priorem illa, quam habent parentes enarrari. Si enim genealogiæ linea ad Christum directè duceretur: tunc quidem Mariæ parentes, prius quàm Maria ipsa

Damasc. Orat. 1. de dormitione Deiparæ.

Damasc. Orat. 2. de Assumptione.

Ignatius Epist. ad S. Ioan.

Prou. 8. 22.

Genealogia Christi cur nõ ad ipsum, sed ad Ioseph trahatur à Chronographis.

Matt. 1. 16.

scriberentur; ac consequenter scriberentur prius, quàm Dei mater narraretur illa. Voluit autem Deus, vt prius narraretur Dei mater, quàm Annæ filia, atque Ioachimi, vt cunctis innotescat, à Deo ipso captam Mariæ possessionem prius, quàm ab ipsismet Mariæ parentibus. Quòd si prior aurifodinæ huius possessor est Deus: omnium quidem partem thesauri huius aliquam optantium recursus ad Deum ipsum esse debet; qui copiosissimos gratiæ thesauros, à gratissima hac puella eductos, inter nos hodie placidè distribuet: præsertim, si cum Ioachimo, & Anna eius parentibus, nos quoque puellam obtulerimus ei, eandemque virginem inuocauerimus interuentricem, salutatione Angelica dicentes,

AVE MARIA.

NIhil inter omnes diuinas, humanasque res hominibus cuiusuis conditionis ob oculos est, aut accuratius constituendum, aut prius, quàm debita hæc, quam sui ipsius tenetur quisque creatori suo facere oblationem. *Oblationem sui facere Deo ante omnia tenetur homo.* Hanc quoniam primus ex hominibus natus, Cain, non omnino plenè reddidit Deo, tantum ei displicuit, quantum placuit eius frater Abel, qui obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum. Obtulit quidem etiam Cain, sed nec de primogenitis, neque de adipibus; sed de illis, quæ post longum nata sunt tempus. *Factum est autem post multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino.* Imo si discursum retrotrahamus ad primos duos illos, qui non ex alijs nati, sed creatione à Deo facti sunt, Adamum, & coniugem; sæpius profecto cogitaui, ideo lapsum eorum à Deo permissum, quòd huiusmodi oblationem, tam primitiarum, quàm sui ipsorum, Deo feciſſe, nusquam perhibeantur. Quin nec earum oblationem primitiarum, quas proprio labore comparare debuerunt. *Plantauerat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio; in quo posuit hominem, quem formauerat.* Et

Gen. 4.4.

Gen. 4.3.

Gen. 2.8.
Gen 2.15.

Oblationem tam sui, quàm primitiarũ suorum laborum facere Deo quisquis negligit, ab eo derelinquitur iustissimo iure.

Oblatio Deo fieri debet ex primitijs earũ, quæ proprio labore nascuntur.

Adã iussus operari in paradiso, vt proprij laboris offerret fructus Deo.

Paulo infra: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis; vt operaretur, & custodiret illum.* Si paradisum illum omnibus Deus ipse fructibus, ac delicijs plantauit abundantem; quo (rogo) fine voluit, vt in illo homo operaretur? Variæ finis huius causæ reddi solent: hanc eis vos, si iudicaueritis dignam, adscribetis. Nempe debitas Deo ex terræ fructibus primitias, debitaque similiter ex animantibus primogenita, ea quidem esse, quæ proprio hominis labore, cultuque producuntur. Quocirca, si ex eis, quas natas iam in paradiso pecudes, ac fruges offerret Adamus: parum sanè, aut nihil obtulisse videretur; cum ea omnia à Deo inuenerit perfecta. Propria vtique opera, & impensa debebat sedulus incumbere tam agri cultui, quàm pecorum alimento: vt ex eis, quæ ministerio eius orirentur, primogenita offerret, atque primitias creatori, à quo tam munificè omnium, tam lignorum, quàm animantium constitutus est Dominus. Quem Dei finem, si quis forte negare absque ratione contenderet; illud saltem ambigere nequiret; nullo, præter hunc, fine, aut, cum minimum, hoc inter alios fine præcepisse Deum, ne ex fructu scientiæ ederet homo, dum ei dixit: *Ex omni ligno paradisi comede: de ligno autem scientiæ boni, & mali, ne comedas.* Quoniam profecto primitiam Deo tenebatur offerre arborem illam, quæ in omnibus erat præstantissima. Gen. 2.17.

Adam cur prohibitus comedere fructum scientia. Lignum scientiæ cur Adamo vetitum.

Noe an defecerit omissione offerendi Deo vineæ primitias.

Ideo in vniuersi renouatione cum diluuij aquis purificatus est Noetus ille, qui in constructa à se arca cum omni est custoditus familia, nihil prius fecit, quàm debitam pinguiorum omnium, cuiuslibet speciei mundorum animantium oblationem. Egressus est ergo Noe, & Filij eius Gen 8.18.
vxor illius, & vxores filiorum eius cum eo. Sed & omnia animantia, iumenta, & reptilia, quæ reptant super terram. *Ædificauit autem Noe altare Domino: & tollens de cunctis animantibus, & volucribus mundis obtulit holocausta super altare.* Hoc primũ, quod continuo egressus, fecit Noe. Quantumne ex eo placuit Domino? *Odoratusque est Dominus odorem suauitatis, & ait: nequaquam vltra maledicam terræ propter homines. Non igitur vltra percutiam omnem animam viuentem, sicut feci.* Perpendite, quàm sint oppositi effectus. Negligẽti Gen. 8.21.

Oblationem sui facere Deo ante omnia tenetur homo.

Oblationem tam sui, quã primitiarũ suorum laborum facere Deo quisquis negligit, ab eo derelinquitur iustissimo iure.

Oblatio Deo fieri debet ex primitijs earũ, quæ proprio labore nascuntur.

Gen.3.17. circa oblationem Adæ dixit; *Maledicta terra in opere tuo:* Noeto autem circa eam maxime sollicito; *Nequaquam vltra maledicam terræ propter homines.* Insuper, quoniam debitum Deo eminentissimum fructum, non Deo, sed sibi applicuit Adam, audiuit ab illo verba ista; *In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: Spinas, & tribulos germinabit tibi.* Iusta quidem retributio, vecordi illi; qui potiora sibi, cùm Deo offerri deberentur, applicuit. Noe vero audiuit verba hæc; *Cunctis diebus terræ*, sementis, & messis, frigus, & æstus, æstas, & hiems, nox & dies nõ requiescent: id est; non cessabunt suis alternationibus venire. Nempe non erit, sicut fuit vsque huc toto fere anno isto, in quo nulla fuit noctis à die, ab hieme veris, æstusque distinctio: sed totum fuit hiems, totum nox, præ horrendo diluuio, tetraque caligine, atque frigore. Erunt ex nunc iam composita valde, ordinataque tempora, vt terra suauissimos germinet fructus. Tanta est oblationis apud Deum æstimatio, quum omnia, vt par est, offeruntur ei primitiua. Parum profecto abest, vt suspicer, vel ipsum Noe, qui adeo, vt nunc audistis, in oblatione ista fuit sollicitus, in obscurum aliquid, tantoque viro indignum incidere permissum, eo quod prædictæ oblationis seriem prosequi omiserit aliquando. Etenim postquam ex arca egressus, relata obtulit primitiua, terram colere cœpit, sicut necesse erat ad viuendum.

Oblationem Deo nouam deberi, quotiescunque nouum aliquod nascitur.

Gen.9.20. *Cœpitque Noe, vir agricola exercere terram, & plantauit vineam: bibensque vinum, inebriatus est, & nudatus in tabernaculo suo. Quod cum vidisset Cham, Pater Chanaam, nuntiauit duobus fratribus suis foras.* Quod in magnam ignominiam feciſſe parentis, constat ex horrenda illa ipsius Noeti indignatione, maledictioneque tremenda, qua reuelatorem dedecoris

Gen.9.25. sui filium percussit, dicens; *Maledictus Chanaan: seruus seruorum erit fratribus suis.* quę igitur causa esse potuit, vt tam fidum Dominus amicum, tam sollicitumque primitiuorum oblatorem, tam in ea gratum oblatione in pudendam istam, tum ebrietatis, tum nudandi corpus, nec non illati à filio ludibrij ignominiam incidere permiserit, nisi aliqua viri in prosequendis oblationibus iniuria? Nihil enim mali eum feciſſe legimus à die susceptę benedictionis ad prędictę diem ebrietatis, nisi dicamus, nonnullum eius

fuisse

fuisse defectum, quòd plantatæ ab eo vineæ primitias Deo offerre non curauerit, sed biberit ipse, auidus videndi, qualenam esset vinum, quod expressit. Non, quod magnæ iniuriam istam tribuam culpæ; qui aperte videam, virum vsque ad mortem fuisse sanctissimum, nimisque laudatum, non solum à Sanctis Ecclesiæ Patribus, sed à canonico ipso Ecclesiastico scribente; *Noe inuentus est perfectus*: Sed quod meritò censeam, quantumuis circa huiusmodi oblationes incuriam, etiam in viris iustis, grauibus à Deo puniri supplicijs; nec in amicis quidem eam à Deo dissimulari. Nec dissimulabo ego notandam quandam in proposito isto collationem. Neglexit primus formati mundi vir, primitias Deo offerre paradisi, eas ipse manducans cum vxore, scientiæ fructum, vt nunc dixi; *Et comedit; deditque viro suo: qui comedit. Et aperti sunt oculi eorum: cumque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.* Omisit & primus reformati mundi vir, vineæ suæ offerre Deo primitias: *Bibensque vinum*, primitias scilicet, *Inebriatus est; & nudatus in tabernaculo suo*: Nonne, & omissionis, & supplicij similitudinem in vtroque dispicitis? Video, grauiorem longe Adæ fuisse omissionem, pœnamque consequenter grauiorem; nam, & fœdiore captus fuit ebrietate, dum vetito fructus illius esu Deum se fieri præsumpsit, & nuditate expoliatus turpiore, qui nullam exuens corporis vestem, nudum se cognouit, cum minime nudum, antequam peccaret, cognouisset, vt intelligatur elegantissimum gratiæ vestimentum exuisse: & timuit præterea ob nuditatem, cum non timuerit Noe, sed erubuerit, quæ maxima sunt inter vtrumque hominem discrimina: & illud super omnia, quod apud Filium fuerit Nudus Noe, Adam apud Deum Creatorem: tamen omnia hæc vtrique fuerunt similia, quamuis in æquali penitus gradu. Domine Deus, nonne contentus es, nonne fuit sufficiens, quod ex prima Noetus possessione primitiua tibi obtulerit pecora, vt nulli culpæ tribuas ei; quod vineæ omiserit offerre primitias? Absit, ex vinea quoque tenebatur offerre, vt cunctis palam innotescat, minime quidem satis esse, si semel, ac iterum, pluriesque Deo faciant oblationem: sed diebus omnibus nouam ex nouis esse faciendam; aut ipsam antea factam re-

Ecclesiast. 44. 17.

Gen. 3. 6.

Adami, & Noeti collatio in nuditate.

Noeti, & Adami collatio in nuditate.

Oblationem Deo nouam deberi, quoties nouum aliquod nascitur.

nouandam. Quod, si illud scientiæ lignum, cuius fructu crapulatus est Adam, vitem fuisse censeamus, luculentius adhuc connectentur vtriusque viri ebrietates, & supplicia. Fuisse autem vitem illud scientiæ lignum, mihi profecto ex coniecturis multis pene indubitatum semper fuit. Imprimis propter ligni, ac fructus & speciositatem, & suauitatem. *Vidit igitur mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, adspectuque delectabile.* Quæ autem est inter arbores omnes adeò visui iocunda, adeò speciosa, adeò delectabilis, & grata, vt viridantibus folijs, botrisque onusta vitis maturis? Quis arborum fructus suauitate saporis cum vite comparandus? Est præterea fructus inter omnes, quos in terra sciamus, celeberrimus, omniumque prætiosissimus: & cuius cultui diutius, ac intensius incumbunt homines, quàm reliquis omnibus simul ex alia parte consideratis. Insuper ligni scientiæ nomen in nullum præterea conuenit inter arbores. Vino quippe disertos fieri, sapientesque homines acceptissima fuit inter sapientes ipsos commendatio, Græcos, Latinos, ac spartanos. Nisi mordax quispiam pergat satyricus dicere, sapientes illos vini ductos sapore, eique bene affectos, prætextum fuisse machinatos, quo suam ebrietatem excusantes, eam sapientiæ verterent, non dementiæ. At certe nihil tale sapientes illos fuisse commentos, licet suspicari; Platonem præsertim, Horatium, Pausaniam, qui vera semper de vitijs scribere, ac virtutibus, honori suo penitus expedire duxerunt; etiamsi eorum aliqui in vitium quodpiam aliquando defluxerint; Maxime conducti vero potius fuerint fundamento, quàm vino. Acuit etenim vinum ingenia, vt multa argute loquantur temulenti, quæ sedati non dicerent. Liquor enim hic, non secus, ac pennæ, corpus attollit, ac perquam agiliter volitare facit, vt Pausanias latius probauit. Id, quod aperte scripsit Horatius carmine illo,

Fœcundi calices, quem non fecere disertum?

Apud Platonem legimus, explorandis adolescentium ingenijs conuiuia nonnunquam inducta, quo illi ad pocula se benignius inuitarent, eoque calore ab intimis se expe-

Gen. 3. 6.

Lignum scientiæ videtur fuisse vitis.

Scientia arbor vitis.

Fructus scientiæ videntur vna.

Adam quinam fructu comedens, delíquit.

Vitis lignum scientiæ.

Vino diserti fieri ingenia.

Pausanias tertio. Horatius, Plato.

ctorarent præcordijs, quæcumque assequi poterant, proferentes. Si ergo fructus ille arboris scientiæ vua fuit: Vndecumque sane consimilantur duo isti homines primi, qui ebrij inuenti sunt, inuenti nudi ex ebrietate, ac consequenter exploratum magis, quàm sit vniuersali actori displicens quæcumque circa debitam oblationem iniuria.

Parua sunt hæc; nisi & semetipsum offerat homo omnium primitiam primitiarum. Quid enim æstimabit creator belluarum, ac frugum oblationem, si tu tibi ipsi, non ei offeras, cum potissimum præ illis, nobilissimumque opus sis manuum suarum? Vtique tanto excelsior sanctificatio tua est, quanto nobilior oblatio. Audi beatum Augustinum. *Quanto maior est oblatio, tanto eminentior sanctificatio.* At quantonam maior es tu ipse cæteris sub cœlo creaturis? Iam Dei verba ex ore Pauli attentius audiamus. *Obsecro itaque vos fratres, per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, Sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Rationabile ait, nempe oblationem rationabilem, quæ sola solus es tu ipse; nam pecora rationis sunt penitus expertia. Atque itidem sane rationabile, quoniam rationi consentaneum, vt ei, qui, & illa, & te fecit, creatori non illorum tantum offeras primogenita, à debita abstrahas oblatione te ipsum. Quinetiam, nec te ipso contentus est creator, si solum ei offeras corpus. Ne existimes, corpus exigi solum eo, quod audias, exhibeatis corpora vestra: animum etiam, & hunc imprimis petit Apostolus. Perge paulisper, vlterius legens. *Sed reformamini in nouitate sensus vestri*, id est, *mentis vestræ*, quæ est Syriaca translatio, elegans satis. Ait enim translatio hæc. *Peto, vt sistatis corpora vestra.* Quid est sistatis? Id certe est: Ita Deo ea exhibeatis, vt nulli vltra rei offeratis ea; sed soli Deo sistantur oblata. Et addit: transformemini per renouationem mentis vestræ. Deo igitur quisquis offertur, homo, ei sistendus est totus, integer ei & corpore, & mente præsentandus, nulla sui parte ad alios distracta vsus, finibus extra hunc applicita nullis. *Vna igitur*, ait Cyprianus, *Placida, & fida tranquillitas! vna solida*

Aug in appendice de diuersis sermone 49. qui est de cruce, & latrone.

Rom. 12 1.

Syriaca, ibi.

Cypri. Epistolarũ li. 2. Epist. 2. quę est ad Donatum.

& firma, & perpetua securitas, si quis ab his inquietantis seculi turbinibus extractus, salutaris portus statione fundatus, ad Cœlum oculos tollit à terris, & ad Domini munus admissus, ac Deo suo mente iam proximus, quidquid apud cæteros in rebus humanis sublime, ac magnum videtur, intra suam conscientiam iacere gloriatur. Nihil appetere iam, nihil desiderare de seculo potest, qui seculo maior est. Quam stabilis, quam inconcussa tutela? Quam perennibus bonis cœleste præsidium implicantis mundi laqueis solui, in lucem immortalitatis æternæ de terrena fœce purgari. Nec ea est, quæ ex Christi solum lege exigatur oblatio: sed ex vetere etiam, & hoc primum illius postulatum. Exod. 13. 2. *Sanctifica mihi omne primogenitum, tam de hominibus, quam de iumentis.* Parum dixi postulatum primum; postquam primum est; quod valde miror. Nam in ipsa egressionis nocte, in qua ab Ægypto, vbi laborabant captiui, eduxit Deus Israelitas, vt se ei offerrent in deserto, præceptum oblationis sui faciundæ sedulus iniunxit, cum omnes tunc festinatione magna sarcinas ad egressum præpararent. Nec expectare voluit ferendæ legis tempus, quam eductis iam ex conflictu illo, penitusque sedatis, in deserto promulgauit, vt hoc cum reliquis præceptum daret; sed iniunxit cautus ante egressum, quasi ex pacto, quo illi offerre se Deo tenerentur, si manu eius à seruitute illa vellent liberari: ne accideret illud, quod in hominis primi eductione illa, qua in vitæ lucem ex nihilo eductus est: cui, cum nondum in lucem educto pactum istud proponi non posset, defecit educto iam ad vitam debitus ille iustusque respectus, quo se quam primum offerre Deo tenebatur.

Occurrit verumtamen aliqualis difficultas circa prædictam illam sententiam nostram, qua hominem primum paradisi ligna excolere in id diximus iussum, vt proprij Deo primitias solueret laboris: non ex eis solum, quas Deus arbores nullo hominis creauerat ministerio. Quod si ita est; minime quidem apparet, qua ratione possit se ipsum homo offerre primitias, cum à Deo integer creatus sit, nec manuum opus propriarum. Quid dicemus?

Translatio Vatabli circa illud Apostoli verbum, *Exhibeatis corpora vestra, rationabile obsequium vestrum*, apposite omninò dissoluit nodum, nempe, *rationalem cultum vestrum*. Itaque vt homo digne offerat seipsum Deo, debet profectò colere seipsum: qui solus rationalis est cultus. Cum enim Deus te formauerit totum: rationabile est, vt aliquid agas in teipso, quod Creatori offeras primitias: cultum saltem tui, qualem creatis iam à Deo pecudibus, ac lignis tuo applicas labore. Hic (inquam) est rationabilis cultus: cæteri irrationabiles, vt qui rationalem naturam minimè colunt, nec adaugent. Non dixerim rationabilem ego cultum illum, quo elegans iuuenis exquisitis se ornat vestimentis; non illum, quo barbam, comámque curiosus nimis crispat, & concinnat, non quo pulchra affectu fœmina toto sibi intendit die, ac nocte tota fucis, sertis, mitris, floribus, sericis, monilibus: imò, nec illum, quo litterosi homines libris noctu incumbentes auidi nimis eo lucubrant fine, vt vel lucrentur magna copia pecuniam, domosque suas sumptuosè amplificent, & exornent, vel clari valde, nec vulgariter sapientes habeantur. Illum ego verum sui ipsius dixerim cultum, quo se accuratissimè excolit homo, eo vnico fine, vt seipsum Deo defœcatum offerat, dolatum, politum, concinnatum, & sicut primus vineæ ille verus est cultus, quo incipientes lacrymari palmites putantur: deinde infunditur aqua, terráque expurgatur, & mollitur, eóque modo ampliſſimi fructus colliguntur: ita tu amice, cum à Deo aliqualiter motus, doloris lacrymas ex oculis tuis videris oboriri, ad putationem protinus accelera: ad superfluitatum putationem tuarum: ad illarum rerum putationem, quæ à mundanis hominibus cultus existimantur. Cultus verus est, prophanum à te præscindere cultum. Intellige Deum; qui prædicta illa egressionis nocte, qua ab Ægyptiaca seruitute eduxit Israëlitas, prædictúmque illis oblationis sui dedit mandatum, dixit, & verba hæc ad id pertinentia; *Quod si quis peregrinorum in vestram voluerit transire colonia, & facere Phase Domini: circumcidetur prius omne masculinum eius, & tunc rite celebrabit.* Quo dicto, continuo expressit oblationis præceptum, vt planè innueret, ad per-

Vatablus ad Roman. 12. 1.

Mortificatio præparamẽtum oblationis Deo faciendæ.

Oblationem sui facturus homo, colat prius, amputans superflua.

Exod. 12. 48

fectam oblationem, superflua quæuis amputanda prius ab eo, qui Deo se offerre parat. Dignissima, quæ attente auscultentur in propositum istud sponsæ verba perpendamus. Cant. 2. 10. Quæ dicenti sibi sponso. *Surge, propera amica mea, & veni,* Cant. 7. 11. *tempus putationis aduenit, sic respondit. Veni dilecte mi: mane surgamus ad vineas; videamus, si floruit vinea*; si flores fructus parturiunt: ibi dabo tibi vbera mea. Itaque sponsus ad putationem vocat sponsam: Hunc illa postea ad vineam considerandam, sintne fructus maturi, quorum primitias offerat sponso, séque ipsam cum eis. Nec prius vbera, se videlicet ipsam, quàm debitas simul vult offerre primitias.

Est tanti apud Deum nobilissima hæc, quam fœlix homo suiipsius, tum & primitiuorum ei facit, oblatio, vt in celeberrimo illo cultus sui templo, à Salomone consecrato, segregatas voluerit, tum pro puellis, tum pro pueris esse mansiones, templo ipsi contiguas, vt tam fœminarum, quam virorum ei in templo offerrentur primogeniti, oblatique sibi, in eis, loco illo permanerent, vsque ad pubertatem 2 Reg. 1. 24. adolescentes, vsque ad nubilem Virgines ætatem. Constat, quoad pueros, ex celeberrima Samuelis præsentatione, quâ continuo ablactatum, pia genitrix Deo præsentauit, in templóque reliquit perpetuũ Domino ministrum. Quoad Exod 38. 8. puellas est in Exodo textus: *Mulierum, quæ excubabant ante* Greg. Nyss. homil. de humanitate Christi. *faciem tabernaculi*: Quod latè digerit Nyssenus Gregor. & Origen. Nec enim esset par, vt in templo illo, in quo pro relatæ legis obsequio, tot pecudum millia semper offerebantur, vt libro Regum legimus tertio, potissima, quæ primogenitorum hominum est, deficeret oblatio. Origen. Tract. 26. in Matth. 3. Reg. 8. 5.

Virgines in templo quãdam degentes.

Pueri quondam degentes in templo.

Templum Dei segregatas pro pueris, puellisq; educandis habuisse mansiones.

Iuxta morem hunc consecrantur & hodie in Christiano populo multi Deo pueri, puellæ multæ in templo eius ministraturi, ac penitus ei mancipati. Eo tamen discrimine, quod antiqui illi non perpetuo, sed pro tenera tantum offerebantur ætate: nostri pro tota vsque ad exitum vita. Sed vereor, ne qui ad huius vitæ institutum, ac statutum nostro sæculo omittunt præsentari, ita ab oblatione ista sint alieni, vt nulla ratione Deo præsententur. Summa profectò parentibus opus est cura, vt filios suos statim à lacte amotos offerant Creatori; si non in religionibus perpetuo victuros, domi saltem suæ benè morigeratos, instructósque iu-

Pueri offerendi à parentibus Creatori.

Infantes Deo offerendi.

Educatio filiorum.

Puerorum puellarumque educatio.

giter, vt seipsos ei offerant semper, caueantque ab ijs omnibus, quæ ei possunt displicere. Cum prudentissimus Seneca longum de beneficijs, quæ homines alij aliis impendunt, scriberet tractatum: nullum maius filios à parentibus accipere beneficium, resoluit, quam solertem huiusmodi doctrinam, educationem, instructionem. *Hæc sanè maxima parentum beneficia, quibus scilicet filios rectè educant. Adolescentibus quoque, ac iam potentibus sui, si remedia metu, aut intemperantia reÿciunt, vis adhibetur, ac seruitus.* Itaque beneficiorum maxima sunt, quæ à parentibus accipimus, dum aut nescimus, aut nolumus. Timendum est horribiliter parentibus, ne non filiolos ab infantia se Deo præsentare doceant: ne si creatori non se præsentent, prorsusque se ei dedant, dedant se vitijs; vt effectu vitijs se dedunt vniuersis, quicumque se Deo ab ineunte ætate tradere non curant. Tremendum, si videns pater, siue genitrix incipientem vitia sapere, quantumuis minimè filiorum, non magna coërceat diligentia, tum monitionibus, tum plagis, cùm illa extrema plaga sit, si Deo se non offerat, si offerat mundi vanitatibus. *Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam.* Est autem in hac parte mirabilis valde Septuaginta Interpretum translatio, quæ sic habet, *Dementia pendet è corde iuuenis.* Videntur quidem oppositæ lectio hæc Septuaginta, & Vulgata lectio, nempe Verbum colligata, & Verbum, pendens. Sed enim profundissima ex vtroque sententia est, valdéque suspicienda. Est quidem stultitia pueri cordi colligata, quoniam eã ex ventre matris eduxit, sicut nascens infans colligatis est manibus: at est nihilominus pendens stultitia, quatenus tenera illa ætas ab educatione pendens est, vt cadat, si vigeat educatio; si lentescat hæc, dementia intimius colligetur.

Senec. lib. 6. de beneficijs c. 24.

Virgines in templo quãdam degentes.

Pueri quondam degentes in templo.

Templum Dei segregatas pro pueris, puellisq; educandis habuisse mansiones.

Pueri castigandi.

Filiorum educatio.

Prou. 22. 15.

Septuag. ibid.

Pueri offerendi à parentibus Creatori.

Consuetudo ab ineunte ætate in bonum inchoanda.

Infantes Deo offerendi.

Sanè non tantum est mali (quamquam & hoc graue malum est) pueros sibiipsis committi; propter illa, quæ effrænati multa admittunt flagitia, quantum propter irreptionem consuetudinis, quæ si in tenera ætate animi capit possessionem, nunquam, nisi magno regreditur miraculo; Verbũ est Dei, Ieremia scriptore: *Iugiter facientes malũ in oculis meis ab adolescentia sua. Cæperunt malefacere ab infantia;* quidnam potuit ab eis expectari? quidnam ab eis expectari potuit, nisi

Educatio filiorum.

Iere. 32. 30.

facerent iugiter vsque ad extremam senectutem, quod lacte infantuli biberunt? Quàm propriè, quàm scitè, quàm prudenter dixit Aristot. *Caput rei est, hominem illo, aliove modo assuefieri.* Dixit, & Poëta. *Hoc multum esse à teneris consuescere.*

Aristot. lib. 2. Ethi. c 1.

Virgilius 2. Georgic.

Porrò cum pro huiusmodi institutione puerorum, eos omnes in templo præsentari, perpetuò ibi permansuros, minimè oporteat, nec omnes expediat esse moniales, ac Monachos: id saltem debent patres familias. Frugique matronæ procurare, vt ipsa sua domus instar ordinati conuentus sit Religiosorũ, vt pueri, ac puellæ perinde domi præsentari Deo, sanctéque viuere condocefiãt, ac si in ipsis Religiosis conuentibus educarentur. Cura imbuendi filios bonis moribus ad ipsos imprimis spectat parentes; at nõ minus vitæ exemplo, quàm verbis; cum certum sit, pueros, non tam ea, quæ docentur, quàm, quæ domi vident, intimè edisce re; ea præsertim, quæ in parentibus. Sic faciebat sanctissimus Tobias. *Genuit filium nomen suum imponens ei, quam ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato.* Quonam docuit? Verbone tantum, aut exemplo? Curnam ita docuit: nisi eo, quòd & ipse ab infantia sua Deum timere, fugeréq; à peccato iugiter erat assuefactus? *Cumque esset iunior omnibus in tribu Nephtali: nihil puerile gessit in opere. Hic solus fugiebat consortia omnium: sed pergebat in Ierusalem ad templum Domini & ibi adorabat Dominum Deum Israel, omnia primitiua sua, & decimas suas fideliter offerens.* quid, quod & Ethnicus Plutarchus dixerit. *Quærendi liberis magistri, quorum & inculpata sit vita; & mores tuste reprehensioni non obnoxij.*

Parentum cura erga filios educandos.

Tobiæ 1. 9.

Tobiæ 1. 4.

Plutarchus lib de liberis educandis.

Quæ cura lõgè circa filias debet esse sollicitior, eò quòd in his fœda magis est macula. Loquatur Doctor maximus Hieron. qui ad honestã Lætã pro educatione filiolæ sic scribit. *Te habeat magistrã. Te rudis imitetur infantia.* Nihil in te, & in patre suo videat, quod si fecerit, peccet. Mementote vos parẽtes Virginis, magis eã exẽplis doceri posse, quàm voce. Quis ex Christianis, honoratisq; filiorũ parentibus omittat intra cubile suũ, vbi dormit ipse interiùs aliud habere cubiculũ, in quo puellæ filiæ viuant, & laborent, haud dissimili à religiosis fœminis viuẽdi ratione, occupatione, oratione, lectione? Quis si honori suo cõsulẽs est, cautusq; periculis virũ aliquem, cuiuscunque conditionis, etiãsi notæ probitatis sit,

Filia magna diligentia seruanda.

Hier. epist. ad Lætam.

Deique

Deique minister, secretum puellarum cubiculum ingredi permittat? *Quid facit monachus in cellulis fœminarum*, ait S. Hieronymus. *Quid sibi volunt sola, & priuata colloquia, & arbitros fugientes oculi?* Et alibi: *Si propter officium clericatus, aut vidua visitetur, aut virgo, nunquam domum solus introeas: Solus cum sola secreto, & sine arbitro non sedeas.* Vnde iuxta hanc Hieronymi monitionem, ne illud quidem quod minoris est periculi, permittendum est, vt puellæ ipsæ ad parentis aulam ad conuersationis cum huius, aut cuiusuis modi viris egrediantur, etiam arbitris parentibus ipsis. Rarissima quidem accidet occasio, qua huiusmodi virgines ad prædictæ probitatis viros iusto titulo procedant. Cum Oniæ Sacerdotis summi, ac sanctissimi temporibus magnus ex oriretur in sancta ciuitate tumultus, tribulatio magna ob tyrãnicam Heliodori, ad expoliandum Domini templum, ingressionem; cum non solum Sacerdotes ante altare cum stolis Sacerdotalibus iactauerunt se, & inuocabant de cœlo Deum: cum in summa erat summus Sacerdos agonia, circumfusa enim erat mœstitia quædam viro, & horror corporis: cum non solum viri gregatim de domibus confluebant publica supplicatione obsecrantes, sed etiam accinctæ mulieres cilicijs pectus, per plateas confluebant, stupenda sunt tribulatione perculsę virgines illę, quæ in sacro templi septo victitabant. At quousque exierunt istæ, virorum præsidium in tanto agone quæsituræ? Quæ laxius se in eo conflictu habuerunt, minime quidem à septo recesserunt, longius, quam ad locum altaris, vbi flexis poplitibus orabat sanctissimus ille pater Onias peruenirent. *Virgines, quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam*: nam ne ad hunc quidem exierunt omnes; sed aliæ ad muros: quædam vero per fenestras aspiciebant. Vbi; & septi parietes muros esse videtis, & ad templum solum respicere fenestras, & Virginum illarum reclusionem quæ in tam horribili cõflictu, cum timidæ puellæ essent, minime ad virorum confugium exierunt; sed ex fenestris illis vniuersæ protendentes manus in cœlum deprecabantur. Addo, nec pueros, quantumuis paruulos, segregatum illud puellarum cubile ingredi esse permittendum. Est in quauis ætate puerorum, puellarúmque minimè tuta conuersatio. Ardet

Hier. li. cõt Vigilant.

Hier. epi. 2. ad Nepot.

Virginum reclusio.

Filiorũ custodia.

2. Mach. 3. 19.

Puellarũ cubile ingredi paruos pueros minime permittẽdũ.

naturaliter vtrinque sanguis adspectu mutuo, cuius ebullitione ebulliunt consequenter vtrorumque pedes. Dicetis fortasse mihi, quis à tam tenera ætate suspicabitur periculum. Sed quæro ego, quisnam periculum præsumet vllum ex eo, quod passerculus paruulus inter pascentes volitet Capellas? Et est tamen periculum haud ignotum. Scitote vos, esse passerem quendam corpore paruum, nomine caprimulgum, qui inter capellas familiariter versatur, estque vberum earum auidissimus. Quem cum illæ iuxta se volitantem vident, blandientem pinnulis, ac sibilis, vbera ei libenter concedunt.

Caprimulgus notãdus pro puellarũ custodia.

Mirabile est, sed mirandum magis, quod tacta ab eo vbera, extinguntur protinus. Magisque mirabile, quod capra illa oculis cæca relinquatur. Quod non solum asseuerant notę veritatis scriptores, Pierius, & alij, sed & ipsum passeris nomen, quod ideo est caprimulgus, quod vbera mulgeat caprearum. Quanto minus credẽdum erat hoc, quam mutuæ puerulorum, ac puellarum conuersationis periculum? Nam caprimulgus specie est à capreis distinctus, imo diuersus genere: cum sit volucer hic, quadrupedes illæ pueri, atque puellæ non solum genere, sed etiam specie conformes. Quam grauis, ac tacita sedebit puella, si volitantem iuxta se puerulum viderit passerculum? Nonne, vt cappella petulans saltabat, & illa? Dicetis forte, nullum in tam tenera ætate impudicitię timeri periculum. Ego vero dico non leue esse periculum illud, quod vos negare minime potestis, si saltem pectus puer ioco tangat puellæ. Ex eo enim non minus Virgini emerget nocumentum, quam tactæ à caprimulgo pectore capræ, non modica pudoris defloratio. Quod periculum non omnino longe est ab ea, quam nunc dicebamus ministrorum Dei ad puellarũ cubicula, ingressione, quamuis alatæ cœli aues sint illi, volẽtque ad culmen perfectionis. Intrabũt hi sãcto ad docendas Virgines zelo, earumque mentes aperiendas: cum ille timeri possit effectus, vt ex cæcata mente maneant illæ ascendente feruentis carnis fumo ad hebetudinem, non secus, ac caprea à caprimulgo relinquitur cæca. *Cum autem concupiscentia carnis paulatim pudorem excutit, ipsum quoque iudicium, & sanitatem mentis euertit*, ait S. Basilius. Quid,

Locus puellarum cum pueris paruulis nexius.

Pierius lib. 25 cap. de caprimulg.

Basil. lib. de vera Virginitate.

Consanguinei arcendi à puellarum cubilibus.

si nec fratres paruulos ad paruas sorores? Nimiũ me quidẽ, ac propriè Teatinũ diceretis. At, quẽ dicetis. S. Basiliũ, qui fuit ante quàm essent Teatini? *Et tamen non dicere Fratres*, ait ille, *cum sororibus loqui, nisi in loco minime suspecto; nec ibi quidem nisi coram teste aliquo viro.* Sed quid valebit obiectio vestra, si de prouectis ætate fatribus, non de puerulis Basiliũ loqui dixeritis? Nũquid pueruli prudẽtiores prouectis sũt, vt sororũ honori, atque periculo attẽtius, quã prouecti prospiciãt? Si incapacẽ incõtinentiæ ætatẽ replicetis; valde quidem desipitis. Plenæ vbique sunt experimentis in oppositum historiæ. Acaz genuit Ezechiam: qua putatis ætate? credetis ne, si annorum dixero duodecim? Imo vndecimo ætatis anno genuisse creditis, cum magnæ sit credulitatis scriptor Doctor maximus Hieronym. quid si minorem vno adhuc anno puerum genuisse vobis dicerem? quisnam dicet? Salomon genuit Roboan, qua putatis ętate? Decem, nec plurium annorum. Beatus ipse Hieronym. est scriptor: Ex tunc iam nimiæ, cui, vsque ad senectam, incubuit, præbuerat specimen luxuriæ. quid si alium adhuc ætati huic detraherem annum? Nisi summę auctoritatis esset scriptor, quisnam crederet; nouem annorum puerum nutricem suam impregnasse? Est summæ scriptor auctoritatis magnus Gregorius: & à canonici iuris glosa approbatus. Nec omnino rari sunt casus: nã similes his narrãt Ioan. Igneus eruditissimus. Lelius, nec minus eruditus, Tiraq. qui ait etiam fœminam nono concepisse anno. quo etiam ætatis anno nono concepisse puellam, quæ peperit, decem scribit Nauarrus à multis fide dignis certior factus. Heu parentes non paucos; si scirent, quot huiusmodi in domibus suis accidunt mala? si filiarum suarum non raras huiusmodi ruinas intelligerent? illi præsertim, qui maiusculos etiam filios inter puellas filias promiscuè degere, nihili ducunt. quid de illis parentibus, qui filiolos suos, ac filiolas in eodem simul lectulo dormire, minime verentur? Aperite oculos amici, estote prudentes: cauti estote, & pertimescite. Sobrij estote, & vigilate dum dormiunt filiolæ vestræ: nam minime quidem dormit diabolus.

Basil. in regulis fusius disputatis interrogat. 33.

Pueri paruuli filios genuerunt.

Acaz vndecim annorũ genuit Ezechiam.

Hier. epist. 32. ad Vitalẽ presbyt.

Gloss. in 20. quæst. 1. in summa. referens B. Gregoriũ. Ioan. Ignes leg. 1. §. impubes n. 6. ff. ad Syllã. Lud Celius li. 8. lection. antiq. c. 8. Tiraq. de iur. maritali leg. 5 & leg. 6. cõnubio. n. 37. Nauar. li. 4. consilior. in priori edit. tit. de sponsalib. cõsil. 39 n. 13. In posteriori aute tit. de sponsal. impuber. consil. 4 n. 13.

Quam diuersa cura parentum ab ea, qua selectiores illi

homines ex Dei populo filios suos, suasque filiolas Deo in templo suo sancte educandos præsentabant? Quam diuersa eorumdem vita puerorum, ac virginum? Excudebant puellæ tunc in templo, laborabant, orabant, ieiunabant; nam

Exod. 38. 8. Kaldæus. omnia hæc complectitur verbum illud Exodi: *Mulierum, quæ excubabant ante faciem tabernaculi*: nam Kaldęus habet,

Septuagint. quæ orabant, & quæ ieiunabant, Septuaginta. Ex quibus multæ proiectæ iam per magnam vitę partem ibi perma-

4. Reg. 11. 2 nebant. *Tollens Iosaba filia Regis Ioram, Ioas filium Ochoziæ, & nutricem eius abscondit eum. Eratque cum ea sex annis clam in domo Domini.* Et eo tempore, quo Saluator est natus. *Erat*

Luc. 3. 36. *Anna prophetissa*, ibi; vt Lucas scribit. *Hæc processerat in diebus multis, & hæc vidua vsque ad annos octoginta quatuor, quæ non discedebat de templo ieiunijs, & obsecrationibus seruiens nocte, ac die.* Attentate nunc persuadere octogenariæ fœminæ, vt ieiunet.

Sed ad summam puellarum ascendamus exemplum, Mariam nostram; quam tanquam primogenitam, imo, & vnigenitam, vt scribit Eusebius Emissenus, Theophilactus & Euthymius, triennem obtulerunt Deo parentes in templo eius, Virginum exemplum; quamque Deus ipse summum templi sui accepit ornamentum. Historiæ huius scriptor ille quidem est, qui eisdem vixit temporibus, Petri Apostoli in Antiochena Ecclesia successor. Euodius nomine, tri-

Maria trimula in tẽplo præsẽtata. mulam in templo prędentatam testatur. Quod & Simeon Methaphras. & alij Eccles. Historiæ scriptores asseuerant: ibique vsque ad 14. ætatis annum permansisse. Quibus ibi floruerit virtutibus, quis enarrare incipiat? Sancti Patres eas vbicumque commendare, certatim contendunt omnes. Sufficiant illius verba, qui ex visu testis est, B. Ignatij,

Præsentatio Mariæ; ætatis anno. qui præterquam quod vocat eam. *Cœleste prodigium, & sanctissimum spectaculum*, addit, *eam omnium virtutum, & gratiæ fœcundam. Quæ in afflictionibus, est hilaris: in penurijs, & indigentijs non querula; iniuriantibus grata, & modesta in re læta. Miseris, & afflictis condolet coafflicta, & subuenire non pigrescit.*

Maria vita & mores dũ vixit in tẽplo. *Contra vitiorum autem pestiferos conflictus in pugna fidei discepians enitescit. Religionis, & pœnitentiæ est Magistra, & omnium operum pietatis ministra. Humilibus quidem est deuota, & deuotis deuotius humiliatur, & mirum ab omnibus magnificatur.* In-

Euseb. Emis. homil in Nati. Mariç. Theophila. in c. 19. Ioã. Euty. ibid. quod in suis Cõment & in epi. dicta lumen apud Niceph. li. 2 cap. 3. Simeo. Metaphr. orat. de vita & dormitione Deiparæ. Hier li. de natiu Mar. tomo 9. Ignat in epist. ad S. Ioan. Apostol.

tegrum nobis erat, multas eius inferre perfectiones ex eo, quod à prædicta illa sanctissima Prophetissa Anna educata sit vehementissimo affectu, dilectione summa; quod minime dubitari posse reor. Fuit siquidē Anna illa in eo templi septo fœminarum toto tempore, quo fuit beatissima Virgo; cum in die, qua Virgo ipsa vnigenitum suum præsentauit in templo, fuerit 161. Anna ipsa, vt scribit Lucas, ac consequenter fuit toto tempore præcedenti, quo in templo illo degit eadem Virgo; vt patet ex eo, quod ab illine sexaginta retro annis non discessit à templo sancta illa vidua. Eo vel maxime, quòd dicat sacer Chronologus: Hæc ipsa hora superueniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabāt redemptionem Israël, tanquam gauisa valde videns talem natum puellæ, quam ipsa nutriuisset. Sed altius colligunt Sancti Patres summam B. Virginis, qua vixit ibi, perfectionem, ex eo, quod ibi præpararetur ad recipiendum vtero suo Dei Filium, Deum, Dominum, Creatorem. Hinc (vnquam) colligunt omnes eius sanctitatem: quos, quoniam omnes sunt, referre non possumus: sed pro omnibus vnum commemorabimus Nicomedienſem Georgium, sic de nostra hac præsentata Virgine loquentem. *Tu autem, ô homo, admirabilem in Templo viuendi rationem audiens virginis, noli de eo dubitare: noli examinare ratione ea, quæ non potest capere cogitatio. Oportebat, non in Sanctis Sanctorum tabernaculis, sed in ipso cœli, in prima ætate educari eam, quæ his conspecta, est lætior, & puritate antecelluit.*

Georg. Nicom. orat. de oblat. Deiparæ.

Præsentata in templo Maria quindecim libens ascendit gradus. Quid mysticè.

Quod si summa, qua in templo illuxit Virgo ista, vitæ perfectio, ex eo perpendenda est, quod, vt esset Dei mater, fuerit ibi præparata, eam ego quoque inferam ex eo, quòd dulcissima puella hæc, vix ablactata, cum in templo præsentata fuit, quindecim altaris gradus à nemine ducta hilaris conscenderit, vt Georgius Nicomedienſis, & Cedrenus tradunt. Hos ego gradus, quidnam mysticè sint, enucleare nunc intendo. Impar numerus est, sed ratione hac considerandus: nempe bis septem, super quos eminet vnus. Septenarius numerus perquàm celebris est in sacris litteris quid ergo est septenarius duplex, & vnus insuper gradus, cùm de altaris gradibus tractatur? Vtique gradus septem,

Georg Nicomed homil de oblatis. Cedren. in Compend. historiæ.

per quos ad altare ascendit Sacerdos, illi gradus sunt, quibus ad Sacerdotalem dignitatem ordine promouetur, ac per illos ascendit ad altare. Septem sunt hi, nimirū primæ tonsuræ, hostiarij, lectoris exorsistæ, Acolyti, Subdiaconi, Diaconi, ac Presbyteri. Sed est, & alius septenarius, per quem ad Altare ascendunt ministri, præsertim, si Pōtifices sint, & multò magis Pontifex summus: septem videlicet Virtutes: Theologicæ tres, & quatuor Cardinales, quibus quisquis non ordinatus est vita, indignissimè ad dignitatem istam ascendit, indignius ad altare, sacra celebraturus. Per vtrumque septenarium ascendit B. Virgo ad gradum vltimum quindecimum, qui est summa Deiparæ dignitas. Quod nō ineptè dicemus designari quindecim illis cereis, qui in maiori hebdomada, dum matutinum celebratur, in candelabro ponuntur accensi, septem hinc, & hinc septē, medius ille, qui B. Mariæ cereus dicitur. Exigi ergo septenarium vtrumque vt ad matris Dei gradum ascenderet Virgo, neutiquam licet dubitari. Si enim illi ordinum gradus ideo ad Sacerdotium necessario postulantur, quòd manibus suis Deum conficrat Sacerdos: quantò altius exiguntur in matre, quæ nō manibus solum, sed ventre etiam Deum gessit, concepit, peperit, præstitit ei sanguinem, quo factus est homo? Imo vtrumque profecto septenarium, graduum, atque virtutum, multò in ea perfectiùs, quàm in summo viguisse Pontifice, nemo doctus ambigit concedere. Solum illum, quoniam tam sanctum, quam antiquum, Germanum, Constantinopolitanum Patriarcham audiamus. *Vbi non sæpe, sed semel in anno Sacerdos ingrediens peragebat cultus Mysticos; illuc mater Domini, vt ibi perpetuo manere, à suis adducitur parentibus, & vt esset in sacris gratiæ adytis. Quis vidit, aut quis audiuit fœminam, quæ adduceretur in intima Sancta-Sanctorum? Intueamur, quomodo Propheta Zacharias eam suâ manu accipit, & adducit, in adyta, vt qui præsciuisset futurum.* Nunc libens valde argumentum formabo, quo omnes palam perspiciatis, qua ratione Chronologi Euangelij summas Virginis huius Virtutes præterierint, præter paucas illas, quas obiter, narrantes filij eius historiam, offendebant. Est ergo huiusmodi argumentum. Quisnam Ecclesiasticus Vicarius videns Sacerdotem in populo, non

Maria cūctis ecclesiasticis gradibus cōsummata.

Maria omnium virtutum summo gradu perfecta.

Maria summa sacerdotissa.

Germ. orat. de præsēt. Deiparæ.

Maria virtutes ex dignitate eius inferuntur.

Simile.

ab eo exigat titulum Sacerdotij, vt Sacrorum Canonum ſeruet inſtitutum ? At quis oblatum ſibi : legens titulum Presbyterij, exigat adhuc præcedẽtium titulos graduum, vt ſciat, an omnibus his acceptis promotus ſit ad Sacerdotium? Quidnam diceret ei requiſitus Sacerdos ? Domine, ecce Presbyteratus tibi titulum exhibeo: titulos graduum præcedentium non ad te attinet inquirere, ſed ad eum, qui me ordinauit, Epiſcopum. Cui magnam profecto irrogas iniuriam, dum præcedentium graduum titulos poſtulas, quaſi Epiſcopus ille adeo rudis ſit, adeo inimicus animæ ſuæ, qui me in Presbyterum promouerit, nondum perſpectis, nõdum ve examinatis titulis illis, ſeu teſtimonijs, quibus integrè omnino cognoſceret, me gradus illos percurriſſe omnes. Nunc vos adſtantes ego interrogabo: Videtis ſupremum Mariæ gradum, quo matrem ſuam eam Deus ordinauit? Videtis expreſſum titulum eius? Hic eſt, qui ſolus in Matthæi ſonat Euangelio: *Maria de qua natus eſt Ieſus.* Matth. 1. 16. Si ergo matris Dei aſpicietis titulum: quid neceſſe eſt, à ſacris Euangelij ſcriptoribus inquirere titulos graduum, ac virtutum, per quos ad ſummum hunc gradum promota eſt? Nonne Deo ipſi grauior, quàm prædicto Epiſcopo irrogaretur iniuria, ſi quis, de quouis horum gradu, quauis de virtute dubitaret, aut quaſi dubius titulos exigeret, quaſi ſapientiſſimus Deus, ac ſanctitas ſumma in ſui genitricem ordinaſſet eam, cuius gradus omnes, ad talem dignitatem prærequiſiti, non ſummi in ea eſſent gradus ? Audeo dicere, nec magna audacia eſt, non ſolum gradus hos, atque virtutes à Chronologis ſcribi, minime fuiſſe neceſſarium, ſed ne decẽs quidem: cum ad Dei honorem ſpectet, vt nullum præterea ſanctitatis Deiparę exhibeatur teſtimonium, quàm, quod eam ipſe ad talem elegerit gradum. Fuit ergo ordinata à Deo gradibus his ſupremo gradu. *Ab æterno ordinata ſum*, ait Domina ipſa, vt Eccleſia intelligit in officio eius. Ab æterno antequam genita, ordinata. Ad quidnam ordinata ? Ordinata ad matris dignitatem, & gloriã, graduſque omnes tantæ condignos dignitati. Nũquid ad Eccleſiaſticos gradus? Imo ad gradus ſimiles his diuiniſſimo ordine diſpoſitos. Non ad eos gradus, qui oleo, & Prou. 8. 23.

quibus consciandi, absoluendique à criminibus datur potestas: sed ad eos, quibus ordine alio similes Virgo exeruit effectus. Ad hoc vtique fuit antequam genita, ordinata, & rursus nata iam, in Dei templo præsentata, vt ad dignitatem supremam hanc gradibus his ordinaretur omnibus. Fuit itaque ordinata primæ gradu tonsuræ, nempe coronæ, non coronæ factæ tonsura, sed aureæ coronæ, qualem esse oportet coronam Reginæ cœli, & terræ, qui primus gradus fuit futuræ Deiparæ condignus. Vocat eam Bernardus, *Reginam cælorum*, & Bernardinus: *Virgini concessum est, vt sicut est omnium Regina, ita sit omnium patrona.* Gradu hostiariæ, vt quæ portas nobis templi aperit cœlestis. Imo ipsa cœli porta est, cœlique fenestra: sic Fulgentius, *Facta est Maria fenestra cœli, quia per ipsam Deus descendit ad terras, vt per ipsam homines ascendere mereamur ad cœlos.* Gradu lectoris, vt pote, quæ in templo legebat scripturas, si non publicè, saltem inter fœminas. *Horum discernendorum*, (ait Rupert.) *vtique Magistram te esse oportebat, ô B. Maria, & magistra magistrorum.* Gradu exorsistæ adeo præcellenti, vt audito Marię nomine, aufugiant celeriter Dæmonia. Ideo à Petro Damiano vocatur, *Singularis timor malignorum spirituum: singularis amor ciuium beatorum.* Gradu acolyti, quippe, quę in altari ministrauit, & altius, quoniam præstitit aquam ablutionis peccatorum, Dei Filium, qui *lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo*, quem Virgo hæc ministrauit illi ex vtero suo, & in vtero ipso. Gradu Subdiaconi, quatenus non solum legit Epistolas, sed etiam fuit suauissimarum scriptrix Epistolarum, quibus est fideles consolata. Cuiusmodi fuit ad Messanenses, & ad Martyrem Ignatium. Graduitem Diaconi, quo tunc vsa est, cum Sacerdos magnus filius eius, magnum in crucis altari sacrificium celebrauit. Tunc quippe, *Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius.* Multóque magis, quoniam proprium Diaconi munus, quod est Euāgelij prędicatio, semper exercuit. Cum enim certum sit in primitiua Ecclesia fuisse Diaconissas, quis dubitat, earum Principem fuisse Mariam? Expresse docet Ildefonsus, qui Sermone de Assumptione 2. Mariam vocat Euangelistam. Gradu Sacerdotissæ. Siquidem ex sanguine proprio

Bern. serm. de Assūpt.
Bern. Senēs. serm. 50. de B. Virg.
Fulgent. Episc. Ruspēs. serm. de Laud. Mariæ.
Rupert. li. 1. in Cant. super id, fons hortorum.
Petr. Dam. serm. 2. de Natiuitate Deiparæ.
Apoc. 1. 5.
Ioan 19. 25.
Ildefonsus serm. de Assumpt.

proprio obtulit Patri Deo Filium eius, & suum, qui est vnicum Ecclesiæ sacrificium.

De alio etiam septenario, qui virtutum septenarius est, non esset minus nefas dubitare, quod in Virgine hac supremo præfulserit gradu. Esset quippe indignissimam Deo opponere notam, quòd vel minimo virtutis apice deficiente elegerit genitricẽ, maiorque audacia, quàm si de presbyteri præcedentibus ambigeres gradibus. Non enim minus in Dei matre omnium gradus virtutum prærequiruntur, quam ad presbyterium omnes iuris gradus. Scio, & hos virtutum gradus ad Sacerdotium prærequiri omnes: scio, & non in cunctis, qui sunt ordinati, cunctos reperiri: ac consequenter circa hos debere examinari presbyteros. At necessitas ista examinandi non in leuem cedit eorum Episcoporum notam, qui leues sunt in ordinando absque exquisito virtutum examine: quam notam Deo tribuere, magna esset blasphemia. Audiamus tam piam, quàm prudentem fœminam istam, cuius ex ore sumimus ea, quæ proposita verba sunt sermonis thema. Cum aperiens diuina Dominus labia, melle dulciora verba distillans prædicaret; *Extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Quæramus nos à muliere hac, matremne Christi nouerit ipsam, vt tali filio conformem dicere non dubitet? Si nouit matrem; originalem habemus testem fœminam istam, quòd talis sit mater, qualem talis filij parentem esse decebat. Sin minus eam agnouit ex visu; satis profectò est, si mulier simplex ac syncera ex filij excellentia intulerit matrem esse beatam; vt ex eadem nos idipsum colligamus; quamuis matrem ipsam nequaquam viderimus. Beatus ergo venter, qui te portauit, Domine Iesu, & vbera beata, quæ suxisti. Quàm beata vbera, ex quibus tam dulce sumpsisti lac; vt dulci turbas lacte reficias doctrinæ? Quidnam dicet sponsa, dum te sic audit prædicantem? *Mel & lac sub lingua tua.* At quid dicemus nos? Nisi dicamus, Mariam Virginem hodie in templo recludi, vt fiat aluearium, ex quo tam lepidum emanet mel, lac tam suaue ministretur sponso, quo ille turbas & mulceat, & reficiat; vt in fortitudine, ac suauitate lactis, mellisque huius ducat nos vsque ad Dei montem, æterna reficiendos beatitudine.

Luc. 11.

Cant. 4. 11.

IN PRÆSENTATIONE B. VIRGINIS MARIAE.

SERMO III.

Luc. 11. 27. *Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti.*

MOS antiquus fuit in Israëlitico Dei populo, vt ei infantes offerrentur in templo; in quo separata erant septa duo, multis lata cubilibus, alterum pro pueris, pro puellis; alterum pro illis scilicet, qui, vt ibi in Dei cultu vsque ad nubilem ætatem persisterent, dedicabantur à parentibus. Hac enim ratione Samuelem legimus Deo oblatum ab enixa post longam sterilitatem Anna. 1. Reg. 1. 24 *Quæ adduxit eum secum postquam ablactauerat, in vitulis tribus, & tribus modijs farinæ, & amphora vini: & adduxit eum ad domum Domini in Silo.* Puer autem erat minister in conspectu Domini. Proprium item pro Virginibus in templo illo fuisse Exod. 38 8. Kaldæus. Septuag. recessum, constat ex illis Exodi verbis; *Mulierum, quæ excubabant ante faciem tabernaculi.* Vbi Kaldæus Paraphrastes legit, *quæ orabant;* Septuaginta; *quæ ieiunabant:* quoniam vtrique exercitationi & orationis, & ieiunij incumbebant, vt notauit Hieronymus, dicens: Hier. ibid. *Vtrũq; pijs, & religiosis fœminis congruit.* Erant igitur ibi piæ puellæ sub Sacerdotum disciplina eo modo, quia, quo nunc sanctimoniales diuino iugiter insistunt cultui, excepta perpetuitatis ratione: cum ad nuptiarũ vsque diem fuerint illæ recluſæ, vt scribit Nyssen. qui addit, eas laborandis templo ornamentis, cæterisque id Greg. Nyss. hom de humanitate Christi.

genus ministerijs intendisse. Nec ad templum fuisse eis egressum, narrat Origen sed concussum per Orates intuitum, vt sacris inde fruerentur. Iuxta morem hunc præsentatam Deo fuisse Mariam, memoriæ nostræ prodiderunt antiquissimi illi Cyril. Alex. Orig. Epiph. Simeon Metaphras. Ioannes Damasc. Theophilact. Ambros. & antiquior his, vt qui Petri in Antiochena sede successor, Euodius; qui eam 3. ætatis anno testatur præsentatam. *Maria*, ait, *trimula cum esset in templo est præsentata: & ibi in Sancta Sanctorum traduxit annos vndecim.*

Origen. Tract 26. in Matth. Cyril. Alex. Anthropomor. c. 27. Orig. vbi suprà. Epiph. in ancoratu. Simeō Metaphr. oratione de vita dormit. Deiparæ. Damascen. lib. 4. de fide cap. 15. Theophil. enarratione in Matt. 32. Euod. in epistola Philosoph. Latinè lumen apud Nicephor. lib. 2. c. 3.

Præsentatio Mariæ Deo gratissima.

Simul ergo, ac infantula Deo præsentata est, sensit ille fragrantiam amœnissimam, odoratusque est odorem suauitatis, non solum thymiamatis, sed horti etiam iugiter germinantis iocundissimos flores, quibus templum eius ornaretur, & fragraret. Sensit in templo suo conclusum vniuersorum hortum aromatum, cui protinus dixit; *Hortus conclusus, soror mea, sponsa; hortus conclusus.* Senſit, omnes sibi vna hac infantula præsentari thesauros, omnes sapores, dulcedines omnes, suauitates, lepores, pulchritudines. Quod placidissimus expressit, dicens. *Quam pulchra es amica mea? quam pulchra es? sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ. Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Fauus distillans labia tua, sponsa: mel, & lac sub lingua tua: & odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris. Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus cypri cum nardo, nardus, & crocus, fistula, & cinnamomum cum vniuersis lignis libani, myrrha, & aloe cum omnibus primis vnguentis.* Senſit, & aurum, sibi, omnésque gemmas prætiosissimas, ac margaritas præsentari. Nam si diuinus ipse sponsus eius suauissimas infantulæ emissiones verum testatur paradisum; nonne egressos à paradiso fluuios proprias Mariæ dicemus emissiones? Nonne, & prætiosissimum fluuiorum illorum aurum, gemmasque fulgentissimas, ac collucentes margaritas cum ea offerri prædicabimus? *Fluuius egrediebatur de paradiso voluptatis vbi nascitur aurum optimum: ibi inuenitur bdelium, & lapis Onychinus.* Consideraus oblatam hodie puellam, inquit Rupertus. *Ecce nouus Paradisus, nouæ plantationes; iste est Paradisus cœlestis. Istam terram suam benedixit, & ex ea cunctarum germina gratiarum, & cunctarum exemplaria virtutū produxit, ipsum quoque lignum*

Cant. 4. 12. Cant. 4 1. Gen. 3. 10. Ruper. lib. 4. in cantic.

Præsentatio Mariæ copiosissima omnium diuitiarum, ac bonorum oblatio fuit.

vitæ, Christum Deum, & hominem, Dominum cœlestis Paradisi. Hæc itaque omnia hodie præsentantur Deo, dum nostra hæc præsentatur infantula; etiam aurum, vniones, margaritæ, quæ in flumine illo generantur.

Præsentationis Mariæ non exigua pars in vtilitatem nostram præsentatur.

Sed nunquid pars tantarum rerum aliqua nobis etiam præsentatur? Quis dubitat, ex tot in Maria oblatis Deo muneribus, quippiam in nostram vtilitatem deriuari? Audio eundem Deum dicentem ei, *Fons hortorum.* Quorumnam hortorum fons est Maria? Si hortus conclusus appellatur à Deo Maria ipsa; cur & *fons* appellatur, non vnius horti, *sed hortorum*? Vtique tanta scaturigine fons est Virgo ista, vt non solos proprij horti flores, non sola ligna irriget propria; sed in nostrarum etiam hortos virtutum abundans ex eius residuo diffluat copia. Copia (inquam) gratiæ, præsertim cum aduocamus eam salutatione Angelica, dicētes,

Cant. 4. 15.

AVE MARIA.

Tucidides apud Plutarch. de virtute mulierum in princ.

Maria laudes cur pleraque silentio compressa in scripturis.

COmprobatissima antiquis fuit illa Tucididis sententia, de qua approbator etiam Plutarchus: *Optimam dicebat fœminam illam, de cuius laudibus minimus apud exteros sermo habeatur:* existimans probæ mulieris formam nemini, præiugi à viris segregatione, notam esse; vt de ea quis aut bonum loqui possit, aut malum, præter vnam virtutem illam, quod recluſa fœmina sit, ac consequenter omnium pollens virtutum indicio. Quid si sententia hæc, si hæc recluſio, si ista à viris segregatio nostræ huic etiam conueniat infantulæ? Nam si quo purior, eo ignotior est fœmina, Virgo præsertim: sanè diuina hæc Regina cœli præ omnibus ignota esse debebit adeo, vt præclarissimas eius notiones, vt scriptis commendet, sciat nemo. At non eo quod virtutes virginum minus notæ sint, sunt minus notæ. Imo virtutes puellarū eo magis resplendent, quo minus apparent, & per receſſus vitreamina magis fulget splēdor; præsertim si noto alias ab effectibus liquet. Effecturæ mel dulcissimū apes, nihil prius curant, quam, vt se in occultissimis aluearių latebris abdant, in quibus nullo arbitro conficiunt illud: nec tamen opus celatur alicui. Operam earum non videmus: at

Virginum virtutes eo magis splendent, quo minus apparent.

Virginum abscēsa virtutes, tandem post recluſionem agnoscuntur.

Simile.

Apes mel clam omnino conficiūt.

Maria virtutes, quibus recluſa in templo occulte ſe exercuit, poſtea opportuno tempore ſplenduerunt.

videmus opus, opera effectum. Laborem earum non conſpicimus, nec cuinam illæ intendant exercitio: at plane ex perſpecto effectu, melle ſcilicet ipſo, quidnam recluſæ fecerint, noſcimus; quod nempe ſucto ex floribus rore laborauerint, non ſecus quamuis recluſarum Virginum virtutes nullis, aut pauciſſimis, quandiu recluſæ latent, innoteſcant; liquent tamen poſtea, cum in matrimonium locatę talibus fulgent pietatis operibus, modeſtiæ, pudicitæ manſuetudinis, honeſtatis, vt facile appareat, quales illæ fuerint præcedenti recluſionis tempore. Imo ſicut ex maiori, minorive mellis ſuauitate diſcrimẽ illorum diſpicitur florum, quorum ſuccum apes pabulum carpſerũt: ita ex perſpectis poſt recluſionem effectibus, certa illarum innoteſcit differentia virtutum, in quibus abſconſæ exercebantur. Nam & virtutes flores ſunt, aliæ alijs perfectiores, non ſecus, ac ſi eos, ex quorum ſucco mel conficitur floſculos, Thimum, Caſian, Libanothim, cæteraque eiuſmodi arbuſta conferamus. Sunt virtutes flores, nomine hoc ſæpius appellatę in litteris ſacris, vt inter alios dixit Nyſſenus Gregorius verbis iſtis. *Continentia ſplendidiſsimum, ac fragrans lilium eſt; verecundia roſa eſt; humilitas viola eſt; obedientia calthula eſt; charitas balſamum.*

Virtutes sũt flores.

Flores ſymbolum virtutum.

Greg. Nyſſ. ſerm. 5.

Chriſtus fauus ſuauiſſimus Maria.

Quibus ego nutritam floribus cenſebimus Virginem illam, quæ vix à recluſione egreſſa, tam dulcem nobis, tam ſuauem, tam lepidum, tam ſalutiferum protulit fauum Dei Filium? Eſt fauus Ieſus, quoniam, ſicut fauus, cum vna & eadem ſit res, ſuppoſitum vnum, duabus conſtat naturis, cærę videlicet, & mellis; ſic cum duabus Chriſtus naturis ſubſiſtat, eſt ſuppoſitum vnum, vna penitus res; non duo ſuppoſita. Hunc Marię fauum dicit merito Rupertus; dum legens illud ſponſi ad ſponſam Verbum; *Fauus diſtillans labiatua, inducit Dei Filium piæ matri dicentem: Fauus tuus ego ſum: quia Deus tuus & Filius tuus ego ſum.* Qualibus ergo virtutum floribus in ſepto nutritam exiſtimabimus Virginem illam, illam apem, quæ talem egreſſa protulit fauum? Nonne talis recluſa fuiſſe cenſebitur, qualem ſe exhibuit egreſſa? Nouit profecto pia mulier, audiens Marię Filium dulce ſuper turbas mel diſtillantem verbis ſuis: nouit, tam dulcem fauum à dulciſſimo nutritionis lacte hæreditaſſe dulcedi-

Fauus deſignat Chriſtum Deum, & hominẽ.

Cant. 4. Ruper. 161.

nem, quum extollens vocem de turba, dixit; Beatus Venter, qui te portauit; & vbera, quæ suxisti.

Educatio puerorum, ac puellarũ per quam diligenter attendenda.

Sane matura hominum ætas puerili omnino symbola est, ac vniformis; vt nemo prudens putare possit, eam, quam circunspectam, pudicamque videt maturam fœminam, laxato in iuuenta fræno fuisse nutritam; sicut necquam incompositam intuetur puellam, postea in matura ætate sanctam sperare, ac integerrimam. Hæc constans est scripturarum doctrina: hęc doctorum omnium, tam humanorium, quam sacrorum concors sententia: hoc comprobatum vbique experimentum. Qualis es in senecta, talis in iuuenili ætate fuisti; talis eris grandæuus, qualis iuuenis es, & qualis puer. Prouerbiũ est; *adolescens iuxta viam suam; etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Prouerbium est; non solum est infalibilis veritas, sed prouerbium etiam, sed parœmia, sed dignissima obseruari sententia; sed quæ à Spiritu Sancto tanquam prouerbium notari præcipitur; tanquam prouerbium prouerbiorum. Estque tanti apud Doctores omnes, vt speciales de educatione hac plerique scripserint tractatus, intime eam commendantes; præsertim Ambros. Chrys. Nazianzenus, Gregor. Bernardus, & vltra omnes hos, aliosque plurimos Hieronymus. Ex humanioribus Plato. Tullius, Seneca, Plutarchus, qui mirabili circa educationem istam libro multa sapientum congerit dicta. Iosephus etiã ex Hebræis ægre fert, suæque ducit probrum nationis, quod in ea minus exactam educationis curam insinuarit Appio; fuisseque valde sedulam multis ostendit experimentis. Apposite Aug. Magis cogita, *Quomodo nutrias, qui nati sunt, quam, vt nascantur.* Non enim fœlicitas est habere filios; sed habere bonos. Cum multa, & magna de sanctissimo Tobia scripturæ prædicent encomia: illud pro firmo iaciunt fundamento, *Qui cum esset iunior omnibus in tribu Nephtali: nihil tamen puerile gessit in opere.*

Prou. 22.6.

Ambr. in Ps. 38 & li. 4. in Luc. c. 2. Chry. to. 1. in hom. de Anna, & Samuelis educatione & Hom. 60. in Matth. & lib 3. aduersus vituperatores vitæ monasticæ. Greg. Naz. in carmine dẽ virginitate. Bern. serm. 63. & 64 in Cantica. Hier. epist. ad Florentium, & ad Lætam. Plat. dial. 5. de legibus. Cicer. ad Herennĩ lib 4. Senec. de beneficiis li 6. ca. 24.

Quæ quidem institutio, non doctrina solum, sed exemplo etiam, & hoc præcipue præstãda est: cum intimius edisçant pueri, quę in parentibus vident, quam quę eorũ verbis edocentur. Textus apud Ecclesiasticum; *De patre impio queruntur Filij; quoniam propter illum sunt in opprobrio?* Quid Platonicam referam legem? *Sapiens legislator senioribus præ-*

cipiet potius, vt sint coram iunioribus verecundi: ac summopere cauēant, ne quis iuuenum eos aut videat, aut audiat agentes turpe aliquid, vel loquentes. Plutar. li. de educandis liberis.

Parētes magna ex parte sunt causa peccatorum, quæ filij cōmittunt.

Duo mala sunt, quibus lædunt filios parentes, circa eorum institutionem ignaui. Alterum nimia peccandi licentia, qua pecudum ritu suis effrænati indulgent affectibus, alterum certa prauæ consuetudinis inueteratio, quę cum male cœpit, peius serpit; & procliuis ad malum, cum serpit, elabitur, præcipitatur, magno impetu ruit, nec vllo iam obice potest cohiberi. Putant aliqui insipientes puerorum peccata parui esse momenti, nec grauia multum apud Deum. Pauitent hi, contremiscant, formident audientes magni verba Gregorij, *Et si omnes baptizatos infantes ingredi regnum cœlorum credendum est; omnes tamen paruulos, qui iam loqui possunt, regna cœlestia ingredi credendum non est; quia nonnullis paruulis regni cœlestis aditus à parentibus clauditur, si male nutriantur.* Idque certis confirmat exemplis. Audiant item parentes isti; quod dicebat Iob innumeris circūdatus ęrumnis, quibus grauiter se plecti propter iuuentæ scelera clamabat, cum nullius se criminis videret conscium illo plagarum tempore. *Scribis enim contra me amaritudines; & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.* Scribere amaritudines intelligunt aliqui, mortis sententiam ab ipsa iam scribi iuuentute, quamuis in senectute complendam, eo quod amaritudo mors ipsa sit, iuxta illud morientis Agag dictum: *Sic cine separat amara mors;* & sententiam Amos; *Ponam nouissima eius, quasi diem amarum.* Ecce primum, quod diximus malum grauem culpam, & pœnam. Aliud vero, quod ad inueterationem spectat, secunda sententiæ parte designatur: consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ. Septuaginta legunt imposuisti mihi peccata adolescentiæ meæ. Nemo decipiatur putans, adolescentum peccata minime, aut leuiter imputari iuuenibus. Adeo quidem ægre feruntur à Deō, vt propterea prouectos iam, etiam resipiscentes viros calamitatibus consumat. At Verbum Hebræum *Iaras*, pro quo Vulgatus legit *consumere*, significat hæreditate possidere. Itaque prouectus iam homo adeo praue affectus est ex ducta ab incunabulis consuetudine, vt senectutis flagitia à se ipso puero hæreditasse videatur. Sed enim, vt ambæ dicti

Puerorum peccata inueterascunt. Plat. dial. 5. de legibus.

Vitia pueritia & iuuentutis raro obliterātur maturiori ætate, Iuuenum vitia crescente ætate augentur fere semper. Greg. li. 4. dialog. cap. 18.

Iuuenum peccata parum minus grauia sunt tenera ætati excusatione. Iob. 13. 26.

Puerorum peccata non multum excusantur propter ætatis imbecillitatem. 1. Reg. 15. 32. Amos. 8. 10. Septuaginta.

Puerorum vitia eos funditus vsque ad imas penetrant medullas, difficulter vnquam euelenda. Hebræa.

huius partes inter se strictius cohæreant, ita eas ego interpretare. Propter illicitas illas, quibus me adolescens dulcedinibus dedi: nunc contra me emendatum iam, amaritudines scribis. Pulchre Sanctus Ephren. *Si diligenter attenderis, vbique inimici laqueos tanquam mellis dulcedine circumlitos, voluptatis illecebris extentos deprehendet.* Quibus, quamuis omnis ætas homines capiat non paucos: maxime tamen inexpertos pueros, ac iuuenes modico illo mellis auidissime illectos, pro quo tam facile vendunt miseri animas, quam primogenita Esau pro lentis edulio. Est autem fellis conditio consideranda in hoc proposito: nimia nimirum penetratio: quæ tanta est, vt si crasso atramento guttam fellis miscueris paruam, nimis inde liquescat, penetretque intime chartam, seu membranam, nullo remedio oblitterandum. Vitia adolescentis illam funditus penetrant ad imas vsque medullas, vt nulla arte educi, exsiccari, aut aboleri possint, vt dixit Sophar. *Ossa eius implebuntur vitijs adolescentiæ eius, & cum eo in puluere dormient.* Quid faciet Deus, videns ingurgitantem se vsque ad ossa melle vitiorum iuuenem? Imbuit eum ipse amarissimo ærumnarum, dolorumq; felle, penetrante intimius ossa, atque medullas, quã læpidum mel ossa penetrarat. *Scribis enim contra me amaritudines*: Scribis in me fellis atramento, intime, & cor, & ossa penetrante. Scribis contra me amaritudines; & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ. Scribis contra me adeo acerbas propter puerilia crimina litteras; vt legens eas, præ afflictione consumar.

Ephren. de recta viuẽdi ratione.

Vitiorũ mel in laqueis venatorum.

Gen. 15. 31.

Simile. Fellis notanda conditio.

Iob. 20. 11.

Nonne satius erit, si amaris terreant pueros verbis? si & verbera parentes adhibeant; ne in tam exitialem prolabantur consuetudinem, in tam horribile incidant suplicium? Morienturne verbis? Interibunt verberibus? Audite Dominum dicentem: *Noli subtrahere à puero disciplinam; si enim percusserit eum virga non morietur.* Quid Deum dixerim? Vel ipse quidem ethnicus Cicero idipsum admonet his verbis: *Qui adolescentium peccatis ignosci putant oportere, falli; sapienter facere, qui eos maximè castigant, vt discant quibus virtutibus omnem vitam tueri possint.* Pudet, quod parentes multi, sedulius de corporali filiorum sanitate, imo, & de ornatu, ac cultu exteriori, quàm de animi ornamentis, & cultu, deque æterna

Pueri flagellandi.

Prou. 23. 13.

Cicero. lib. 4. ad Herenniũ.

na curent incolumitate atque salute. Quem abusum multis Nazianzenus Gregorius carminibus deflet: atque eiusmodi infidos parentes acriter obiurgat. Imo, & antiquus Crates. *Quo tenditis homines? Qui rei faciendæ omne impenditis studium: filijs, quibus opes vestras relinquatis, curam perparuam.*

Greg. Naz. in carmine de virginitate. Crates apud Plutar lib. de educandis libris.

Quid dicam de parentibus, qui non solum petulantes pueruloſ, paruasque puellas turpiter garrulantes non flagellant; sed lætantur potius, vident, exultant, quod filioli sciant iam loqui, & argute loqui, ac garrulari, quidquid sit id, quod sic loquuntur; celebrantque lætantes eorum facetias, dictaque venusta, etiam impudica, imo eo magis, quo turpiora? Heu turpem, heu abominandam. Heu infamem parentum ignominiam; quam vel ethnici ipsi detestantur: Quid, quod matres aliquæ, cum pueros filios libidini iam incumbere audiunt, non solum temperant à lacrymis, sed gaudij potius exhibent signa; quasi ex eo iam integre formatos videant filios, & qui multæ eis posteritatis iam inde specimen præbere incipiant? Quid, quod à prudentibus admonitæ, vt eam filiorum coerceant turpitudinem, procaciores filijs ipsæ respondent: finite illos; pueri sunt: hoc est tempus eorum; nec nouum filij mei incipiunt mundum; communis est puerorum vbique, ac iuuenum vita. Heu cœcitatem: Heu perditionem! Heu dolorem! Hæccinæ sunt Christianæ mulieris verba? Hæc honoratæ? Hæc pudicæ? In quemnam mortis verticem ad vociferandum super malum hoc ascendet prædicator, vnde ab vniuersis audiatur: cum & prædictum illum cratem sæpe dixisse legamus. *Si licuisset in altissimam vrbis partem conscenderem, vt vociferarer: quorsum ruitis homines; qui omne in comparãdis pecuniis studium facitis: filiorum, quibus eas relinquatis, nullam curam suscipitis?* Sed Chrysostomum aureum audiamus. *Non sentimus, hac vecordiâ seruis nostris viliores nos reddere.* Nam *seruos quidem & si non sui causâ, attamen nostrâ castigamus; liberis verò tãtum prouidentiæ nequaquam tribuimus; sed quasi viliores mancipijs prætermittimus. Quid mancipijs dixi? cum vel pecudibus ipsis minoris fieri videantur? Maiorem equorum curam habemus, quam filiorum. Nam si asinis agaso nobis præficiendus est; non parum vigilamus, ne dementem, aut temulentum, aut rei eius imperitum præ-*

Parentes præmatura infantium petulantia lætabundi.

Matres lasciuientibus filijs applaudentes.

Crates vbi sup.

Chry hom. 60 in Matth.

ficiamus. Sin vero ad colendum filiorum ingenium, sit nobis pædagogus inueniendus; qui casu oblatus fuerit, eum recipimus; nec consideramus nullam artem hoc artificio sublimiorem inueniri. Quid enim maius, quàm animis moderari? quàm adolescentulorum mores fingere? Omni certe pictore, omni statuario, cæterisque huiusmodi omnibus excellentiorem hunc duco, qui iuuenum animos fingere non ignoret. Aurea verba sunt omnia. Sed illud maxime notandum; quia si ita acriter carpit parentes, qui in pædagogorũ electione remissi sunt, vt pręstantiores ex omnibus deligant; quanta seueritate reprehenderet eos, qui eligunt nullum; quantóque acriori eos, qui nullum, vel quia nequeunt, vel quia negligunt, quærentes, ipsimet pædagogorum munere fungi non curant? Quanto grauiori prædictas fœminas, quę liberorum suorum approbant impudicitias, easque defendunt, & excusant? Quanto vehementiori eas, quæ huiusmodi filiorum prauam maledictionis prolem vlnis suis suscipiunt, eam osculantur, iocantur cum ea, & valde hilares exultant, atque ei grate blandiuntur? Quid aliud faciunt matres istæ, quam huiusmodi procaces filios ad libidinis prosequutionem inuitare?

Puellarum custodia.

Quæ labes licet in sexu vtroque graue sit malum; grauius tamen in puellis, si parentes quantauis circa eas dormitent negligentia. Animaduertite, qui parentes estis, quanta cura filiolas vestras, statim ablactatas creatori earum offeratis: quam obnixe oretis eum, vt suscipiat illas, suoque mancipatas habeo obsequio, nec in aliquid minus sibi gratũ proruere permittat. Si omni eas studio recte instituitis: si ob indigna quæuis verba, prauiue affectus indicium quodlibet verberatis: si assidua recluſione custoditis, ne vel tenui tan-

Exod. 11. gantur aura. Citius enim auræ flatum arcessit iuuencula, quàm flosculus. Veritus Rex Ægypti Pharao, ne Hebræa progenies, quæ nimis in Ægypto multiplicabatur in dies, Ægyptiacam gentem numero superaret, eique tandem prævaleret; omnem Hebræorum masculam prolem in flu-

Exod. 2. 1. men proiici præcepit. *Egressus est post hæc vir de domo Leui; & accepit vxorem stirpis suæ, quæ concepit, & peperit filium. Et videns eum elegantem, abscondit tribus mensibus. Cumque iam cælare non posset, sumpsit fiscellam scirpeam, & liniuit eam bitumine ac pice; posuitque intus infantulum, & exposuit eum in care-*

& ripæ fluminis, vt bitumine duplici lita fiscella non penetraretur fluminis aquis. Quid est, quod generalis tempore diluuij; quo vehemẽtibus orbis coopertus est aquis, quodque per integrum circiter vndauit annum, structã sibi Noetus arcam, qua à diluuialibus seruaretur aquis, vno linerit bitumine, præcipiente Deo; *Bitumine linies intrisecus, & extrinsecus*: Mater vero infantis Mosis duplici fiscellam liuerit munimine, *Bitumine, ac pice*, cum nec fluminis aquæ attigerint eam, nec pro longo ibi exposita sit tempore? Vtique ætatis differentia est. Plus enim munimenti eget secus aquas tenera ætas, quam in medio aquarum integra, ac prouecta, plusque est in teneris vno die periculi; quam annis duobus in annoso. Quod si ætatis teneræ causa corbis pueri duplici eget linimento; sane corbis puellæ egebit triplici; bitumine, scilicet, pice, ac stillis oculorum parentum, qui filiæ septum nulla intermissione circunspiciant. Nec tamen in carecto dimittenda est; quæcumque vrgeat necessitas. Difficilis profecto custodia magis, quam obesse ab hostibus vrbis: quantoque difficilior, tanto maior vigilantia necessaria. Et hæc quidem ab infantia, ab incunabulis, ab vberibus matris. Quod si nimius videor; dicam à ventre genitricis: *Nam errauerunt ab vtero.* Senem, expertumque audiamus Hieronymum. *Nihil aliud discat audire, nihil loqui, nisi, quæ ad Dei timorem pertinent. Turpia verba non intelligat: canticamundi ignoret.* Quod latius prosequitur dicens; nullam aliam esse debere *Virginis vitam, quam*, vt in *Sancto Dei timore intra secretius matris cubile perseueret.* Quid de saltatricibus puellis diceret Hieronymus? Quidue dicemus nos de parentibus illis, qui inter alios filiolæ institutores magistrum saltandi domum afferunt, & forte primum omnium, & alium præter hunc fortassis nullum. Imo putant hi honorẽ suum, quod à tenera ætate sciant filiolæ psallere, & saltare; producuntque eas coram venientibus domum fœminis, & vtinam, ne etiam coram viris, vt videant omnes, quã sint promptæ, & habiles filiæ suæ, quæ in tam tenera ætate sciant iam musica pulsare instrumenta; saltareque struthionibus promptiores. Imo & eas producunt parẽtes non pauci, vt aduentantibus domũ fœminis, ac viris festum saltibus suis agant diẽ, mulceantq; aures visitantiũ. O pulchra puel-

Gen. 6. 14.

Psal 57 4. Hier. epist. ad lætã de institutione filiæ, & epist. ad Gaudentiũ de infantulę educatione.

latũ educatio! O honestũ parentũ decus! Quid plura? Assumit ex professo narranda turpia mulieris Aureliæ Orestillæ vitia multa Romanus scriptor; in quo pro extremo perditionis indicio saltandi vsum exaggerat, dicens: *Denique & saltare erat assueta.* Si ergo ethnicus scriptor vsum hunc in fœmina ethnica, & ea quidẽ perdita, adeo abominatur; quid Christiani sentiemus? Quid concionatores prædicabimus?

S. Iustius in coniuratione Catilinæ.

Addit B. Hieronymus, *Indecens valde esse in conuiuijs manducare Virgines ad publica etiam exire spectacula.* Elegantias prohibet, non in fuco solum, sed etiam in vestibus, alijsque ornamentis. In quo licet nos minus simus, quam Hieronymus acres, illud tamen, quod vituperat ille, non deplorare minime possumus, Virginum in fenestris assistentiam, qua magna diei parte perstant non paucæ; etiamne, & aliqua parte noctis, nec possunt certi esse parentes, quod & noctu à fenestra abstineat se filia, quam per diem ibi assistere permittunt ipsi. Nullus profecto ex huiusmodi fenestris Virgini ad coniugium conciliatur honos; nullus ipsis parentibus: præter id, quod præcipuum est, animarũ, tam parẽtum, quam filiæ periculum. Heu quam longe distat vita hæc, ab illarum vita puellarum, quæ in antiquo illo templo iugiter vacabant Deo, Sanctorum lectioni librorum, & orationi instantes, sicut Angeli: Hanc debere esse Virginum vitam, dicit Hieronymus: qui, & alia plura addit strictiora magis, quæ ego non tango, ne nimium rigidus videar.

Nec tamẽ adeo absonsam filiarũ vellẽ recluſionem, vtne in templum quidem producantur à matribus, vt diuinis interſint officiis. In eo enim malatria sunt: primũ culpa omissionis rei diuinæ: deinde sacræ omissio doctrinæ: qua etiã, si ex Sãctis libris, parẽtũq; instructionib⁹, fruãtur domi; nõ potest his omnino suppleri prædicationis institutio, pro qua in Euãgelici prædicatoris ore Sãctus loquitur Spirit⁹: tãdẽ periculum non leue, cui expositæ manẽt domi puellæ dũ parentes morantur in tẽplo. Dicetis, eas fortibus seris manere recluſas. Nonne falsæ vbique sunt claues? Si dicatis rursus, tales esse portarum seras, vt sine clauibus firmentur impulsu, quas Cerraduras de golpe dicimus Hispani: respondebo, impulsu etiam absque clauĩ reserari. Vide, Pater, quia sera ictus est; non ictus reseratio. Scio, sed Dæmon talis est artifex, vt ictu etiam reserationem sciat efficere.

Puella ad diuina officia in templum adducenda.

Maria Domina nostra virtutes ab ineunte ætate fulgentissimæ.

Discite, qualiter per decem circiter annos in templo vixerit Virgo Domina nostra. Inerat ei à natura innatus virtutis amor; qui quotidiana diuini amoris accessione crescebat in dies; quo fiebat, vt iam tunc à teneris annis inciperet, & corpus suum parcissime tractare, & ad virtutem animum excolere. Lanam, & linum, bissum, atque sericum apparare, cæteráque consuere, quæ Sacerdotibus opus erant in templo facilè edocta est. Sic operi semper intenta, nullum in otio tempus, quod transigeret, relinquebat. *Duæ manus*, ait Petrus Damianus, *quæ tenebant hinc, & inde sedile actiuam, & contemplatiuam vitam significant: quæ Virginem propensiore diligentia ambierunt adeo, vt nec actio contemplationem minueret, nec contemplatio desereret actionem. Considera, quia ipsa est, quæ in contemplatiuæ dignitatis superuecta dulcedinem, in ipsius Dei substantiam lucidiores infixit obtutus.* B. Anselmus. *Erat docilis, & amans doctrinam, & non solum in sacris litteris, sed circa sacram Scripturam perseuerabat. Opus verò manuum eius erat lanæ, lini, & serici.* S. Georgius Nicomedien sis. *In dies procedente ætate. Crescebant in ea dona Spiritus, & versabatur cum Angelis; nec erat diuinarum expers apparitionum. Cum ea, vt solebat, versante in adytis vidit Azarias quemdam sermocinantem, qui erat inusitata specie, & ei præbentem alimentum. Erat autem, qui apparebat, Angelus. Oportebat enim diuinum tabernaculum augeri talibus ascensionibus. Oportebat, agnam immaculatam tali excipi conuiuio, talibus cibis exsatiari. Oportebat, non vnum solum ei seruire Angelum, sed decies mille millia eam stipare.*

Maria virgo operi manuum ad templi cultum intendebat.

Petr. Dam. serm. 1. de natiuitate Mariæ.

Maria Virgo sacris litteris instituta.

Ansel. in vita B. Virg.

Maria Virgo ab ineunte ætate conuersabatur cum Angelis.

Georg. Archiepisc. Nicomediæ in orat. de Virgin. oblatione.

Maria Deipara ministrabant Angeli alimenta.

Maria Deipara speculum fœminarum.

Ingressa est sacrum Virginum septum puella nostra, vt nitidissimum earum esset speculum, norma viuendi, ac virtutum exemplum. Inter alia, quæ fecit Moses templi vasa, & instrumenta. *Fecit & labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi.* Mirum, quod labrum, seu concham faciens ex ære; basim fecerit ex speculis. Videbatur quidem ex opposito faciendum: vt labrum, cum in parte esset superiori; ex speculis fieret; ex ære basis, quæ suppositа erat. Nam in id specula illuc applicata sunt, vt resplenderent; fulgerent autem magis, si supremo essent loco, quam in basi ænea præsertim, concha superpositа, quæ pondere suo specula comminuere posse videbatur.

Exod. 38. 8.

Sed tamen non frustra sic rem disposuit instructus à Deo Moses. Pro cuius mente, sciendum est, concham illam æneam aqua fuisse plenam, ad manuum, ac pedum purificationem. Vultigitur Deus, Sanctarum specula fœminarum in pedibus poni, vt suos in speculis gressus intueantur, quàm recti sint; quàm sint honesti. Quod si quid minus purum in gressibus suis deprehenderint; lauent mox pedes illa superpositi labri aqua. Cæterum, si labrum hoc cum basi sua attentius perspiciamus; purissimam hanc puellam agnoscemus. Illa enim æneum labrum est, vas nempe firmissimum, vterus ære incorruptior. Quod labrum in id factum est, vt saluberrima purificationis aqua esset in eo, Dei scilicet Filius, qui se aquam fatetur, dicens ad Samaritanam mulierem: *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere; tu forsitan petyisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam.* Ioan. 4 10. *Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua, quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Cum ergo in finem hunc habēdi aquam istam in vtero suo inciperet fabricari à Deo nostra hæc puella; fūdamentum eius ex cunctarum est speculis constructum fœminarum sanctarum, id est, omnes, quotquot in Sanctis vbilibet fœminis virtutes illuxerunt, præfulgens Mariæ fundamentum sunt positæ, vt super hanc ordinatissime dispositam virtutum omnium congeriem, labrum illud, ille scilicet vterus firmaretur, in quem diuina aqua infundenda erat, de qua Psaltes Rex, *Apud te est fons vitæ.* Psal. 35. 10. S. Thomæ verba valde appositā sunt. *Alij sancti specialia quædam opera virtutum exercuerunt: quia alius fuit humilis, alius castus, alius misericors;* S. Thom. opuscul 8. *& ipsi dantur in exemplum specialium virtutum: sed B. Virgo in exemplum omnium virtutum, quia in ea reperies exemplum humilitatis, Ecce ancilla Domini.* Et post, *Respexit humilitatem ancillæ tuæ.* Castitatis, quoniam virum non cognosco, & omnium virtutum, vt satis patet. Quapropter purissimum, quo se componant speculum optantes fœminæ, ad Virginem hanc, tanquam ad speculorum fidelissimum, nitidissimumque accedere debent; quod attentè intuentes, ad omnem se formabunt pulchritudinem, adeóque concinne se exornabunt, vt Dei oculis speciosissimæ sint, atque gratissimæ. *In Maria,* ait S. Ambrosius. *Vel vt in*

speculo refulget species castitatis, & forma virtutis. Hinc sumamus exempla viuendi. Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente: corde humilis, verbis grauis, animo prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita, non hominem, sed Deum quærere. Quid ergo exequar ciborum parsimoniam? Officiorum redundantiam? Cibus, qui mortem arceret, non delitias ministraret. Dormire non prius cupiditas, quam necessitas fuit: & tamen cum quiesceret corpus, vigilaret animus, qui frequenter in somnis, aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat. Concurrite ergo auidæ virtutum, perfectionisque Virgines: concurrite & vos fœminæ omnes, quotquot vitæ vestræ perfectissimum optatis exemplum, imo & exempla omnia vitæ beatæ. Adducite specula vestra, præsentatæque hodie Virginis pedibus supponite. Pedes Mariæ, gressus, semitas, itinera tanquam vnicum vobis adspicite speculum, nam in pedibus eius omnia sunt sanctarum specula fœminarum, multo plura, quàm in labri basim posuerit Moses.

Ambros. li 2. de Virginibus.

Addo, speculum hoc speculis omnibus infinito præstare excessu, atque excellentia inexplicabili: quippe quo solo propriij speculorum obtinentur fines omnes. Ex tribus enim speculi finibus vnus duntaxat speculo quouis obtineri solet, diuino autem hoc speculo nostro omnes speculorum adipiscimur fines, ac effectus. Est finis primus perspicua tum sordium, tum pulchritudinis agnitio; secundus absterso macularum, quas cum indicat speculum, persona speculans abstergit: pulchritudo tertius, quæ ex huiusmodi purificatione procedit. Ex his primum duntaxat efficit speculum, perfectionis ac sordium cognitionem; nam purificationem macularum non efficit speculum ipsum, sed aqua, aut alius similis liquor, ad macularum ablutionem adhibitus: seu certè ceruſa cum murice, aut minio, quorum candore, atque rubore tristis facies pallor dissimulatur. Nec tamen adest iam finis tertius post secundi huius adeptionem; pulchritudo nimirum, quæ vltimus est ex tribus est ex tribus his finis, quoniam si compressus est nasus, oculi torui, aut torta labia, quid præstabit speculum, quantumuis deformitates has fideliter ostendat? quid præstabit aqua? Quid ceruſa? quid murex? At purissima hæc puella nostra tale speculum

Specularum fines, & effectus.

Maria Virgo vnicum speculum est, omnes speculorum fines, effectusque perficiens.

est, vt tribus istis finibus præstet, ac proficiat. Imprimis valet ad macularum cognitionem: quas in se deprehendet non paucas, quisquis candidissimam Virginem tanquam speculum sibi ante oculos proposuerit. Qui enim profundissimam eius humilitatem adspexerit; quot in seipso virtutis huius explorabit defectus, cum sentiat in se tam insatiabilem ambitionem, tam ridiculam iactantiam, tam turgentem superbiam, tot circa honores vanos obseruantias, tantam inanis gloriæ auiditatem? Qui Virginis huius constituerit sibi ob oculos honestatem, ac modestiam cum animi puritate, ac candore coniunctam: minimè quidem poterit non despicere propriam, vel incompositionem, vel immodestiam, vel impudicitiam, dissolutionem, peruicaciam, nimiámque in viuendo licentiam: ac vecordiam. Qui contemplatus fuerit Mariæ silentium, suauitatem, mansuetudinem, clementiam, sedulitatem, patiẽtiam, charitatem: quomodo poterit non planè videre magnam sui, qua à Virgine hac longissimè difformis est, disparitatem, suam loquacitatem, asperitatem, iracundiam, inclementiam, ignauiam, impatientiam, atque defectus charitatis? *In domo Domini plantata*, ait Ioan. Damascen. *& impinguata Spiritu, veluti oliua fructifera, omnis virtutis habitaculum facta est, ab omni seculari vita, & carnali concupiscentia procul mentem sequestrans: & Virginem animam cum corpore conseruans, vt decebat eam, quæ in sinu Deum susceptura esset.* Secundus, qui operatur effectus, abstersio macularum, diuino hoc speculo obtinetur: imo & deformitatum reformatio, quatenus Virgo hæc à Deo impetrat, vt purificet animas, mutétque in melius turpitudines eorum, qui eam sibi speculum proponunt vero exuendi deformitates desiderio. Qua etiam ratione tertius speculo hoc completur finis, animæ speciositas, qua grata Deo est, atque pulcherrima illo gratiæ candore, quem Virgo ipsa suo nobis impetrat patrocinio. *Altius ergo intueamini, quanto deuotionis affectu à nobis eam voluit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria. Vt proinde, si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis; ab ea nouerimus redundare*, ait S. Bernard.

Damascen. lib. 4. fidei cap. 15.

Bernard. serm. de natiuitate Mariæ.

Est præterea sciendum, tres inueniri speculorum species, aquam, ignem, & christallum, quæ in speculum vnum concurrere non possunt omnes; tametsi duo concurrant ignis,

Speculorum species tres.

ignis,& chriſtallum:cum tamen Maria vnum ſpeculum ſit aqueum, igneum, Chriſtallinum. Commune ſpeculum cunctiſque notum, chriſtallinum eſt, & hoc potiſſimum: tamen aqua etiam eſt ſufficiens ſpeculum; quam dum claram,qui etiamque intuemini,facies in ea veſtras,tanquam in ſpeculo videtis. In aqua enim ſe adſpexiſſe Corydorum adeo perſpicuè, vt ſibi ipſi ſumme placuerit, legimus apud Principem poetarum. Apud ſecundum etiam poſt hunc nota eſt hiſtoria, Salmaſem puellam magnam vitæ partem ſecus ſtagnum tranſegiſſe,eo quod aqua ei ſpeculum eſſet, ad diſcriminandos crines,faciémque fucãdam. Quod item chriſtallinum ſpeculum igneum eſſe ſoleat,narrat Cuſpianus, qui Proclum,Anaſtaſij Imperatoris artificem, ingentia feciſſe ſcribit ſpecula, exquiſita adeo arte, vt in maritimorum portuum turribus poſita, emiſſis à ſe flammis numeroſam nauium claſſem combuſſerint. Quod etiã Zonaras ille narrat, qui Ioannes Monachus fuit appellatus. Puriſſima puella noſtra chriſtallinum profecto ſpeculum fuit, vt nuper oſtendimus. Fuit & ſpeculum aqueum, vt ſponſus teſtatur ſeptimo Canticorum: *Oculi tui ſicut piſcinæ Heſebon.* Hebręis nomen idem eſt oculi,& fonti,ſeu piſcinę, videlicet *henain*, ſicut, & pellucidæ aquæ, & oculi natura valde ſymbola eſt, in eo præſertim, quod ſicut perſpicua aqua, ita & oculi, ſpeculorum more, intuentium imaginem reddunt, repræſentant,ac referunt. Fuit, & igneum ſpeculum Maria, de qua Sponſus, *Lampades eius lampades ignis, atque flammarum.* Erat eo tempore præceptum Domini, vt in templo illo iugis eſſet accenſa lampas. *Candelabrum ad luminaria ſuſtentanda. Vaſa illius,& lucernas, & oleum ad nutrimenta ignium.* Hæc in figura contingebant illis. Hodie præſentatur in templo fulgentiſſima hæc,ac amore incenſa puella noſtra,de qua Sponſus,*Lampades eius lampades ignis, atque flammarum;* cuius nunquam conſumitur oleum, nunquam ignis extinguitur,ſed augetur in dies vtrumque. Nam lampadis oleum ſemper minuebatur,ac conſequẽter languebat ignis: quare,& fouendi illum addito oleo perpetua erat cura miniſtris. Hodie præſentatur lampas illa, cuius oleum gratiæ inceſſanter augetur, ac ex conſequenti ignis charitatis. Oleum enim eſſe Dei gratiã, præterquam

Maria Virgo ſpeculũ vnũ, quod trium eſt ſpecierum ſpeculum.

Vergil.

Ouid. Metham.

Cuſpianus.

Zonaras.

Cant.7 4.

Hebræa.

Maria Virgo lampas tẽpli Dei.

Cant.8.6.

Exod.35.14.

Speculorum ſpecies tres.

quod eius natura indicat eo, quod charitatis foueat ignem, dicit S. Macharius, alijque ex Patribus non pauci, inter quos Cyril. & Nazianzenus asserens; *Cuius hic effectus est, vt id quod vngitur Deus fiat*, qui est proprius gratiæ effectus. Esse vero ignem charitatem, peruia apud scripturas significatio est, & Patres omnes, Richardum præsertim Victorinum. Hoc igitur gratiæ oleo plena fuit lampas hæc nostra: igneque isto charitatis accensa. Fuit quidem lampas chrystallina; ac proinde speculum cunctarum, quæ excubabant in templo puellarum, omniumque cuiusuis conditionis, qui templum illud introibant. Sed quodnam speculum? Nisi illud, quod ipsa sua gratia, & charitate illucebat mentibus, & corda intimius inflammabat multo latius, ac longius, quàm dicta illa Procli specula naues combusserint in portibus, quandoquidem ad vniuersas vsque mundi plagas, ad omniaque secula tanta lux, tantus, etiam nunc perueniat ardor. Quod si illas, quas dicta specula exurebant naues, hostium naues fuisse dicunt scriptores illi; quid de Virgine hac dicat Victorinus Richardus, audiamus. *Virgo tenebrarum Principibus terribilis fuit, vt ad eam accedere, eamque tentare non præsumpserint. Deterrebat eos flamma charitatis, incendebant orationes, & feruor deuotionis: Stupebant immunem à peccatis.*

Et quoniam post mentionem prædicti olei, & ignis sequitur in illo Exodi textu: *Altare thymiamatis, & thymiama ex aromatibus.* Fuit etiam hodierna hæc diuinæ puellæ præsentatio, suauissima oblatio thymiamatis ipsi primũ Deo, deinde visitantibus templum iocundissima. *Tanta* (inquit Dionys.) *est suauitas virtutum matris Dei, quod cuncta mundi odoramenta transcendit; imo totam perfundit Ecclesiam triumphantem. Insuper Ecclesia militans odore, & suauitate huius Deiferæ Virginis Dominæ suæ recreatur, fouetur, atque exhilaratur.* Cum magnus Alexander, Deorum templum puer ingressus, excedentem odoramentorum offert copiam, Leonides, pædagogus eius dixit ei; cum Thuriferam subiugaueris regionem, huiusmodi poteris incensorum copiam adolere. Postea potitus regione illa Alexander, immensas ad Leonidem mittens thymiamatis sarcinas, hanc simul cum eis dedit Epistolam: *Mitto tibi thuris & casiæ talenta centum,*

Gratia gratum faciens oleo designata.

Oleum symbolum gratiæ iustificantis.

Charitas ignis est.

Ignis symbolum charitatis.

Macharius homil. 43.

Cyril. li. de fide ad Theodos. in fin.

Nazianzen. orat. 4. de Theologia.

Richar mox citandus.

Rich. Vict. in Cõment. Cãtic. c. 26.

Exod. 35 15.

Dio Carth. in Cãt. 4. 10

Alexander mag. magnanimis copia thura puer obtulit tepla.

Plutarch. in Apophteg. § 26 qui incipit Alexãd. adhuc puer. tom. 1. moralium.

Maria oblatio in templo suauissima Deo.

ne posthac in Deos sis auarus, sciens, nos etiam aromatifera potitos esse regione. Plutarchus est autor. Ingreditur hodie diuina puella nostra templum Domini, cui pleniorem infinito excessu odoramentorum, quam Alexander offert copiam, fragrantissimarum nempe virtutum, offert, & semetipsam thymiama ipsa suauiorem, cum paucioribus, quam Alexander ille, sit annis, trimula scilicet, vt diximus: quodnam dicemus ei? Diuina Virgo, quidnam restat offerendum, quum infinitum in te accipies incensum, Dei filium, qui in ara crucis Patri offerendus est in odorem suauitatis? Plusquam centum, plusquam mille, plusquam infinita odoramentorum tunc offeres talenta, quæ tam munifice hodie ei præsentaris. *Cum egressus ab arca post diluuium Noetus. Obtulit holocausta super altare: odoratus est Dominus odorem suauitatis.* Genes. 8. 20 Multo quidē suauius odorabitur, cum diuinus Noe, ex te, arca diuina, in terras egressus, seipsum offeret incensum. At quantanam suauitate iucundari hodie existimandus est Deus ipse, cum te, plenissimum odoramentis arcam, ab ineunte ætate videat ei præsentari, videat & igne charitatis accendi? Epiloga.

IN ANNVNTIATIONE B. VIRGINIS MARIAE.

SERMO I.

Luc. 1. 30. *Maria, inueniſti gratiam apud Deum.*

FÆliciſſimum Mariæ nuntium, & orbi vniuerſo fæliciſſimum quod miſſus à Deo Gabriel Angelus affert hodie Mariæ. Gratiæ vocat inuentricem : *Inueniſti gratiam apud Deum.* Amiſerat ſibi, & vniuerſo hominum generi pretioſiſſimum gratiæ topazion mulier prima cum primo viro : quiſnam eam, niſi ſanctiſſima fœmina, cum ſupremo inueniret viro ? Aliqui viri, fœminæ aliquæ eam quidem inuenerant, ſibi tamen ipſis, vniuerſis hominibus nemo niſi mulier hæc Maria gratiæ inuentrix, quæ gratiæ nobis edidit auctorem. Nuntiat Mariæ Angelus eam quidem gratiam inueniſſe, quo nuntio ita affecta eſt, vt cum ſecundum ei nuntium proponit, inuentionem cupiat comparem primæ. Nuntiat eam quidem filium, concepturam, nec humanam duntaxat filium, ſed filium altiſſimi, ac conſequenter Deum ipſum verum, verum hominem. Quid reſpondit Maria ? *Quomodo fiet iſtud ? quoniam virum non cognoſco.* Nonne videtis ? Nouam quærit inuentionem: modum nouum. *Quomodo fiet iſtud.* (qua rogo) arte faciendum eſt, cum non ſit naturali via faciendum ? Et certe adinuentionem audiuit inauditam. Concipiendum ab ea Dei Filium abſque maritali penitus amplexu, ſed ſancto Spiritu obumbrante. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te ; & virtus*

Altiſsimi obumbrabit tibi. Suprema quidem, inuentiones omnes ſuperans inuentio. Dei naturalis filius, fœminę filius naturalis. quid ab arte hac expectari iam poſſet, niſi vt fœmina hæc genitrix eius, eum Virgo conciperet, pareret Virgo item poſt partum, & in æternum conſeruetur? Fæliciſſima ergo eſt Virgo hæc talis topazij inuentrix, cum infinitum protinus inueniat theſaurum Deum ipſum. Quid faciemus nos? Cum quis pretioſum aliquid inuenit, ſi id inuenit ſibi, congratulamur ei; ſi inuenit nobis, retribuimus præmium. Quam ſibi & nobis cum viro ſuo amiſerat gratiam mulier prima, inuenit Maria ſibi, & nobis. Decet ergo, vt ei, quæ gratiam ſibi inuenit, congratulemur: ſed debemus ei retributionem, propterea quod nobis inuenerit gratiam. At quidnam poſſumus ei retribuere? Qui diuina eam gratia repleuit, Sanctus Spiritus eſt gratiæ largitor. Qui eam ad conceptum obumbrauit, & partum, eſt ſimiliter ipſe ſanctus Spiritus. Quid abſque diuino hoc ſpiritu facere poterimus? Certe nec dicere Ieſus, neque Mariæ gratulari, neque gratiæ fieri particeps. quæ autem donum hoc à Sancto nobis impetrat Spiritu, Virgo ipſa eſt: itaque ipſa eſt à nobis inuocanda, vt gratiam hanc à diuino impetret Spiritu, inuocanda, laudanda, ſalutanda eiſdem Verbis, quibus ſalutauit eam Angelus, dicens:

AVE MARIA.

Inuentores rerũ magni vbique habiti, statuisq honorati.

INuentores rerum, earum præsertim, quæ hominibus ex vsu esse possunt magna, in quouis sæculo apud nationes quasque æstimatione sunt habiti, tam viri, quam mulieres: atque eò altiori æstimatione, quo inuentores, seu ars inuenta, hominibus ipsis aut proficua est magis, aut honorabilis. Ceres, Saturni filia, quòd cultus agri fuerit inuentrix, Dea apud antiquos habita fuit. Propter mellis & apum adinuentionem, statua donatus Rex Archadiæ Aristeus. Adscriptus quoque Dijs Apollo, medicinæ artis inuentor primus. quid, quod & Cleantes magno sit habitus honore, quod picturæ fuerit inuentor, sicut ob inuentionem sculpturæ Dipelus? Nec mirum quod ob musicæ artis inuentionem miris in orbe toto Amphion commendatus sit laudibus, cum inuentorem fistulæ Panem, & Mercurium Lyræ, inter Deos adscripserit antiquitas. quod si horologiorum artificium admiramur, magnique & quidem meritò, facimus, quàm (rogo) acceptus, quàm admirandus est, quàm à cunctis laudatus inuentor horologij Animander? Nec parum celebris Achates excutiendi ex silice ignis adinuentor. Si veteres isti rerum & artium inuentores tanti vbique sunt habiti, vt plerique eorum, tam viri, quam fœminę inter Deos locati sint: quanta æstimatione, quanto honore quot & quantis encomijs celebranda est, quanto amoris effectu diligenda, quàm sublimi sede collocanda, quàm humili cultu suspiciẽda Maria, quæ non rei naturalis, non naturalis artificij, sed diuinæ gratiæ inuentrix est nobis? quidni inuentricem prædicemus, cum dicat B. Aug. *Auctrix peccati Eua: auctrix meriti Maria?* Gratiæ auctor Christus est: inuentrix gratiæ Maria. Gratia & veritas per Iesum Christum facta est, Maria ergo gratiæ inuentrix, quæ diuinum thesaurũ, gratiæ auctorem, ex æterna aurifodina æterni scilicet Patris sinu in suum sinum diuinitus accepit. *Aue gratia plena*: gratulor tibi gratiæ inuentrix, immẽsi inuentrix thesauri, gratiæque thesauraria: illius quidem rei inuentrix es tu, artis illius es inuentrix, quæ vniuersas res, omnes facile excedit inuentiones, nõ diuisim sũptas, sed in vnũ cumulatas, vnde sola tu inuẽtores

Maria diuina gratia inuentrix.

Virgil. li. 1. Georgic.

Virgil. l. 4. Georgic.

Ouid. 1. Metamorph.

Plin. l. 35. c. 3

Virgil. 1. Æneid.

Aug serm. 2 de Annũc. qui est 18. de Sanctis.

Ioan. 1. 17.

rerũ, artiumq; omniũ in vnũ cõgestos superas vniuersos. Tãto illustrior tu inuẽtorib. omnib. quantũ diuina humanis, quantum gratia Dei omnibus rebus facile præstat.

Inuentores rerum & artium multa apud Reges gratia accepti.

Inuentionis huius eminentissimã artem, summum emolumentum quisquis profundè volet æstimare, id maturè cõsideret, quoslibet rerũ, artiúmque inuẽtores ideo maximi habitos, magnis muneribus donatos, quod ob pretiosarum rerũ inuentiones, artiumve populo proficuarũ, multã Reges gratiã, multã beneuolentiam sint promeriti. Quãtum (rogo) regiæ adipiscitur gratiæ inuentor quiuis aurei thesauri, aureæve fodinæ? quantis multi hodie lucubrationibus naturalia sua excauant ingenia, vt artificiosa ingenia excogitent noua, quibus argenteas purificent glebas minimo ipsius argenti dispendio: sicque intimam Regum sibi gratiam cõcilient? Si ergo adinuentorũ horum prosperitas est Regiæ gratiæ aut cõseruatio, aut acquisitio: quantò fælicior inuentoribus reliquis est ille, qui regiæ ipsius gratiæ inuentor est, præsertim excelso gradu inuentæ. Tanto quidem fælicior inuentoribus reliquis, quanto inuentor finis fælicior est illis, qui media ad finem adinueniunt? Quod si is inuentorum fæliciſſimus, quonam gradu fælicem appellabimus eam, quæ non apud solos terrarum Reges, sed apud Regem cæli, apud summum Principem, apud ipsum gratiæ Dominum inuenit gratiam: apud Deum? Video inuentam à Maria gratiam à Deo ipso & prouenire, siquidem apud Deum gratiam inuenit: tamen hæc est diuinæ gloria gratiæ, quod gratum faciat apud Deum hominem illum, qui apud eundem Deum inuenit gratiam: quanto magis Mariam matrem suam.

Inuentores rerum & artium cunctis gratiq; populis.

Porro gratia illa, qua rerum, & artium inuentores sunt grati, non apud solos Reges esse solet, sed apud omnes etiam populos, quibus est vtilis inuentio. Ideo vbique accepta, atque laudata inuẽtrix cultus agri Ceres. Nemo autem ex vniuersis rerum, artiumve inuentoribus, tam vtilem vspiam, tam proficuam, tam desideratam rem, artem tam sublimem, tam pretiosum thesaurum adinuenit, sicut Maria nostra, quæ & inuenit gratiam apud Deum, & artem qua Dei filius, filius eius est. Deus factus est homo, enixa Virgo perpetua: quæ

Maria sibi & nobis gratia inuentrix.

inuenit gratiam non solo sibi, sed & omnibus gentibus, quotquot diuinæ gratiæ sunt participes. *Nullus enim est* (inquit Germanus) *qui saluus fiat, ô sanctissima, nisi per te.* *Nemo est, cui donum concedatur nisi per te, ô castissima. Nemo est cuius misereatur gratia, nisi per te, ô honestissima! Quam ob rem, quis non te beatam pronuntiabit? Quid ego his adjiciam verbis, Beatissima Virgo? Tu inuenisti gratiam apud Deum: quanam nos mediatrice gratiam inueniemus, nisi inuenta te, quæ gratiæ inuentrix prædiceris? Apertam hanc inueniendæ gratiæ viam facis notam dicens. Qui me inuenerit inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino. Quid est Dei gratia? nonne vita ipsa? Imò æterna vita.* Textus ad Romanos. *Gratia Dei vita æterna.* Et tu quidem gratia plena es, atque adeo, omni plenitudine plena. Nuntius etenim Gabriel, qui dixit tibi Gratia plena, vsus est Syro nomine, *kehimta*, quod superlatiuum denotat gradum; nempe gratiosissimam, acceptissimam, ditissimam.

Germ. Patriarch. Cõstantinop. homil. de zona & fascijs Deiparæ.

Prou. 8. 35.

Rom. 6. 23.

Syriaca.

Quod attendens, Chronographus Lucas, cum scriberet Græco historiam Sermone, dixit, *Kecharitomeni*, quod plenissimam non in vno genere gratiam, sed in omni significat genere vniuersas perfectissimo gradu virtutes comprehendens. Hanc enim esse Græci huius nominis proprietatem, non solus ille, qui de nominibus scripsit, Appollonius; sed & qui de hac Mariæ gratia scripsit Epiphanius, verbis his pronuntiauit. *Ea diximus patrocinantes* Kata Pan Kecharitomeni, per omnia gratiosæ, vel vt Gabriel dixit; Aue gratiosa Dominus tecum.

Lucas.

Appollon. l. 1. de Syntaxi.

Epiph. hæresi 78. ad finẽ, & hæresi. 9 cõtr. Samaritas.

Cum igitur tota plena sit gratia; consequens est, vt gratia eius in nos munifice redundet, quatenus edidit nobis diuinum ipsum gratię fontem. Vocat scriptor Ioannes Dominum Christum plenum gratiæ; & veritatis, cui tanquam consequens continenter addit, & de plenitudine eius nos omnes accepimus: quoniam profecto regalis plenitudo semper supereffluit, vt participent omnes. Si ergo Maria gratia plena est: congruè quidem deducitur, gratiam eius in omnes deriuari.

Ioan. 1. 14.

Ioan. 1. 16.

Sed audite iam qualem explicet Gabriel inuentionem. *Spiritus sanctus superueniet in te.* Virgo mater est: mater permanet Virgo. Virginitas simul, & fœcunditas, partus & integritas.

Maria mirabilis adinuẽtione mater Virgo est.

integritas. Conceptio filij nulla ignis libidine; conceptio ignis absque ardore: nam Deus ignis consumens est, & hic concipitur in vtero. Æternus concipitur, & nascitur, magnus fit paruus permanens magnus: Verbum caro factum, homo Deus, & Deus homo. O admiranda adinuentio! *Audite omnes filiæ Euæ*, ait Origenes, *Audite omnes vos, quæ hæreditatem doloris, & iustitiæ ex illa sumpsistis. Vos, quæ in tristitia generatis filios, vel potius vos quæ concupiscentiam corruptibilem non timuistis: audite & lætamini; audite consolamini? Audite, quod Virgo in vtero accepit, non ex desiderio partum concipiens, quæ nec persuasione serpentis decepta est, nec eius afflatibus infecta.*

Maria gratia inuëtrix perfectior quam Noe.

Iuxta inuentionem hanc inuëtrix hæc inuenitur excelsior in eo, quod non vtcumque Dei inuenisse gratiam, sed eam apud Deum inuenisse describatur. *Inuenisti* (ait) *gratiam apud Deum.* Vnica Mariæ prærogatiua, quod apud Deum dicatur *inuenisse gratiam.* Si solam eam, quæ in mũdi instauratione inuenta est, gratiam attenderemus, non Mariam solam, sed duos præter Christum, fateremur, virum & fœminam ad mundi instaurationem inuenisse gratiam, Noëtum & Mariam. *Noë inuenit gratiam coram Domino. Maria inuenisti gratiam apud Deum.* Cur duo isti? Causam attendite. Bis terra vniuersa renouata est, & instaurata: primo deletis ab ea sordidis hominibus: vltimo deletis hominum sordibus. Primò scilicet, cum *videns Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, delebo*, inquit, *hominem, quem creaui à facie terræ.* Et deleuit sanè exceptis octo, homines omnes pluuialibus aquis. At in secunda reformatione non deleuit omnes, imo deleuit neminem: sed deleuit maculas ab eis, vt orbem sic purificaret. Ad vtramque purificationem diuina vtique opus fuit arte, vt eo modo purificaretur à peccatoribus terra, quo posset in melius instaurari. Fuit ergo primæ illius instaurationis ars, vt, cum homines quod impij inuenirentur, essent delendi, iustus conseruaretur cum familia sua Noëtus, ex quo genus denuò propagaretur humanum. Dixit enim Dominus ad eum. *Te enim vidi iustum coram me in generatione hac.* Secundæ autem instaurationis ars longe excelsior fuit; cum instaurator hic talis esse deberet, ex quo non gignerentur homines alij, pro eis, qui

Gen. 6 8.

Hominum purificatio bis facta: primum diluuio: postea Christi sanguine.

Gen. 6. 5.

Christus excelsior quam Noe, mundi purificator, & instaurator.

Gen. 7. 1.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

diluuio extincti essent, aliove extincti interitu, sed ipsimet homines minimè secundum naturam extincti, denuò gignerentur ab eo puri, sancti, immaculati. Huiusmodi ergo instauratorem, qui sic gigneret filios, non hominem tãtum, non tantum iustũ, non qui gratiam sicut Noëtus inuenisset, sed gratiæ auctorem, auctorem iustitiæ, hominẽ Deum esse oportuit. Noua etenim generatio hæc, cum sit regeneratio; non carnali quidẽ, sed spiritali influxu erat facienda; quippe qua non nouus homo ex alio homine esset producẽdus: sed homo iam naturaliter productus, nouus fieret homo supernaturali esse, supernaturalibus virtutibus. Id enim dicit textus ille. *Oportet vos nasci denuo.* Vnde hominẽ hunc, quem hominum generationẽ hac instauratorem, & caput elegit Deus; non vtique tantum iustorum iustissimum, sanctissimum Sanctorum esse oportebat, cum ad gignendos charitate Sanctos destinatus sit. Sed Deum simul & hominem; hominem verum, verum Deum. Christus est hic; qui ad vniuersi mundi instaurationem, purificationem, plenamque gratiæ & gloriæ diuitijs locupletationem destinatus est, & incarnatus. Hoc est hodiernæ festiuitatis mysterium, præ mysterijs omnibus sublime. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Hoc hodiernum Angeli nuntium: *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum.* Quod & ad eiusdem Virginis sponsum dicens nuntius Angelus, reddidit causam dicens. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Quapropter iusti nomen, non sicut Noë, sortitus est hic, adiectiuum videlicet nomen; sed iusti nomen proprium est eius nomen, quo iusti cognoscitur nomine. *In diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter, & hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus iustus noster,* dixit Ieremias. Est gratiæ auctor, non sicut Noë, qui gratiam inuenit, dicente Ioanne: *Gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Est naturalis Dei Filius; *Hic erit magnus: & filius Altissimi vocabitur.* Estque Deus ipse consubstantialis Patri Deo.

Ioan. 3 7. — *Christus genitor iustorum.*

Matth. 2, 21 — *Christum appellatur iustus nomine proprio.*

Ierem. 23. 6.

Ioan. 1. 17.

Pertinebat autem ad vtramque mundi instaurationem noua aliqua adinuentio, qua, qui essẽt saluandi, saluarentur. Ideò octo illi, qui diluuij tempore seruati sunt; lignea quidẽ fuerunt seruati arca. De hac dixit Deus ad Noë- — *Maria arca Noe.*

tum, *Fac tibi arcam de lignis leuigatis; & ingredieris arcam tu & filij tui, vxor tua, & vxores filiorum tuorum tecum.* Pro secunda verò instauratione arca fabricata est Maria integerrima Virgo, quam Saluator mundi ingrederetur; vt ex ea egressus mundum viuificaret, instauraret, consummaret. Quod deuotissime contemplatus Chrysipus, arcam hanc dicit esse Mariam Dei matrem; sed tanto Noëtica præstantiorem, quanto viuam lignea: humanæ sobolis conseruatrice factam pro ineunda spiritali hominum generatione: arca Noëtica veram Dei matrem. Quod si ligneæ illius, cum tantopere excederetur, ab arca hac, Deus ipse clausuram non omisit, imo ingressum Noë cum familia sua, *Inclusit eum Dominus deforis*, id est, *clausit à foris ostium Dominus*: quanto impensius intendisse integritati diuinæ arcæ, matris suæ, existimandus est; itaut nec in suiipsius in eam ingressu, nec in egressu, nec post partum fuerit Virginitatis diminutio? His, quæ inter vtramque arcam versantur, discriminibus, illud adscribendum est, quod ad gratiæ spectat inuentricem. *Inuenit gratiam Noë, inuenit Maria*: quomodo hæc? quomodo ille? Noë inuenit gratiam coram Domino: Mariæ dixit paranymphus: Inuenisti gratiam apum Deum. Nonne discriminis discrimen? Noë coram Domino: apud Deum Maria: latum discrimen est. Inuenire gratiam coram Rege, est coram eo tanquam gratum famulum adstare: apud Regem gratiam inuenire, proprium Reginæ est; quæ à Regis sedet latere. Nec leue interpretationis fundamentum. Nam cum diuinæ Scripturæ loca, in quibus aliquis inuenisse dicitur gratiam quinquaginta in vnum numerentur: nullus nisi Maria, & filius eius apud aliquem inuenisse gratiam perhibetur. Reliqui dicuntur inuenisse gratiam coram aliquo, aut in oculis, seu coram oculis eius, in conspectu eius, vel ante eum. Sola Ruth dixit, apud; sed duobus additamentis: altero, quod dixit ad Booz, quando iam iam erat in vxorem accipienda: quo propositum nostrum, confirmatur: nonnisi sponsam apud sponsum gratiam reperiri dici; altero, quod neque sponsa Ruth gratiam apud Booz se inuenisse dixit; sed dixit ad eum: *Si inueni gratiam apud oculos tuos.* At *Iesus proficiebat ætate, & gratia apud Deum & homines.* Angelus ad Mariam,

Gen. 6. 14.

Chrysipus de laudibus Mariæ.

Gratiam apud Deũ, gratiam autem coram Deo inuenire, valdè diuersa sũt.

Gen. 7. 16.

Ruth. 2. 13.
Luc. 2. 53.

Inueniſti gratiam apud Deum. Quis dixerit, cum tot ſint in ſcriptura huiuſmodi de inuenta gratia locutiones, neminem præter Mariam & Filium eius gratiam apud aliquem inueniſſe perhiberi; vtrumque vero Matrem & Filium apud Deum gratiam inueniſſe caſu abſque vllo dici myſterio? Sunt ergo eiuſdem claſſis, mater & filius, Auctor gratiæ hic, vtpote naturalis Dei Filius: illa propter hunc inuentrix gratiæ, cum ſit eiuſdem filij naturalis mater.

Chriſtus ſingulari quadam titulo Paternoſter.

Fœlix mater, quæ gratiæ inuentrix, talem concepit ac peperit filium, fœlices & nos, quos talis filius ex tali matre conceptus & natus, facit nos filios ſuos ſublimi quadã inuentione. Eſt Dei Filius adeò propriè Filius, vt naturali generatione Pater eſſe nequeat. Creatione quidem Pater eſt omnium; eſtque iuſtorum Pater adoptione. Quoniam Creator omnium Deus eſt, tres nimirum perſonæ; ſicut & adoptare totius eſt diuinæ Trinitatis: ac quantum ad naturalem generationem, vna duntaxat ex tribus perſonis eſt Pater, Filius perſona vna à Patre diſtincta. Itaut Filio proprium ſit eſſe Filium, nec naturalis Pater eſſe poſſit: ſitque tam proprium ei non generare, quàm eſt ei proprium generari. Tu, qui me audis, cum Filius ſis Ioannis, Franciſci pater es: quoniam non conſiſtit perſona tua in eo, quod ſis aut Pater, aut Filius: ſiquidem Adam nullius fuit Filius, nec ideo habebat aliã perſonæ rationem ab ea, qua tu perſona es: at naturalis Dei Filius ipſa quidem relatio eſt, quæ refert Patrem, ſeu qua refertur ad Patrẽ, vt cum D. Thoma docent Theologi. Vnde fit, vt ſæpe agnoſcaris, ſæpe videaris, abſq; eo, quod illi qui te vidẽt meminerint, ſiſne Pater an Filius. Filij autem Dei propria notio eſt filiatio, itaut perſona hæc videri non poſſit, nec agnoſci, quin agnoſcatur eſſe Filius. Sic docuerũt. SS. Patres, Baſilius, Athanaſius, Naziãzenus, Gregorius, & Thomas. Id quod loquens de Verbo dixit & S. Auguſtinus. Cum igitur Dei Filius ita Filius ſit generatione, vt naturali generatione pater eſſe nequeat; præcelſam adinuenit artem, vt gignens ſupernaturali filios generatione, multorum eſſet Pater titulo quodam ſingulari? Quamnam artẽ adinuenit? vtique, vt proprij ſanguinis virtute, adoptionis gigneret filios. Qui enim ſanguinis virtute producuntur, filij ſunt eius, cuius proprius eſt ſanguis, cum

S. Tho. 1. p. q. 33 art. 2. & 3.

S. Tho. 1. p. q. 40. art. 1. Valent. t. 1. diſput 2. q 14 puncto.

Baſil. lib 1. contra Eunom. Athan. dialogo de Trinit. cõtra Ano. p 673. Nazian. orat 3. de Theolog. S. Tho 1. p. q. 32. art. 3. Aug. lib. 7. de Trinit. cap. 3.

talis sanguinis virtute sint geniti ? Quo autem modo proprium Filius Dei haberet sanguinem, nisi fieret caro? O adinuentionem admirabilem ! *Verbum caro factum est.* Ecce Dei Filius proprium habet sanguinem. O (iterum dico) adinuentionem admirabilem! Sic gignit Dei Filius filios multos, omnes videlicet iustos homines, proprij sanguinis virtute. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere; vt adoptionem filiorum reciperemus.* Qualem adoptionem? Ipsemet Chronographus, qui dixit, *Verbum caro factum est*; id quidem dixit statim post verba illa; *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem Filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius; qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt, & Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Non dixit, qui non ex sanguine; sed dixit, qui non ex sanguinibus; ad designandum generationem hanc nec naturalem esse, nec carnalem, ex commistione scilicet viri & fœminæ, vt exposuit Beda: quod & subsequentibus exprimi verbis, dixit Augustinus: illis nimirum verbis; *Neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri;* id est, non ex voluntate viri & fœminæ. In quo est mirabilior adinuentio; quod cum virtute sanguinis fiat generatio, minime carnalis, sed supernaturalis & purissima, vnde regeneratio est, & appellatur; filijque sic geniti, & nati, renati merito dicũtur, & regeniti; quoniam generatio hæc, & hæc natiuitas naturali generationi superuenit. Non nascuntur homines generatione hac: sed homines naturaliter iam geniti, & nati, noui fiunt homines, regeniti, & renati? Non est ex corruptione generatio, sed pura adeo, vt ablutione fiat, virtute sanguinis Christi Patris nostri. Imo ipsum ablui homines baptismo, ipsum regenerari, ipsum renasci est. *Secundum misericordiam suam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum Saluatorem nostrum: vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.* Video obijci posse, huiusmodi generationem fieri potuisse à Dei Filio, nulla assumpta carne, nulla virtute sanguinis; cum vera adoptio sit, sitque Dei Filius, etiamsi non assumit & carnem, iustorum Pater adoptione. Certum fatemur hoc: at fateri tenentur omnes, eam filiationem, qua sola adoptione Filij essemus

Gal. 4. 4.

Ioan. 1. 12.

Beda in Ioan. Aug. ibi.

Titum. 3. 5.

Dei, per solam nimirum gratiæ ipsius infusionem, minime futuram fuisse generationem propria factam substantia; quandoquidem nullum Dei Filius, nisi ex assumpta habet sanguinem carne. Assumpta gignit filios virtute sanguinis; qui ad eius pertinet integritatem inquantum homo est, humanum habens corpus. Estque maxime paterni proprium amoris indicium, quod suum Dei Filius effuderet sanguinem, vt nos faceret filios amantissimos. Illud citra dubium; singulari quodammodo Patrem nostrum esse Christum: adoptione sola non esse singulariter Patrē. Quoniam filios adoptare diuinæ est Trinitatis; pertinetque ex æquo ad vnum in tribus Deum personis; cum vnus Deus sit, qui acceptat filios, suamque eis gratiam infundit; vt probat S. Thomas: sicut ad totam Trinitatē pertinet filios creatione formare. Quòd vero singulari quodam titulo Pater noster sit Christus; inde quidem constat, quos cum baptismo fiat regeneratio, à Christi sanguine virtutem habeat lauacrum. *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Ideo Beatus Augustinus ponderans illud Ioannis Verbum, *Vnus militum lanceâ latus eius aperuit*; graphicè dixit; *Vigilante Verbo Euangelista vsus est; vt illius quodammodo vitæ ostium ponderetur, vnde Sacramenta Ecclesiæ manarunt.* Quid moror? quid contendo ostendere magna quadam Paternitatis circunstantia esse Patrem nostrum Dei Filius, ex eo quod nostram assumpserit carnem: cùm nō solum id, quod proprium est Patris, sed quod etiam Matris est, faciat erga homines, quod absque assumpta carne minime fieret. Gignit filios virtute sanguinis sui, & propria eos nutrit substantia, præbens se māducandum, in diuino Eucharistiæ Sacramento. Nunquam substantia propria homines aleret, si humanam substantiam nunquam assumpsisset. *Quos genuit per semetipsum enutrit*, ait B. Chrysostomus. Matris quidem est proprium nutrire filios: nec cuiusuis matris, sed eius, in qua accensus viget amor, ita vt quæ filios per se non nutrit, cum nutrire possit, imperfecta mater censeatur à Phauorino, quem in hoc laudat Gellius, laudāt & Valerius Flacus, & Theocritus: dicatq; B. Ambrosius matrem hanc lentiorem filiorum amatricem. Quis non videat, modum, quo Dei Filius Pater est noster, esse singularem, nec talem futu-

S. Tho. 3. p. 8. 23. art. 2.

Apoc. 2 5.

Ioan. 19 34. Aug. Tract. 120. in Ioan.

Chry. hom. 83. in Matt.

Phauorinus apud Gellium. lib. 12. ca. 1.

Valer. Flac. 2. Argonaut.

Theocrit. Idill 3.

Amb. li. de Abraham. c. 7. & in Examer 18. 82.

rum fuisse, si absque carne assumpta, gratiam hominibus infunderet? Nec omittendum, quod Theologi dicunt, hominem nondum baptizatũ, Eucharistiæ esse incapacem, eo quod Sacramentorum ianua baptismus sit, quippe spiritalis natiuitas, præsertim quantum ad Eucharistiæ Sacramẽtum, cum nutriri non possit, qui nondum natus est. Contingit autem adoptiuum Dei Filium esse cathecumenum; & tamen dicunt nondum genitum, quantum ad modum generationis, quæ nutritioni huic affinis est. Cum enim alimentũ seu nutritio corpus ipsum sit Christi, & sanguis eius realiter sumptus: ille quidem generationis modus modo huic alimenti propinquior est, ad quem concurrit humanitas Christi Physica actione: quæ in Baptismo, cæterisque concurrit Sacramentis. Non dubitauit S. Augustinus attribuere Christo nostrum esse singulariter Patrem; cùm Verba eius sint hæc, quæ iam referam. *Duo autem, quæ in vno homine fiunt, nasci, & renasci, ad duos homines pertinent: vnum ad primum Adam; alterum ad secundum Christum. Neque moreremur, nisi per carnalem propaginem de membris illius veniremus: neque viueremus, nisi per spiritalem connexionem membra huius essemus. Ideo in nobis opus fuit nasci, & renasci.*

Suar. 3. p. tom. 3. disp. 11. sect. 1. §. tertia ratio.

Cayet. 3. p. q 13. a. 2. q. 69. art. vlti. Medina. ibi. Aug. lib. 6. contra. Iulian.

Christus vt honoraret incarnationis mysteriũ, appellabat se frequentius Filium hominis.

Ecce, auditores Pij, supremam Dei adinuentionem vnigenitus filius, qui quatenus Deus nequit propriæ generatione substantiæ esse Pater, factus fœminæ filius, filios gignit proprij virtute sanguinis multos fulgẽtissimos. Gignit eum fœmina, & permanet Virgo eos filios, quos filius eius spiritaliter gignit. Expandit adinuentione hac suos munificos thesauros: sapientiam, iustitiam, omnipotentiam, pietatem, clementiam, fortitudinem, misericordiam, bonitatem, magnitudinem, gloriam. Ideo non dedignatur appellare se nomine illo, quod ex diuina hac adinuẽtione habet proprium; filium videlicet hominis. Quis ex auditoribus absque consideratione præteriit, dum audit vsitatam Christi locutionẽ, qua filium se hominis appellat; cum Dei sit Filius naturalis, sicque sæpe in scripturis appelletur? Imo hodierna ipsa die, intimans concepturæ Virgini Gabriel, qualem esset filium paritura, noctum fecit ei; *Hic erit Magnus; & Filius Altissimi vocabitur.* Certe, quantum ego conijcere possum, ideo se hominis frequentiore vsu appellabat filiũ, quod mysterum

Luc. 1. 32.

hoc vellet honorare. Duobus vtitur homo quisque nominibus: tum parentum nomine dicens, Pater meus Ioannes, Thecla mater mea: tum nomine filij, dicens; sum Ioannis filius, filius Theclę. Dominus Iesus ita vtebatur nominibusque frequentiore locutione, vt cum loquebatur de parentibus, diceret ore pleno Patrem meum; matrem meam nunquam, aut raro, quod Historici commemorent; sed dicebat mulierem; cum autem se dicebat filium, tũc quidem multo frequentius vocabat se filium hominis, quàm Filium Dei. Testis est ipsa Euangelica historia; in qua legimus, adeo expresso nomine, adeoq; frequẽter dixisse Deum Patrem
Ioan. 5. 17. suum, vt id plane intelligerent illi, quibuscum loquebatur, in tantum, vt scribat Ioannes Verba hæc: *Iesus autem respondit eis; Pater meus vsque modò operatur, & ego operor. Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere: quia nõ solum soluebat Sabbatum.* Sed & Patrẽ suum dicebat Deum, ęqualem se faciens Deo. Vsum vero fuisse nomine Filij hominis, cum se dicebat filium; videt, quisquis legit Euangelium, id quidem eum dixisse frequentius. Quis ergo potuit locutionis huius esse finis? Ego quidem inter alias expositiones acceptarem, & hanc voluisse Dominum Iesum humanitatem suam honorare, dicendo se hominis filium; cum ad diuinitatem suam commendandam passim diceret Deũ Patrem suum. Nomen Filij Dei ex se, ac per se suum habet honorem; posset que quisquam putare, parũ æstimare Christum humanitatem suam, si cum semper vocaret Deum Patrem suum, nunquam vocans matrem, vocaret se etiam semper Filium Dei, nunquam hominis Filium. Ideo se filium hominis frequentissime dicebat.

Mariæ Dei-param cur Filius eius dixerit mulierem omisso matris nomine.

Estque in hoc iucundissima alia tam Christo ipsi, quàm nobis omnibus dulcedo. Dicebat mulierem matrem suam, matrem nũquam, aut raro appellasse describitur: quis finis? An parum lene nomen mulier? Imo vero magna dilectionis, magna æstimationis significatio. Cum enim se hominis diceret Filium; matrem suam vocabat mulierem, vt in eo sibi comparem ostenderet. Ex eo quippe est hominis Filius, quod Filius sit Mariæ: cum nullum, quantum ad humanitatem immediatum habeat Patrem, sed matrem Virginẽ, ex qua habet, quod sit hominis Filius. Estque propterea &

nobis

nobis dulcis appellatio; cum dicens se frequenter filium hominis, homines omnes honoraret. Non dedignatur Dei Filius vti nomine hoc, quo supremam hanc Incarnationis suæ adinuentionem exaltaret: *Notas facite in populis adinuentiones eius: mementote, quoniam excelsum est nomen eius.* Isa.12.9. Nomen eius ex seipso excelsum est: nomen Filij Dei, & veri Dei nomen: adinuentionem oportet notam facere, qua Deus cum sit, est Deus & homo. Filium Dei esse Dei Filium, non inuentio est, sed natura eius: si quidem non arte, aut inuentione, sed naturaliter procedit à Patre. At naturalem Dei Filium esse mulieris: hæc est suprema Dei adinuentio. *Suppeditauit creatori, creari, & plasmatori plasmari; & Filio Dei, & Deo incarnari, & humanari ex puris & illibatis carnibus eius* (Mariæ scilicet) *& sanguinibus*, primæ matris absoluens debitum, ait B. Damascenus. Damas. li. 4. de fide c. 15.

Ecce adinuentio vna, plures simul adinuẽtiones est. *Notas facite in populis adinuentiones eius.* Quasnam? *Exulta, & lauda, habitatio Sion; quia magnus in medio tui Sanctus Israel.* Eia Siõ, eia virgo purissima, exulta & lauda: *Magnus in medio tui Sanctus Israel.* Magnus in medio tui; in vtero videlicet tuo. Hãc vnã Propheta adinuentionem assignat. Si vna est, cur adinuentiones dicis plures? Hæc est adinuentionis eminentia. Deus factus homo in vtero Virginis, Virgo mater est, Filius Dei mulieris filius: Filius Dei vnigenitus, hominũ Pater spiritali generatione, virtute sanguinis facta. Quid dixerim plures adinuentiones? Imo inuentiones omnes, quæ cum sapientia honestatem coniungunt. Inuentiones omnes initio propositas recolamus; omnes in se habet vna hæc adinuentio: sed gradu longe excelsiore.

Mariã Dei-param cur Filius eius dixerit mulierem omisso matris nomine.

Incarnatio Verbi granũ frumenti totum reficiẽs mundum.

Vtilissima serendi tritici adinuentio, hodierna adinuentio est. Dei etenim Filium muliebri in vẽtre hominem fieri ad communem vitam & salutem, fuit quidem frumenti granum terrestri abscondi in gleba, ad vniuersalem hominum refectionem, vt Dominus ipse notum fecit dicens: *Nisi granũ frumẽti cadens in terrã, mortuũ fuerit ipsum solũ manet; si autẽ mortuũ fuerit, multũ fructũ affert* Non est mortuũ virginea in terra diuinũ hoc granũ: sed absconsum est virginea in terra, vt postea in terrã cadens in quantũ homo moreretur. Granũ etenim hoc esse dominũ Christũ, explicuerũt Aug. & Beda. Ioan.12.14.

Sed excedit Marię adinuentio in eo, quod terra Virgo, & si fructũ fert vberiorẽ, vomere rũpitur ad cultum: aratro nullo culta Maria, nullo culta vomere; semper Virgo permanet perpetua.

Incarnationis mysterii artificium conficiendi mellis.

Aug. ibi. Beda. ibi. Glossa inter l.

Mellis & apũ mirifica adinuentio mirabilior in vtero Marię. Apis absq; masculo fœtũ ex rore concipit in floribus reperto; quẽ suauiter surgens, & concipit fœtũ, & mel præstat hominibus. Maria cõcepit in vtero suo diuinũ illũ rorẽ, qui Dei Verbũ est, de quo Deus ipse; *Fluat vt vos eloquiũ meum.* Rorẽ (inquã) venientẽ in florentissimã vteri sui sanguinem, cum Verbũ caro factũ est. Ideo dixerat Deus; *Fluat vt vos eloquiũ meũ quasi imber super herbã.* Atq; ita peperit Deũ hominẽ factũ, verum Deum hominẽ verum. Præstititq; cũ eo nobis suauissimum gratiæ mel, tanquã mater gratiæ, gratiæ inuentrix. Apis cũ masculi sit expers, habet nihilominus cõsortẽ marem, ad sui tutelam, custodiãq; alucaris. Nec in hoc dissimilis Maria. Sponsum ad sui tutelam habuit Iosephũ; incolumi semper flore Virginitatis. *Missus est Angelus Gabriel ad Virginẽ desponsatã viro, cui nomen erat Ioseph.* Apis nullo fœtum edit nixu: dolore nullo peperit Maria. Apis operi conficiendi intẽdit mellis in occultissimo alueario, vbi à nemine conspicitur: Maria clauso semper vtero genuit, & peperit filiũ suũ, perpetua manens Virgo. *Virtus altissimi obũbrabit tibi*, dixit ad eã Angelus. Absconditur enim ad opus suum vmbroso apis alueario; Mariã obũbrauit altissimi virtus. Apis acriter auersatur homines libidine graue olentes: Venereas fœminas acrius morsib⁹ arcet, & explodit. Maria toruis aspicit oculis olidos libidine viros: eosq; seuero reijcit vultu: perditas mulierculas à se longissimè abigit, ac repellit, non quidẽ morsibus, sicut apis. Nã sanctissima Domina neminẽ momordit vnquã, neminem læsit, neminem infestauit; nullius sordes patefecit eloquio, nec vitas discussit alienas. Tamen auertit oculos suos ab impuritate, & ab impuris: faciẽ suam abhorrendo libidinis odore. Heu miseros & miseras! hanc, quando nulla alia impudicorũ esset iactura prẽter vnã hanc, quod Deipara Virgo eis auersa sit: vrgẽtissimũ esse deberet incitamentũ, ad deponendã vitæ turpitudinem, purificandumque & corpus, & Spiritum. Videtis in solemnioribus templorum festis, in quibus magnus est ho-

Maria virgo apis melifluus.

Deut. 32. 2.

Maria desponsata semper Virgo.

Plutar. in coniugalibus præceptis. Vergil. li. 4. Georg. Pindarus. Eucherius. Pierius lib. 26. verbo, Apis § castitas.

Maria peperit sine dolore.

Luc. 1. 35.

Libidinosi auersi sunt à purissimi Mariæ Virginis oculis.

minum concursus, innumeras vitæ huius mulierculas gregatim confluentes; quæ templum ingrediuntur dicentes, *Mater Dei, Domina mea*: putãtq; dicto hoc magnam sibi gratiam conciliare Virginis Deiparæ. Heu vos, si quæ factionis huius adestis, (nullæ, vt confido, ad sunt) scitote, à purissima Domina obscœnas nõ admitti famulas. Nouerint vniuersi, & singuli tã præsentes, quàm absentes, neminem impuræ vitæ à Mariæ Filio in cæleste admitti gloriæ templũ. Nouerint, dixi; imo Dominus ipse dicit, Nouerint, ipsemet omnibus notificat, dicens. *Non omnis, qui dicit mihi Domine,* Matt 7. 21. *Domine, intrabit in regnum cælorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.* Si à cælorum excluditur regno quisquis voluntatem præterit Patris, quantumuis dicat Filio Domine, Domine: optima quidem consequentia est, minime admittendum cæleste in regnum, qui à Filii discedit voluntate, quamuis matri dicat Domina, Domina. Legimus, cęlestẽ ianuam à Christo clausam Virginibus quinque, eo quod bonorum operũ & charitatis essent oleo destitutæ: quid erit eis, quæ nec Virgines sunt; sed omni prorsus vitii genere perditæ? *Domine, Domine, aperi nobis,* dixerũt infelices illæ Virgines: quid præstabit Matt. 25. 11. perditis, si Dei matri dicant, Domina, Domina, cùm peccati sint ancillæ, nec ab eo discedere nitantur? Quid respõdit Mariæ Filius Virginibus illis fortiter clamantibus, *Domine, Domine aperi nobis*? Quidnam respondit eis? *Amen dico vobis, nescio vos.* Quid dicet Mater eius mulierculis dicentibus, Domina, Domina; si nolint relinquere peccatum? Quænam Regina admittit in famulas horribiles graue olentia fœminas, horribiles vlceribus, plagis, aut tumoribus? Nullum peccato grauius vlcus: imo nullum tam graue, tam detestabile, tam horridum, nec vllus tam abominabilis odor. Quis ergo se à Maria sperat admittendũ in famulum; si à tam fastidioso odore purificari non curat. Apis est Virgo Dei genitrix: apis purissima, suauissima apis. In omnib⁹ imitatur apes: at gradu in omnibus altiori? Nã dũ à floribus rorem carpũt apes; eorum virorem aut exsicant, aut minuũt: in Dei matre auctus est floris viror, ex eo quod diuinum rorem vtero conceperit, suoque filium genuerit sanguine.

Medicæ artis vnica adinuentio est diuina hæc, qua Dei Filium concepit, & peperit Maria. Hic enim est medicus noster ad spiritalem salutem, & vitam: non temporalem tantum, sed æternam. Ipsemet notum fecit dicens, *Non*
Marc 2.12. *necesse habent Sani medico: sed qui male habent. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores.*

Incarnatū Verbum formatat homines ad imaginem suā.

Adest quoque hic præcellentissima picturæ inuentio, splẽdor hominis verus, perfectus, vtilis, glorioſus in eo consistit, vt conformetur Dei Filio, fiatque imago eius oleo
Colos. 3. 9. gratiæ, atque sanctitatis eius imitatione formata. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, induite nouum eum, qui renouatur in agnitionem, secundum imaginem eius, qui creauit illum.* Quomodo imitaremur operibus nostris Dei Filiũ, nisi esset homo similis nobis, cuius virtutes adspicientes, imitemur eas, sicque efficiamur imagines eius, gratia imprimis ipsius ad spiritalem hanc formationem cordibus nostris
Colos. 1.15. Heb. 1.2. infusa, atque diffusa? Præcellentissima ergo fuit ad hanc formationem adinuentio, ipsum Dei Filium, *Qui est imago Dei inuisibilis*, non depicta, sed naturalis, *& figura substantiæ eius*, hominem fieri mulieris Filium: vt qui in quantum Filius Dei est *Imago Dei inuisibilis*, sit visibilis nobis factus homo; sicque aspicientes eum, illi accurate conformemur.

Incarnatio Verbi musica ars.

Musicam si magni æstimamus artem, magni item inuentorem eius primum: quanto magis præcelsum hoc incarnationis mysterium? Nonne incarnatio Domini diuina harmonia, musica suauissima? Dei Verbum est vox; ore etenim Dei exprimitur Verbum: assumpta ab eo humaAriſt. 1. de anima. Atha. ſer 4. contra Arrian. Cyril. li. 4. in Ioan. ca. 12. Damaſ. li. 3. de fide. c. 15. 17. 19. Euſeb. li. 4. Demonſt. Euan. ca. 13. Theod. in dial. Immutabilis.
nitas instrumentum est eius; hoc eam nomine appellant Theologi, estque consequenter organicum eius instrumentum. Nam teste Philosopho, *Anima est actus corporis physici organici.* Imo coniunctum Verbo appellant eam instrumentum Sancti Patres Athanasius, Cyrillus, Damascenus, Eusebius, Theodoretus, & Lateranense, & Ephesinum Concilium. Quinetiam Verbi appellant organum. Si ergo Dei Verbum est vox, vox Dei naturalis, instrumentum humanitas, & quidem organum dulcisonum: qualis (rogo) erit musicæ harmonia, vbi talis vox, tale est instrumentum? Vbi instrumentum voci

coniunctum est, vnitum voci organum, quantæ erit musicæ concordia? Homines dulciter delectat & Angelos: Et excedit adhuc adinuentio hæc. Nam ad suscipiendum Spiritum seu aërem, tanguntur manibus quæuis alia organa: Maria nullis Spiritum suscepit manibus, vt Dei vox organo humano vnita, diuinitus resonet. Sanctus ipse Spiritus absque vllius manibus affluit, vt dixit ad eam Angelus: *Spiritus sanctus superueniet in te.* Concil. Lateran. sub Martino 1. consul. 3. Concil. Ephes can. 9. & 11. Luc. 1. 35.

Maria symbolum silex.

Non minus perfectè adest hic ars excutiendi ex silice ignem. Exit ignis à silice, & silex non accenditur, nec incalescit: Deus ignis consumens, exit ex Mariæ vtero absque vllo libidinis calore ante nec post egressum. Egrediens ex silice flamma minimè frangit eum: manst integra Maria post partum, sicut in partu, & ante partum. Nulla in silice egressi ignis manet via: Quidnam similius Mariæ integritati? At purior hæc silice: nam hic ictibus tunditur: nullis Maria manibus tacta.

Incarnatio Verbi perfectissimum horologium.

Horologij ars, quænam perfecta, nisi incarnatio Verbi in vtero Virginis? Ars quippe horologij in eum est finem excogitata, vt ordinetur, & componatur populus, qui nunquam, nisi barbarus est sine horologio. Vniuersalem profectò mundi totius populum, mundi dico vniuersum, ordinat, dirigit, componit incarnatio hæc, qua Dei Filius factus est homo. Vnica hominum deordinatio peccatū est, vt Theologi dicunt. Hoc vniuersum peruertit orbem, hoc deordinauit, hoc destruxit. Quia autem componit populum, gratia Dei est, quæ & iustitia nuncupatur, estque verè iustitia, cò quòd homines iustificet. Hanc præstat hominibus Christus Dominus noster Filius Dei factus homo. *Per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ.* Componit populum Christianum data per Christum iustificant gratia; componit & doctrina eius, vt ipso constat experimento, quo scimus, incomparabili mundum compositū ordine, postquam Christus venit, docuit, prædicauit. Adinuentionem hanc ostenderat Deus Ezechieli, artificium videlicet, *Quasi sit rota in medio rotæ.* Proprium horologij artificium, vt rota vna in medio sit alterius rotæ. Humanitate operta diuinitas; rota in medio rotæ. Vir in vtero fœminæ, rota in medio rotæ. Ezechieli ostensa est metaphorica hæc similitudo: sed ipsa-

Rom 5. 18.

Ezech. 1. 16

met in propria ſpecie Incarnationis adinuentio oſtenſa in
Iere.31, 22. viſione Ieremiæ. Oſtenſa quidem appoſito ſupremo adinuentionis nomine. *Creauit Dominus nouum ſuper terram; Fœmina circundabit virum. Nouum creauit Dominus.* Noua ars, noua adinuentio. Fœmina circundabit virum. Virum magnum tenera fœmina. Rota magna in medio exiguæ rotæ. Deus in vtero Virginis. Magnus in medio tui ſanctus Iſrael. qui proprium nomen habet Magnus, quem totus non capit orbis, in medio eſt Virginalis vteri. Rota magna in medio paruæ rotæ. Quis eſt Magnus hic, de quo ait Iſaias. *Magnus in medio tui ſanctus Iſrael.* Explicuit hodie Virginis Para-
Luc.1.32. nymphus. *Hic erit magnus*, & ſanctus quidem Iſrael. *Quod naſcetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei.* Eſtque impensè notandum, magnam ab vtroque Propheta exultationem in myſterio hoc fuiſſe prænuntiatam. Iſaias dixit. *Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui ſanctus Iſrael.* Ieremias. *Vſquequo delicijs diſſolueris filia vaga? Creauit Dominus nouum ſuper terram. Fœmina circundabit virum.* O vos, qui inanes quæritis delicias, vagi, perditi, diſſoluti. Quid terrenas quæritis voluptates, cum tam ſuauis vobis adſit Deus veſter, factus homo? Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris, qui vos inuitat, dicens: *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.*

IN EADEM ANNVNTIATIONE B. VIRGINIS MARIAE.

SERMO II.

Turbata est in sermone eius. Luc. 1.29.

TVRBATAM hodie videmus matrem nostram ea, qua Dei nomine famula à paranympho salutatur: turbabimur ergo & nos Mariæ filij, cum dilectus quisque, fidelisque parenti, ac pius filius, videns eam turbatam, consequenter turbatur ipse, sicut & pia mater graui turbatione percellitur, cum turbatum intelligit natum. Sed sunt contrariæ causæ turbationum; nam mater nostra turbata est in sermone missi à Deo Angeli Gabrielis: nos nequaquam in sermone turbamur: imo turbamur in silentio, quo purissima Virgo hæret cogitabunda, qualis sit sermo hic, quo gratia plena salutatur. In Mariæ nos turbatione turbamur; non in eo nuntio, quo ipsa turbata est; cum sermo, in quo turbatur Maria, nõ turbationis, sed amouẽdæ turbationis sit causa. Est enim nuntiũ, quo eam salutat Angelus fausti ssimũ hoc, *Aue gratia plena, Dominus tecũ; benedicta tu in mulieribus.* Et turbatur Maria nuntio cæli hoc cogitabunda. *Cogitabat, qualis esset ista salutatio.* Quidnã faciet Maria, quum Angelus nuntiũ aperuerit? Quũ dixerit ei, virũ vtero eius concipiendum? Tunc graui magis pauore turbabitur: at nõ silebit turbatione; imo silentij impatiens percontabitur: *Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco.* Quid foret, si nuntius non

afferret ad eam duo ista, & quod concipiendus vtero vir, Deus sit pariter, & homo, & quòd ars cõcipiendi virilẽ prorsus excludat amplexum, soluſque conceptioni sanctus Spiritus intendat? Hæc enim sunt, quibus turbatæ sedat Virginis animum. *Ne timeas Maria: inuenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in vtero, & paries. Spiritus sanctus superueniet in te; & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque, & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quid ais, Angele? Quid ais? Videns Virginem in eo turbatam sermone, quo vocas eam gratia plenam, pergis, eam à turbatione sedare, repeteris eam gratia pleniſſimam? *Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum.* Si quum gratia plena vocatur, pertimescit; quomodo quiescet à timore, eodem sermone repetito? Scit, quid dicat Angelus. Sola à timore liberare potest Dei gratia: soláque ista Virgineus potuit sedari animus, vt responderit Angelo: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Quod adeò certum est, vt hoc vnicum eligam præsentis sermonis institutum: sola gratia amoueri turbationem, animum penitus sedari. Sed quonam munimine à turbatione nos in sermone nostro liberabimur? Nam si sermone aliquo plena turbationis instat occasio, præsenti maximè sermone; in quo supremum prædicamus mysterium, quo Deus homo factus est, Virgo mater, Deipara. Magna profectò gratia est, qua, & prædicator eget, & auditor: vt scite atque fideliter semota procedamus turbatione. Est plena gratia mater Maria: nos quis scit an gratia muniamur? Sed perpendite verbum; & gaudete. Maria gratia plena est, fons est gratia scatens: gratiæ flumen vberrimum. Redundat hodie affatim, quo fruamur nos, amplius gratiæ fluuius ex Maria. Imo in id replet eam exuberans gratia: vt in nos ex ea diffundatur. Qua vt cominus perfruamur omnes eandem adibimus Mariam, eisdem, quibus plenam dixit Angelus gratia, verbis conclamantes.

AVE MARIA.

Turbationis

Turbationis causæ, quæ?

TVrbationis causæ tametsi laxiore locutione fortassis sint plures, hanc ego vnam ex communi scriptorum vsu inuenio probatam, subitum incerti effectus prænuntium: siue, quòd aduersus timeatur aduentus; siue quòd adeò fœlix est, vt homo prudenter vereatur, ne qua ibi lateat illusio, cum fidem superet, aut vires; siue quod cum adeo prosper sit, incipiat iam inde metuere homo tam excedentis boni vel incertitudinem, vel inconstãtiam, putans, quàm cito dillapsurum. Fortè etiam absque alio discursu ex cognita superuenientis boni, propriæque personæ imparilitate. In vnum hoc ista omnia conueniunt, quòd ex dubio euentu procedat turbatio subito prænuntio. Sic Poëta: *Sed res animos incognita turbat*, & alibi: *Subitâ turbaret clade Latinos.* Cornelius item Tacitus: *Cum repente turbare fortuna cœpit.* Quum Gubernator Ægyptiaci Regni Iosephus venientibus illuc fratribus suis, quibus ob nimiam absentiæ diuturnitatem erat prorsus incognitus, vendidit frumentum; eam, quam tritici pretium dederant pecuniam, inter triticum ipsum, nescientibus illis, in eorum saccis poni iussit. Quos cum illi, ad reficienda iumenta, aperirent in via; reperta cum frumento pecunia, *Obstupefacti, turbatique mutuo dixerunt: Quidnam est hoc, quod fecit nobis Deus?* Lætandi quidem causa: quis enim non lætatur pecunia vbilibet inuenta? *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa*, ait Psaltes. Causa (inquam) lætitiæ: sed dubia causa effectus dubius. Ideo inuentione subita turbantur, dubij de effectu, vt ipsimet afferunt, dum dicunt; *quid est hoc?* Similiter quum Baltassar, Assyriorum Rex grande in Babylone faciens conuiuium, raptis à Dei templo vsus est vasis aureis, & argentis. *Apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis. Tunc facies Regis commutata est, & cogitationes conturbabant eum: & compages renum eius soluebantur, & genua eius ad se inuicem collidebantur.* Vndenam adeo stupenda turbatio? Non aliunde, quàm ex dubio simul, ac subito præsagio. Textus ipse id prosequitur. Nam auidissimus perscrutandi mysterium, ac de imminenti incertus euentu. *Exclamauit Rex fortiter, vt*

Virgil. 1. Æneid.
Virgil. 12. Æneid.
Cornel. Tacit. li. 4.
Gen. 42 28.
Psalm. 118. 162.
Dan. 5. 4.

introducerent magos Chaldæos, & aruſpices: ſi quis eorum portentum fortaſſis poſſit aperire. Nec vanus timor; nam eadem nocte Regno fuit pariter ſpoliatus, & vita, in iuſtum contaminatorum ſupplicium vaſorum. Non ſecus Nabuchodonoſor dixit; *Somnium vidi, quod perterruit me; & cogitationes meæ conturbauerunt me*: ex eo, quod deſignatam ſomno fortunam ignorans, hæſitaret. Ea enim ratione iuſſit, ſapientes populi vocari omnes, rémque eſt obnixè ſiſcitatus. Sed in duobus maximè accidit turbatio: tum in lædendæ caſtitatis periculo quoad amatores pudicitiæ; tum in Angelorum locutione, ſi is, qui videt Angelos, eſt humilis. Prioris occaſionis exemplum fuit Booz præclariſſimum; qui cum in lecto ſuo dormiens, puellam, cuius ingreſſionis, ac accubitus minimè erat conſcius, tangeret pedibus iacentem. *Expauit homo, & conturbatus eſt, & ait illi; quæ es?* Quid intendis? Quid quæris? quomodo clam me, ſenſim accubuiſti? Vndenam horrida iſta conturbatio? Vtique ex minuendæ occaſione puritatis. Satis profectò oſtendit euentus: qui, ſupra morem hominum, exquiſitum caſtitate probauit virum. Mulier etenim illa vidua erat, defuncto Mahalone, cuius erat cognatus Booz: ac conſequenter Deuteronomica adſtrictus lege ducendi vxorem defuncti cognati. Erat & puella, vt indicat textus. Perpendite (rogo) quæ tria confluunt in vehementiſſimum hominis ſtimulum carnalem: puella cum viro in lectulo ſola; vidua, in qua non timetur nota illa, neque iactura, quæ timetur in Virgine, vt prudens vir eam denigrare vereatur: accipienda poſtmodum in coniugem, cuius ſolo ſperati iuris prætextu multi, quamuis perperam, futuri vſum matrimonij præoccupant. Quem non labefactarent tria hæc? quem non delinirent? non vincerent! niſi inauditæ virum pudicitiæ. Sanè ſi iuuenem fœmina iuxta ſe in lectulo reperiens, tangi ſe ab eo minimè concederit; exquiſitæ prædicaretur pudicitiæ; quanto magis, cum repertam vir ne manibus quidem tetigerit fœminam, quam pedibus tetigit incautus? Fecit eam expectare, quoad vſque fieret excuſſio, eſſetne vir propinquior alius, qui potiore eam duceret iure; ſicque prorſus intactam conſeruauit. Quam rari, vt Booz, viri inueniuntur? Quam longe

Dan. 4. 2.

Ruth. 3. 8.

Deut. 25. 5.

Booz mira pudicitia.

Caſtitatis rarum exẽplum.

Pudicitia Booz admiranda.

sunt à continentia hac auertendi se à fœminis, quas pedibus suis sentiunt prouolutas viri illi, qui pro explenda libidine, ad fœminarum se proijciunt pedes? Accinuit Dauid glorioſam viro illi victoriam, qui vel aſpidem pedibus, vel draconem repertum conculcans pertranſiret, ſummam dicens Dei protectionem. *Qui habitat in adiutorio altiſſimi, in protectione Dei cœli commorabitur. Super aſpidem, & baſilicum ambulabis: & conculcabis leonem, & draconem.* Pſal.90 1. Retroſpice, Rex, proauum tuum Booz: tangens pedibus aſpidem, ambulat, minimè detentus; conculcat, & fortiter draconem. *Etenim Draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Satanas, qui ſeducit vniuerſum orbem.* Apoc.12.9. Ideo ſerpens vocatur, quòd ſenſim ſerpens gradiatur, vt perueniat ad pedes eorum, quos callidus ſeducit. Sic reptans, ad pedes deuenit Euæ: quam primam omnium eluſit. Quid dicemus de fœmina, quæ ad viri pedes ſenſim accedit, eiſque clanculum prouoluitur? Quid de viro, qui talem fœminam pertranſit illæſus? Nonne ſerpentem calcat? nonne calcat eum, qui ſerpens eſt ipſe, horridum draconem? *Conculcabis leonem, & draconem*: ſumma Dei protectio: paternum prorſus adiutorium. Talis quidem fuit Booz: tali fuit adiutus protectione: tam rara purus continentia. Ergo cum *expauit homo, & conturbatus eſt*, tangens pedibus fœminam in lecto; ideo turbatus eſt, quod caſtitatis ſit veritus periculum. Iam pro ea, quæ ex viſo Angelo eſt, perturbatione, adeſt turbatio illa, qua vterque Tobias audientes eum, quem putabant hominem, dicentem: *Ego ſum Raphael Angelus, turbati ſunt, & trementes ceciderunt in terram.* Tob.12.15. Quænam repentinæ turbationis origo? Non quidem ſuſpecti metus periculi; cum Angelus ille non ad nuntianda venerit futura, ſuper quibus eſſe vllus impoſturæ, alteriusve mali poſſet timor; ſed ad aperiendum viris illis ſe, qui tantis eos cumulauerat bonis; qui iuuenem Tobiam ad debita cœco patri talenta in remotiſſimis recuperanda plagis duxerat, & reduxerat, qui eum à multis liberauerat malis, qui præſtantiſſimo locarat coniugio, qui à nefario ſeruauerat dæmonio, interemptore ſeptem virorum, quibus nupta fuerat Virgo illa, quæ ipſi demum nupſit Tobiæ; qui cum accepta ſimul coniuge mul-

Booz mira pudicitia.

Caſtitatis rarum exẽplum.

Pudicitia Booz admiranda.

tis locupletatum paternam domum reuocarat incolumen, qui cœcum parentem ad candidissimam restituerat lucem; aliaque multa in eos contulerat officia, non quidem hominem, sed esse Dei Angelum, missum ad omnia hæc erga eos pie, & hilariter agenda. Cum igitur nil pertimescerent futurum, nullúsque deceptionis esset metus; nulla profecto causa apparet turbationis, præter vnam hanc humilitatem, qua se impares Angelo agnouerunt, aut certè immensa penè imparilitas ipsa.

Maria cur in sermone Angeli turbata.

Nunc expendendum est, quænam ex causis his turbauerit Virginem purissimam. In qua ego indagine omnes simul arbitror turbationis causas concurrisse.

Mariæ pudicitia.

Prima ergo turbationis causa fuit minuendæ formido pudicitiæ. Non quòd Virgo purissima minuendam timeret, cuius perpetuò conseruandæ firmius dura cautè conseruabat propositum: sed quòd suspectam conditione sua videbat occasionem; quæ, quantumcumque minima, ac remota, tantò magis turbauit, quanto erat propositum constantius. Certè adeo suspecta est pudicitiæ causa in muliere, etiam non suspecta; vt indicium quoduis minutissimum vehementem gignat turbationem: quæ nullo, nisi Dei testimonio sedari possit. Ipsamet Virgo pro semetipsa turbata est externo penitus indicio, cum nullum in se sentiret indicium; imo adeo firmum tuendæ Virginitatis propositum, quantum ipsa indicat turbatio. *Turbata est in sermone eius.* Quidnam times Virgo? quidnam times? Nunquid cùm obscura videas Angelum nocte, putas eum phantasma, terrificamve vmbram? Horrendam putat vmbram Maria: non quod vmbra phantasmatis sit, sed quod vmbra viri sit, Turbatur valde, horrescítque purissima Virgo, vmbram timens viri, Angelum scilicet Gabrielem, qui specie illi apparuit virili; vt censent Ambros. Hieron. Aug. & Laurent. Iustin. cum reliquis Patribus: ac consequenter sola viri turbatur vmbra: siquidem apparentes forma humana cœlites nulla prorsus carne constãt vera, sed sola corporis specie, seu vmbra. Id quod Angelus Raphaël notum fecit Tobiæ, dicens: *Videbar quidem vobiscum manducare, & bibere: sed ego cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest,*

Pudicitia fœminarum paruo indicio suspecta.

Virginum puritas exiguo indicio marcescit.

Fœminarũ pudicitia modico indicio suspicioni subiecta.

Maria Virgo vel solam viri vmbrã pro pudicitia formidat.

Virgines honesta apparentem duntaxat viri vmbram debent fugere, & formidare.

Ambros. li. 2. in Lucã c. 2. & lib. 1. offic. c. 18. & lib. 2. de Virginit. initio. Hier. epist. 7. ad Lætã. Aug. serm. 14. de natali Domini, qui est 18. de temp. Laurent. Iustin. ser. de Annuntiat.

vtor; & cum hæc dixisset, ab aspectibus eorum ablatus est. Solam ergo viri vmbram timet Virgo purissima: adeo, vt turbata dicat, *Quomodo fiet istud?* quoniam virum non cognosco. Vultis videre, si turbatio hæc ex vmbra sit viri? Ecce, vt à turbatione eam liberet Angelus, ait; *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Vmbra hæc nequaquam viri vmbra, sed Sancti Spiritus vmbra est. Et (quod maius est) non tam viri vmbram, nempe Angelum ipsum, quippe quem protinus Angelū agnouit, quàm imminentis metuit impuritatis vmbram, cum turbetur in sermone eius, non eiusdem Angeli conspectu, vt Chrysologus notauit. *Quid est, quod personam videt, & de sermone turbatur? Quia venerat Angelus blandus in specie; & in sermone terribilis.* Mirabile dictum: terribilem appellat sermonem, quo paritura dicitur; cum æternum Regem, Altissimi filium, pauper virgo dicatur paritura. Sanè eximiæ hæ filij dignitates subitam habendi cum viro complexus, etiam liciti; ac Sancti, turbationem purissimi cordis non quietant. *Terribilis*, ait; quoniam vehementius, quàm phantasma Virginem terret, ac conturbat. Quanto magis pauere debent, ac trepidare honestæ virgines, & reliquæ etiam fœminæ honestæ, visis virorum vmbris, & vmbris etiam impudicitię; cum sub vmbris his lethalia eis lateant mala? Fœminæ, omnes natura sunt timidæ, quoad vmbras has, quas phantasmata vocant, vmbratiles scilicet mortuorum, aut Dæmonum adspectus; quo phantasmatis nomine vsi sunt, videntes noctu ambulantem pedibus in mare Christum turbati piscatores, dicentes, *Quia phantasma est*: nomine verò vmbræ frequenter Poëtæ: Vergilius: *Vmbrarum hic locus*: id est animarum defunctorum; & Tragicus, loquens ad egressam ab inferis Tantali animam; *Perge detestabilis vmbra.* Vtique timor hic, quòd apparituræ sint noctu huiusmodi vmbræ, vanus est timor, vbi nulla hæ vocatione accersuntur; at non frustra irruens, si arcessuntur. Tunc verò accersi putandæ sunt, cum fœminę, aut viri ad impudicas Dei offensiones intra, aut extra domum noctibus ambulant. Nam tunc quidem non solum nocte, sed clara etiam die, imo & meridie adsunt prope hos feræ huiusmodi vmbræ; non infernarum quidem animarum, sed Dæmoniorum infernorum imminentium sibi, vt de medio deliciarum suarum, de medio lu-

Tob 12.19.

Petrus Chrysolog. serm. 140.

Peccatores maximo sūt expositi periculo incidendi in Diaboli cornua.

Vitiosi homines imminentem iuxta se Diabolum habent, vt eos subito rapiat, quē vitio ipso excæcati nō vident.

Matt. 14.26.

Vergil. 6. Æneid.

Senec Tragic. in Thyeste. Act. 1.

dorum, & chorearũ rapiant huiuſcemodi audaces ad profundum infernæ vmbræ, ſulphureique laci, atque tormenti. Ipſius Dei Verba perpendamus, ſic ad Iobum loquentis. *Ecce Behemoth ſub vmbra dormit in ſecreto calami, & in locis humentibus. Protegunt vmbræ vmbram eius; circundabunt eum ſalices torrentis.* Behemoth Diabolus eſt; vt Orig. Naz. Athan. Cyril. Baſil. Chry. Theod. Amb. Aug. Hier. Nyſſen. Gregor. & Philip. intelligunt. Eſtq; valde mirabile, quòd Heb. lingua Behemoth ſit beſtia vna, quę eſt omnes ſimul beſtiæ; ad deſignandam immanis beſtię ferocitatem, quaſi dicatur beſtia beſtiarum. Narrata ergo Deus beſtiæ huius immanitate ac fortitudine, ait, eam humantibus in locis ſub ſecreto calami dormire, torrentis ſalicibus circumdatam; id eſt, in locis graueolente virorum, fœminarumque luxuria infectis; nec non in eis, in quibus promiſcue vtrorùmque deliciæ, voluptates, comeſſationes, ioci impudici, ac ſaltationes exercentur. Calamus enim vitium refert, vitioſaſq; præ viror delicias, prę̃mollitij item & fragrantia; & quòd ad lu-dorum fiſtulas aptus ſit, vt notat Plinius. Quare ſenſu hoc locum hunc Iobi intelligit Greg. Vitioſior adhuc ſalix eſt; tum quoniam ad ſolam delectationem plantatur, creſcitq; vitioſa ſecus aquarum decurſus; tum quoniam mollis, & lenta; vt Vergilius ait,

Lenta ſalix quantum pallenti cedit Oliuæ.

Inſuper fructu carens, eo quòd vis eius tota abeat in vitium; ad hæc, & fœminarum fœcunditati proficua, vt Plinius ſcribit. Qui etiam alibi teſtatur, folijs eius contritis, & potis intemperantiam coerceri; ne qua ei vitij deſit proprietas. Florens concitat libidinem, extinguit contrita; quæ propria vitij conditio eſt: quoniam profecto quæ ſtimuli ſunt libidini vitia, ac voluptates, ea ipſa, ſi mortificatione, vitæque auſteritate conterantur, ipſammet comprimunt libidinem. Appoſita ſunt illa Auguſtini verba. *De vitijs noſtris ſcalam nobis facimus, ſi vitia ipſa calcamus.* Cum ergo calamus, & ſalices vitia deſignent, ac delicias; dicaturque Diabolus inter ſalices, & calamos recreari; plane quidem oſtenditur, recreari eum & gaudere in omnibus locis, vbi impudicis intenditur deliciis, choreis, libidini, iocis indecoris. Dicitur-

Iob. 40 10. 16.

Orig. in caten. Naz ibi. Atha ibi. Cyril. lib 9. in Ioan. c 6. Baſil. in id Pſal. 103. Draco iſte, quem. Chry. in Matth. 11. homil 27. Theod. in Pſal 103. Amb. li. 1. de Pœnit. c. 13. Aug. li. 11. de Geneſ ad litt c 20. Hier. Iob. 40 10. Nyſſ. orat. 6. in amt. Greg. Iob. 40. 10. Philp ibi. Plin. lib. 12. ca. 2. Gregor in Iob 40 16. Vergil in eglog. cur nom Mopſe bone. Plin lib. 16. cap 26. Plin. lib. 24. cap 9. Aug. ſerm. 176. de tẽpore in fine.

Diabolus adeſt cooper-tus in con-uenticulis luxuriantiũ ludentiũue hominum, ac mulierũ.

Luxurian-tium in con-uenticulis fœminarũ, ac virorum adeſt Dia-bolus cooper-tus.

Calamus vitij ſymbo-lum.

Calamus talis eſt, vt lata ex eo fi-ſtula, & le-thales fiant ſagitta.

Salicis pro-prietas.

Vitij ſymbo-lum ſalix.

Salix fœmi-narum ſte-rilitati pro-ficua.

Salicis folia contrita ex-tinguunt li-bidinis ſti-mulos.

Libido mor-tificata ex-tinguit libi-dinis ſtimu-los.

Diabolus intereſt coo-pertus cho-reis, ac iocis impudicis, & luxuriã-tium con-uenticulis.

que sub opacis arborum harum vmbris abscondi; quoniam callide cauet, ne cernatur, caueantque sibi homines ab eo.

Simile. Ac veluti in publicis nuptiarum choreis adsunt multi, & multæ operta facie, ne à circunstantibus agnoscantur: ita quando adest Diabolus cum eis adest vmbra, opertus ne à miseris cœcis dispiciatur. Inde tamen absconditus lethales

Simile. in peccantes mittit sagittas, ea ipsa, quibus eos mulcet ac recreat instrumenta. Etenim ex eodem, ex quo diximus calamo fistulas fieri amœmissimas, mortiferæ quoque efficiuntur sagittæ, quibus pleræque vtuntur nationes, vt relatus ipse scribit Plinius. Itaque eas ipsas tibias, quibus Dæmon modulatur, præbetque sonum, quo saltent, ludant, & luxurientur in iocis impudiciis, & choreis: retorquet subito in medio gaudiorum acutissimas sagittas, quibus miseros confodit peccatores. Sed callidior actus, quòd protegunt vmbræ *vmbram eius*. Quid hoc? vtique si micante sole, iaceas tu sub excelsæ arboris vmbra: tunc vmbra tui prorsus est nulla; quoniam ligni vmbra, quæ te operit, impedit tui corporis vmbram. Non secus dicitur Diabolus suam sub calamo, & salicibus vmbram dissimulare; quoniam sub hominum voluptatibus ac vitiis, tanquam sub vitiosis contegit arboribus. Magna hominum deceptio. Quomodo tremenda hæc tam immanis bestiæ, quæ omnis simul bestia est vmbra, atque caligo sub lignorum vmbris, nempe sub voluptatibus, potest operiri? Hinc heu heu est; ex cœco scilicet vitiosorum intuitu. Absortis enim voluptate hominibus maiores quidem apparent deliciæ, quàm imminentes pro eis pœnæ: alioquin ab eis se abstinerent, si pœnas voluptatibus iudicarent maiores. Cum igitur decepto perditorum horum adspectui delectationes ipso sint Diabolo maiores; ipsa consequenter deliciarum vmbra maior vtique est, quã vmbra Diaboli, adeo vt huius vmbra sub deliciarum vmbris abscondatur, sicut vmbra tua sub salicum vmbra. Adeò certum est, vt timidæ etiam natura fœminæ tenebrosis temporibus, horridisque in locis non pertimescant ambulare, cùm voluptas occupauit oculos, corda ardens amor apprehendit. At repentino impetu irruit absconsus vmbris Diabolus; rapitque velociter miserorum animas, infernis vmbris æterno tormento coniungendas.

Plin. lib. 16. cap. 36.

Amor carnalium deliciarum timorem horrendarum rerum superat, etiam in animo naturæ timidæ.

Iob.40.10. Hebræa. Ideo clementissimus Deus ait, iuxta Hebræum textum in loco isto. *Vide (obsecro te) Behemoth.* Cur tam teneris Deus verbis, te obsecrat, vt videas Behemoth, nisi ex eo, quod in bestiæ cornua properantem te miserum aspiciens, intimo tum amore tui, tum compassione tactus atque dolore, rogat obnixe, vt circumspicias, & cernas horrendam hanc, quæ latens tibi bestia insidiat? Cauete vobis, Filij, ait: Cauete vobis; solertissimi (rogo) circunspicite; nam truculenta vobis latet bellua: iam iam vos miseros inuadens. Cauete, cœci; nam vmbram eius operiunt vmbræ: vestrarum vmbræ deliciarum vmbram bestiæ operiunt, ne eam, ô infœlices dispiciatis! Eadem Apostoli Ephes.6.11. Pauli commonitio. *Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli. Quasnam vocat insidias? colluctatio* (inquit) *est aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ.* Tenebrarum rectores appellat Dæmones; quoniam earum regimini intendentes, ita eas disponunt, vt vmbras suas sub vmbras occulant vitiorum; cum nequissimi Spiritus sint, occultas calliditate hac parantes hominibus insidias. Ecce machinam hanc operiendi sub vitiorum vmbris vmbras suas, insidias esse notum facit Apostolus; oportereque homines esse cautissimos, ac Dei armis communitos. Verba sunt pro documento hoc in scripturis sacris multa; sed nihil Virginea hac turbatione efficacius, vt omnes valde paueamus. Turbatur Maria; Vndenam turbatur? Numquid audiens se Filium concepturam? Numquid se Filium parituram intelligens? Sane ante illum huiusmodi nuntium, conturbatur: prima turbatur salutatione, qua ab Angelo vocatur gratia plena. Et tamen sola hac propter pudicitiam hæret, & Amb. lib.1. de Offic. cap. 18. turbatur. *Salutata ab Angelo, tacet; & mota est ad introitum eius: quia ad virilis sexus speciem peregrinam, turbatur aspectus Virginis*: ait, Sanctus Ambrosius. Nec tamen perturbatur timore, quòd futura sit Virginitati fides fraga; quæcumque sibi obtendantur insidiæ. Bern. hom. 3. super missus est. *Turbata est, sed non perturbata*, ait: S. Bernardus. *Quod turbata est, verecundiæ fuit Virginalis; quod non perturbata, fortitudinis: quod tacuit, & cogitauit, prudentiæ.*

Cum

Maria ex humilitate turbatur.

Cum honorifica hac turbationis causa honorificum aliud incitamentum turbationis concurrit, profundissima Virginis humilitas. Sentiebat quippe se penitus imparem honorificæ huic salutationi, qua reuerenter dixit Angelus ei, *Aue gratia plena: Dominus tecum.* Hæc sunt verba Laurentij Iustiniani. *Turbata est, non ex adspectu Angelico, quasi insolito, quippe, quæ iugiter visitabatur ab illis, sed ob excellentiam diuini præsagij, quod propria merita præcellere videbatur. Consueuit namque humilitas, sicut semper stare sub se, ita difficulter fidem accommodare ijs, quæ supra eam esse censentur.* Quam eandem turbationis originem indicauit Origenes. Ambros. Sophr. nec tangere omisit S. Tho. Estque tam propria turbationis causa humilitas hæc, vt reliquæ omnes ad vnam hanc maturi perpensæ reducantur.

Laurēt. Iustin. serm. de Annunt.

Orig. hom. 6. in Luc. Ambr. li. 2. de Virgini. Sophr ser. de Assump. S. Tho. 3. p. q 3. ar. 3 & 4. Luc. 1. 30.

Gratia effectus sedare animum.

Sedeat igitur Gabriel animum turbatæ verbo vnico isto. *Inuenisti gratiam apud Deum*, quod gratia hæc cuiuslibet sit quies turbationis, vnde vnde procedentis.

Amoris effectus securitas amati circa omnia quæ sunt in amantis potestate.

Et quod ad primã attinet turbationis causſam, pauidum nempe mali timorem, siue impugnandæ pudicitiæ, siue cuiusuis alioquin periculi, nullum est adeo prestans munimentum, ac libera à dubio certitudo amoris fixi pectori illius, qui potens est ab eo prorsus liberare periculo, quod instat, seu timetur. Quo enim potest tanta serenitate sedari animo, quisquis vacans culpa suspectum aliquod metuit periculum, quanta sedatur ille, qui periculi exitum in dilectissimi parentis sui manibus certò esse non dubitat? Est enim proprius amoris effectus, reddere amati animum securum quoad omnia illa, quæ sunt in amatoris potestate. Certè si in his, quæ tuo subduntur arbitrio, tuo ve regimini, turbatus sum, sintne illa mihi obfutura, formidans, non sum minus dubius de tua in me benenolentia, quam de ipso, quod timeo, periculo. Quapropter, quisquis prudenter fidit, illum sibi Regem esse propitium, in cuius manu omnia penitus sunt, nec quid illo inscio potest accidere: inuentam quamque turbationem protinus excutit, sibi. Deum amicum recordatus. Si enim viris de mutua amicitia humana loquentibus, & Tullio imprimis licuit dicere: *Amici, qui ita se gerunt, ita viuunt, vt eorum probetur fides, integritas, æquitas, liberalitas*, quid censendum est de amicitia

Dei amicitia animum à turbatione reddit quietum.

Cic. de amicitpost init.

diuina, qua amicus pie creditur Deus: quis de eius fidelitate, quis de æquitate dubitabit, vt vllum mali timeat periculum, quamdiu Deo ipsi, quoad potest adhæret? Porro, si vel sola prudens ista suspicio turbatum sufficit quietare animum: quanto magis sedabit expressa sententia, qua homo Dei pronuntiatur amicus: Hoc quietandi animi genere vsus est Deus ipse erga Abrahamum, amicum se eius dicens verum. *Noli timere Abraham: ego protector tuus sum.* Genes. 15. 1. Vbi non leuiter notandum, ideo ratione hac imminentem Abrahæ præueniisse tunc Deum turbationem, quòd nuntium ei expandere intendebat non longè dissimile huic, quod Mariæ affert Angelus nuntio, gignendum tandem ex sanguine eius, quem Mariæ vtero nuntiat hodie Angelus gignendum. Quod si de rebus omnibus cecinit vates Psal. 103. 29 Rex: *Auerliente autem te faciem, turbabuntur*: quam (rogo) iucundè, quàm amicè debuit Angelus dicere Mariæ, ne timueris, Domina, turbationem depone, esto corde quieto: *Inuenisti enim gratiam apud Deum.* Deo supra omnes accepta es, placita es, amica es: te vnicè diligit, & ardet, quomodo potest noxium tibi esse nuntium istud, quod nomine eius ad te cernuus affero. Deum iugiter habes sospitatorem: tuam ille ardentius, quàm ipsa tu, vult incolumitatem, tuæ plusquam tu ipsa attendit pudicitiæ, vt qui te in suam eligit parentem: ne timueris. Pone (obsecro) Virgo turbationem: *Inuenisti gratiam apud Deum.*

Amicitia securum reddit animum amici, circa ea, qua amico subijciuntur.

Venio ad causam turbationis secundam, magnam nimirum disparitatem inter id, quod prænuntiatur, & personam illam, cui nuntiata res euentura proponitur. Turbationem huiusmodi quid adeo funditus resoluit, sicut nota homini turbato sua in excedentis personæ pectore gratia, & amicitia? Itaque si in aliquo turbaris propter eminentem alicuius personæ maiestatem tibi penitus imparem, vbi tamen eam cernis amicam, teque eius oculis gratissimum, turbatio prorsus omnis euanescit. Ratio huius est, quoniam amicitia facit æquales eos, qui longa alioqui differunt distantia. Hic est maximæ, proprius veræ effectus amicitiæ, seu gratiæ. Præclara illustratur similitudine à Plutarcho. *Musicæ cantus argutè quidem concors est ex acutis, medijs, & grauibus modis, quamquàm sint dissimiles*: sic inæ-

Gratia radix amicitiæ

Plutar. de Amicit. tom. 1. operū Moral.

Amicitia est gratia mutua.

quales penitus personæ amicitia strictius vniuntur : *Non aliter, atque vna anima in multis corporibus.* Et gratia quidem amicitia est : nec aliud quippiam homines amicos facit præter mutuam vtrimque gratiam, qua tu oculis Petri, ille oculis tuis gratus est. Cicero ad Lentulum: *Cum illo magna est mihi gratia.* Qui & in oratione pro Rab. *quem enim ex tantis inimicitijs receptum in gratiam summo studio defenderim.* Altius de gratia loquens Paulus, de ea nimirum, quæ inter Deum, & homines, quos amicos accipit, interuenit, sic ait: *Prædestinauit nos in adoptionem filiorum, in laudem gloriæ gratiæ suæ.* Ecce gratia tam charos facit homines Deo, vt eos in adoptiuos generet filios. Vbi etiam consequenter perspicitis, amicum quemque gratia fieri æqualem quodammodo amico suo, quantauis alias inter vtrumque sit distantia dignitatis. Hoc nihil certius apud sapientes: nil experimentis notum magis. Dixit Aristophanes: *Ex amantibus fieri quasi vnum*: quod dictum, & refert Aristoteles, & probat. Quæ ergo potest esse æqualitas tanta, quanta dicitur hæc, quæ vnum facit ex duobus? Aut quis amicitiæ certior effectus; cum ex amoris effectibus vniuersis vnionem Plato dicat primum, dicat & Dionysius: *Amorem esse virtutem commiscentem*? Vndenam erit in æqualitas, vbi commistio esse perhibetur? Nec hyperbolicam dixerit Tullianam sententiam, *amicus est alter ego*, quisquis sententiam leget Augustini dicentis: *Amor est velut iunctura quædam, quia amantem cum re amata copulat, vel copulare appetit.* Ex quo fit, vt qui se tibi intimè dilectum agnoscit, tuisque in oculis gratiam inuenisse, minime deinceps conturbetur, quominus tecum liberè agat, & amice, extincto timore illo, qui ex nimio dignitatis tuæ excessu procedere solebat in cor eius, ante quàm gratia sui cor tuum captum intelligeret. Sciat ille semel, amore sui punctum pectus tuum, accedet ad te tanquam ad comparem, semota prorsus turbatione, Est amoris vis in amante conturbans, audax in amato, quoniam qui amat, metuit, ne deseratur ab amato: amatus vero ipse, dum in pectore amici amorem sui ardere, semel intelligit, se iam inde habere cordis illius clauum, minime hæsitat, ita vt quidquid faciat amatus ipse, nequaquam sit ab illo relinquendus.

Amicitia est amicorum stricta vnio.

Amor facit æquales quodãmodo personas alioqui dispares vndecumque.

Amicitia facit pares quadamtenus personas alioqui prorsus inæquales.

Amor audax erga amãtẽ.

Amicitia audax erga amicum.

Cic. ad Lẽt.

Cicer. pro Rab.

Ephes. 1. 5.

Arist. lib. 2. Polit. c. 2.

plat in sympos.io.

Dion. de diuin. nom. c. 4

Cicer. de Amicit.

Aug. li. 8 de Trini. c. 10.

Huius audaciam generis incussit pectori Alcibiadis cognitus erga se in corde Aniti flagrans amor. Erat Princeps hic in medio cõuiuio, quod proceribus multis instituerat opiparũm : quum ecce arripiens de mensa audax Alcibiades ad dimidiam poculorum partem liberè discessit. Cumque indignantes dicerent Anito conuiuæ, contumelioſe tractauit te adolescentulus iste : *Imo humaniter*, dixit Anitus. *Licebat enim omnia accipere, ille verò dimidia mihi reliquit.* Vim amoris hanc quoniam probatam in corde Aniti habebat Alcibiades, nulla turbatione commotus adorsus est facinus, quod alioqui agredi formidaret. Luculentius adhuc constat amoris vis in exæquando inferiorem personam præeminenti, vt in huius conspectu, imo in illecebra minimè perturbetur inferior, sed liberè agat, ac si cum compari tractaret. Constat (inquam) ex eo, quod in propositi huius probationem Zorobabel Dario liberè exprobrauit. Etenim opulentissimus ille Rex fecit conuiuium magnum, quale esse decuit illud, ad quod inuitati sunt Magistratus omnes Mediæ & Persidis, omnésque purpurati, Prætores, Consules, Præfecti, ab India vsque ad Æthiopiam, centum viginti septem Prouinciarum. Quis crederet in medio tam grandis, tamque grauis conuentus Dynastarum non seruandum Regi plus solito respectum, cum in suprema tunc ostentaretur maiestate? Et tamen humilis genere puella, quòd Regis cor captum sui gratia planè cognosceret, tam longe fuit à turbatione in conspectu eius, támque liberè egit, & amicè, quantum ex his Zorobabelis, quę ad Regem dixit, verbis facile apparebit. *Magnus est Rex in potestate sua: quoniam omnes regiones verentur tangere eum. Videbam tamen Apemen, filiam Bezacus, mirifici concubinam Regis, sedentem iuxta Regem ad dexteram, & auferentem diadema de capite eius, & imponentem sibi, & palmis cædebat Regem de sinistra manu. Et super hæc aperto ore intuebatur eam: & si arriserit ei, ridet: nam si indignata ei fuerit, blanditur, donec reconcilietur in gratiam.* Bone Deus! Rex turbatur potius indignantem videns mulierem. Turbatur quidem Rex, metuens, ne à gratia excidat seruæ suæ, quæ Regis cor suis habet in manibus, vt & barbam eius manibus tangat : non turbatur serua coram

Plutar. in Erotico. circ. med. t. 3. Moral.

3. Esdr. 4. 28

Rege: imo cum eo ludit, & iocatur. Tanta est amoris vis; cum in pectore est cognitus amantis.

Quæ cum ita se habeant; iudicate iam vos, qua potuerit, Gabriel opportuniore, ad sedandum turbatum virginis cor, vti arte, aut locutione, quam vna hac, qua protinus dixit: *Inuenisti gratiam apud Deum.* Perspecta namque in Dei animo affectione illa, qua gratam se Deo agnouit Maria; consequenter agnouit inter Deum, & seipsam illud paritatis genus, quod effectus est gratiæ, & amicitiæ, qua cognitione turbatio penitus euanuit. O fœliciſſima Maria! quæ apud Deum gratiam inuenisti: gratiam supremo gradu, omnes tam Angelorum, quàm hominum gradus longè superantem? Ideo dixit Origenes: *Id, quod Angelus ait, Aue gratia plena, soli Mariæ seruabatur.* O (inquam) Virgo fœliciſſima, quæ Dei oculis summè grata es, summè dilecta: quæ & in tuis consequenter manibus eum habes, vt facias ex eo, quidquid tibi, nostram ad salutem, facere libuerit. *Inuenisti gratiam apud Deum,* ne timueris Virgo, ne timueris. Abeat, abeat turbatio; Liber tibi ad Deum patet accessus: tibi libere agere conceditur: nulla hic adest occasio turbationis. Sanè multa est tua in Dei oculis gratia: multa citra verbositatem suadela: vt si in animum eius posset cadere turbatio, videns te turbatam, turbaretur. Est in te Dei cor: vnde aut ille, dum turbaris, conturbabitur: aut sedaberis tu, dum ille turbari non potest. Ille turbari nequit: tu ergo à turbatione liberaris, quæ inuenisti gratiam apud Deum. Orig. hom. 6. in Luc.

Verum magna adhuc viget difficultas in eo, quòd eam ipsam causam turbationis repetat Dei Angelus, ad turbationem extinguendam. Si turbatur Maria, notificato sibi summo gratiæ gradu, dum audit ab Angelo: *Aue gratia plena*: quomodo quietabitur corde super adiecta eiusdem gratiæ repetitione, qua dicit ei Angelus ipse: *Inuenisti enim gratiam apud Deum.* Planè in hoc apparet, quàm proprium gratiæ sit, sedare corda dilectorum, quòd ne eam quidem, quæ procedit à gratia, turbationem quippiam, nisi gratia, valeat amouere. Non patietur propositionem istam ignorari relata illa nimię Fratrum Ioſephi turbationis historia,

Turbatio Mariæ euanuit nuntio inuentæ gratiæ repetito.

Genes. 45.3. quam audiuistis. *Dixit Ioseph fratribus suis: ego sum Ioseph: non poterant respondere fratres nimio terrore perterriti. Ad quos ille clementer: accedite, inquit, ad me: Ego sum Ioseph frater vester, quem vendidistis: nolite pauere.* quid ait Ioseph? Videns fratres tuos nimia, dum audiunt, Fratrem te suum, turbatione perterritos, niteris eos à turbatione liberare, pergens dicere: *Ego sum Ioseph frater vester*? Parum est hoc. Nam prima vice dixit Iosephus; *Ego sum Ioseph frater vester*; secunda autem, cum de amouenda tractat turbatione, addit summæ verba turbationis, dicens: *Ego sum, quem vendidistis in Aegyptum, frater vester.* Quid dicemus? Hæc est vis gratiæ, cognitæ in corde diligentis. Nihil, præter hanc, turbatum sedeat pectus dilecti, & hæc funditus sedat, etiam cum noua causa turbationis coniuncta.

Genes. 45.15 Agnouit hoc probe satis Ioseph: & ostendit protinus effectus. Nam vbi se illi à fratre diligi agnouerunt, clementer dicente: *Accedite ad me: osculatusque est Ioseph omnes fratres suos*: tunc (ait textus) *ausi sunt loqui ad eum.* Dicite, boni viri: eratis nunc nimia conturbatione perterriti, & tam cito transitis non ad solam pectoris quietem, sed ad liberam insuper audaciam? quid mirum! Agnoscunt hi pectus pij Germani captum intima eorum dilectione: quid non audebunt, quantamcumque turbationem reijcientes? Sanè & pafferculi ipsi, rationis expertes, nihil minus agnoscunt; nihil minus audent, cognoscentes. Nam & columba, si esca ei proijcis, turbata fugit perinde, ac si lapidem inijceres. *simile.*

Quæ tamen, si semel & iterum escam à te sibi videat immitti, turbationem adiecta deponit esca, acceditque paulatim, donec gremio tuo insideat secura. In tantum, vt cognita semel in pectore tuo certa erga se humana pietate, nunquam turbetur amplius; nec si eam ictibus amoueas: sed redit protinus festina. Ergo suprema Virgo, ne timueris. *Inuenisti enim gratiam apud Deum.* Si ideo turbaris, quòd gratia Dei plena nomineris, desine iam turbari: nam gratiam apud Deum inuenisti.

Maria gratissima Deo. Sed quantam (rogo) gratiam? Primo mundo gratia diceris plena; secundo hoc plusquam plena gratia. Quonam

Maria ad Deũ artissima vnio.

ascendit gratia ista? Audi, Virgo diuina. *Inuenisti gratiam apud Deum: ecce concipies in vtero, & paries, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus: & filius Altissimi vocabitur.* Stupenda gratia. Eo quidem vsque gratia ista peruenit, vt non solum coniungat te Deus sibi, sed intra tua insuper habitet viscera, fiatque ibi filius tuus, ex sanguine tuo fiat homo. quis vnquam strictam adeo vidit gratiam? tale aliquod factum amicitiæ? Vtique si (quemadmodum propositum est) conflatis mutua gratia duobus in vnum extremis, amicus est alter ego, nulla potuit talis gratia inueniri, qualis vna hæc, quæ Deum, & te ipsam facit vnum, quatenus ex tuo ille sanguine homo efficitur verus. *O nouum, & inauditum Angelicæ salutationis obsequium: plenam appellat gratia, quia ipse in eam descendebat, per quem omni mundo collata est gratia*, ait Petr. Damian. Addiderim vltra quod mirandum est magis.

Petr. Dam. serm 3. de Natiu. Mar.

Summus amoris effectus est colliquefieri, nempe summi amoris igne anima liquescit amantis, vt animæ amati misceatur. Hunc in se effectum nouit sponsa, quæ his eum edisserit verbis: *Anima mea liquefacta est, vt loquutus est sponsus.* quid autem designat illud, quod de sponso asserit Paulus: *Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens?* Id certè est, *exinaniuit se*, ac liquefactus est amoris igne. Est ergo colliquatus, vt cum Virgine vniretur ea ratione, qua inter filium & parentem interuenit vnio. O summam Altissimi virtutem? *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, ait Angelus Virgini. Verè Altissimi virtus, virtus altissima, ac suprema. Virtus altissimæ sapientiæ, altissimæ virtus potestatis, virtus altissimi artificij, quæ talem composuerit vnionem, hominem Deum suppositum vnum, virtus, super omnia, altissimi amoris, quo Deus erga filios Adæ, & erga eam imprimis, in cuius visceribus strictam sui ipsius cum natura vnionem fecit humana delinitus, torrentem suæ effudit charitatis. *Virtus altissimi obumbrabit tibi.* Nulla profecto virtus alia, nisi Altissimi virtus, tãta posset obumbrare Virginem vmbra, quantam infinitus amoris ardor exigebat.

Cant. 5. 6.

Philip. 2. 7.

Maria plena diuinis fructibus.

Fruere iam, beatissima Virgo, gratia Dei, quã summam inuenisti: quã semper plena es, fuisti q; plena sẽper ab initio.

Fruere & ſereniſſima vmbra, qua Sanctus te obumbrauit Spiritus, vt Deum conciperes, & pareres. Fruere vmbra hac; & eiuſdem ſimul Spiritus igne in grande miraculum ſimul concurrentibus. Verùm quæ tam copioſa fueris gratia, fac (quæſumus) Virgo mater noſtra, eiuſdem nos gratiæ frui reliquijs, æternáque tandem, tibi in cœlo aſſiſtentes beatitudine.

IN EADEM

IN EADEM ANNVNTIATIONE B. VIRGINIS MARIAE.

SERMO III.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum. Luc. 1. 38.

SAlutis nostræ autricem fœminam ancillam Dei hodierna die nacti, iubilamus. Prima quondam mulierum Chimericam sui ad Deum parilitatem affectãs, nostrum omnium perdidit salutem: quam, affecta humilitati Maria, Dei se nominans ancillam, vberiorem fidelibus restituit. Accipit hodie fœlicissimum nuntium Angelico, Gabrielis ore prolatum, quo Dei Filium, Filium dicitur suum conceptura, parituraque tandem hominem pariter & Deum: quo audito, tam longe ab inflatione perstitit, vt profundiore potius humilitate respondorit hęc, quæ verba proposui, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Factumque est ita mora nulla: ingrediente Dei Filio vterum eius, sanguinemque assumente, quo *Verbum caro factum est*; nempe Deus factus est homo verus. O Domina ancilla, ancilla Domina! Quam te dicam, & prædicem? Audio te ancillam nominari: sed supremæ tua video opera Dominæ. Quodnam est altius Domini opus, opus Domini supremi, quàm vt vix pronuntiata ad formandas res supremas voce, res protinus fiant, sicut iubet? Dixit. *Fiat lux: & facta est lux*: quod factum supremi

Maria verbo sit res sublimior illis, quæ creata sunt Dei verbo quum dixit, fiat lux & cætera.

Ioan. 1. 14

Genes. 1. 3.

proprium Domini commendatur in scripturis: *Ipse dixit,*
Psal. 148.5. *& facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.* Ergo vox tua, ô Virgo diuina, propria est Dominæ vox, comparis Deo Dominæ; si quidem tu dixisti, & factum est: tu mandasti, & creatum est; & id quidem dum te ancillam nominas. Parum vtique dixi. Maius & altius facis tu voce tua, quã quod tunc voce sua fecit Dominus: maiusq; & mirabilius tua voce creatur, quàm quod Domini voce creatum est in vniuersali rerum creatione. Quænam ergo es, ancilla, an Domina? Facis (inquam) maius, & altius, quàm quod Dominus fecit voce sua: siquidem pronuntiata voce Dei illa, *Fiat lux, facta est lux*, lux visibilis ista, qua corporea illustrantur obiecta; at voce tua hac, inuisibilis lux fit lux visibilis: illa scilicet lux,
Ioan. 1.9. quæ *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem*: quæ ideo lux vera prohibetur, vt composita huic corporea illa, nequaquam nomen veræ mereatur. Hæc quæ *erat lux vera*, caro facta est ad vocem tuam, qua *Verbum caro factum est*: vt sit inuisibilis simul, ac visibilis lux; lux inuisibilis, Dei Verbum; visibilis lux Verbum caro factum, factum caro lumen, nullo contracto ex carnali crassitudine impedimento puritatis. Tu dixisti, & factum est; dixisti, *Fiat mihi secundum Verbum tuum*, & factum est. Quidnam factum est? *Verbum caro factum est*: maius sanè opus, ac sublimius illis,
Psal. 32.6. quæ quum *Ipse dixit, facta sunt*. Non enim fuit factum caro Verbum Verbo Dei illo; sed *Verbo Domini cœli firmati sunt*, at Verbo nunc tuo *Verbum caro factum est*, firmataque terra, sicut cœlum. Quod si *Ipse mandauit, & creata sunt*, dum solo verbo, *Fiat*, creata sunt omnia; verbo item tuo, quo dicis, *Fiat mihi*, creatum est. Quidnam creatum est? Maius omnibus vnum. *Creauit Dominus nouum super terram:*
Ierc. 31.22. *Fœmina circundabit virum.* Hoc creatum est ad vocẽ tuam, qua dicis *Fiat*, fiat mihi. Hoc ad fiat oris tui creatum est, vt virum fœmina circundes: quod est maximum omnium creatorum. Facis igitur tu, quod summum facit Dominus, & quod summum creat, id quidem ad *Fiat* oris tui creetur. Ergo Domina es tu, Domino compar creatori; aut saltem creatori Domino suppar. Quo ergo iure ancillam te nominas; quæ Domina es, ac Imperatrix? Nos quidem serui sumus tui, tuæque ancillæ adstantes hic fœmi-

næ; tu Domina noſtra, ſupremo Domino in ea compar excellentia, qua ſupremus eſt ille, Dominum generans ſupremum. Vnde & tu gratia plena es, gratiâ Dei plena: quæ dilectos quoſque mutuò dilectos, facit æquales. Effunde ergo omnes ſuper adſtantes famulos tuos, & ancillas, quod ex vberrimo gratiæ tuæ fonte flumen redundat: cum Dominæ ſit & cibare ſeruos, & potare. Adſit nobis Sancti virtus Spiritus, quæ exuberantem, hoc à flumine, gratiam, ſuo ſuper nos diffundat afflatu materna pro nobis interceſſione tua, pro qua te humiliter adimus, Angelicis his, quibus te Angelus ſalutauit, verbis, compellantes.

AVE MARIA.

Serui ſunt omnes, qui ex ancillis naſcuntur.

SEruitutis lex communi gentium conſenſu, quoad notos ex mancipijs filios, accepta, ea quidem eſt, vt ex liberis geniti fœminis, ſint liberi; ſerui, qui ex ancillis: minime attenta conditione genitorum. Eſtque proinde certum axioma; *Partus ſequitur ventrem.* Lege. Partum. C. de rei vendicatione. §. penult. inſtituta de iure perſonarum §. ſed & ſi quis, inſtit. de ingenuis, ca. vnico. de natis ex libero ventre. Fundamentum legis hoc vnum eſt: quòd prolis ex ancilla natæ nõ eſt certus omnino pater, ſicut mater certa eſt. Tum præterea, propter magna enixæ ancillæ ad ſeruiẽdum Domino, dum grauida eſt, dumque prolem nutrit, impedimẽta; quæ, quoad genitores ſeruos, nulla ſunt prorſus. Contremunt oſſa, dum audimus, eo, quo Maria ancillam ſe fatetur inſtanti, Filij Dei factam genitricem: ſiquidem inſtante illo, quoad Gabrielem humiliter dixit, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum Verbum tuum.* Dei vnicum Filium viſcera eius, vt homo ibi fieret, ingreſſum, carnemque ex eius ſanguine aſſumentem, diuinitus concepit. Nec concepit ante; quoniam ante pronuntiata verba hæc dixerat ei Angelus, *Ecce concipies*, non dixerat, ecce concepiſti; nec dixerat Sanctus in te ſuperuenit Spiritus: ſed dixerat. *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te.* Quæ eſt communis Patrum conſenſio, Baſil. Aug. Damaſc. Rupert. & Euthymij ſic loquentis: *Diſceſſit Angelus ab ea ſimul, ac iam per Verbum ſuum cõceperat.* Quod idem dixit Anaſtaſius Pontifex ſummus, aſſerens; *Poſt illa*

L. Partum. C de rei vẽdicatione §. penult. inſti. de iure perſonarum §. ſed & ſi quis inſtit. de ingenuis cap. vnico. de natis ex libero ventre.

Maria ſe ancillã nominat eo inſtanti, quo in matrem aſſumitur & Dominã.

Chriſti Incarnatio facta eſt eo inſtanti, quo conſummauit Maria verba conſenſus.

Baſil. Seleuciæ Epiſc. in orat de Annuntiatione Deiparæ Virginis.

Aug. ser. 2. de Annuntiat. Damasc. li. 3. de fide cap. 2. Rupert lib. 1. de operibus Spiritus Sancti. cap. 9. Euthy. in cap. 1. Luc. Anastas. in fragmento epist quæ habetur 2. tom. Cõcil. post Breuiarium. Liberati ante Concilium Arnernense. Suarez 3. p. tom. 2. disp. 9. sect. 4 Gal. 4. 4.

verba, fiat mihi secundum Verbum tuum, ædificauit sibi Dominus templum, & vniuit. Quam ex Scholasticis quæstionem vnus, nec alius antea, Suarez noster, & posuit, & resoluit. Contremũt (inquã) Pijs ossa auditoribus, dũ genitũ ex ancilla audimus Dei genitum, vtriusque vnicũ. Quid facis Domine? Quid facis? Visne Filium tuũ, gloriã tuam omnem, & honorem seruum fieri abiectum? Perpende, Domine, perpende, natum quemque ex ancilla, communibus seruum fieri legibus: curnam Filium tuum periculo exponis seruitutis? An quòd gentium leges non attendas; velis ve eum à communibus legibus eximere? Si huiusmodi forsitam exẽptionem intenderes, molliusculum foret factum istud: at neutiquam vis exceptionẽ istam, sed subditum legi nasci eum, eo ipso, quòd nascitur ex fœmina. *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege*, ait Apostolus tuus; vel potius tu dicis ore Apostoli: Vis ergo eum fieri seruum? Quisnam esse potest finis tuus? Numquid habere seruum cunctis Regibus terræ, cœlique potestatibus nobiliorem, maiorem, sublimiorem; vt tãtò sis tu sublimior Dominus, quanto altiori à seruo ministraris? Vehemẽs mihi est huiusmodi mẽtis tuę suspicio: nã pro ingenti quondã gloria tua, præstãtiorẽ imperatoribus cũctis te habiturũ seruũ prænuntiasti; ore dicens Zachariæ, *Ecce ego adducã seruũ meum orientem*, qui, vt totus indicat textus, Dei Filius intelligitur. Sic intellexerũt Doctores nostri, Cyril. Theoph. Euthy. Greg. & Beda: estq; manifestũ in Hebræo textu, nec nõ in Græco iuxta 70. Interpretũ versionẽ, vbi orientis vox germẽ significat, quod ex arbore oriatur; quæ est Græca locutio apud Suidã, & Homerũ. Itaq; Christus Dominus oriens est ex duplici ortu suo; oriẽs sicut sol, quatenus est Altissimi Filius, *Lux vera, quæ illuminat omnẽ hominẽ*: & oriẽs sicut germen, quatenus ex Virgine nascitur homo. Nec patitur dubiũ Kaldaïca paraphrasis; quæ pro oriẽte Messiã habet. Hoc antiquitus, ante diem hunc, quo Filiũ tuũ cõcipit ancilla. Sed & post genitũ, & natũ, serui nomine veteris; gloriarisq; seruũ agnosci eum. Hoc eũ nomine vocas verbis tui Apostoli, quib^a dicit ad nos: *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu. Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.*

Maria concepit Dei Filium in fine prolationis verborũ; fiat mihi secundũ verbum tuum. Christus, vt formam serui acciperet natus est de matre, quæ ancillã vocauit se, quũ concepit illum.

Christo in forma serui apparenti honoratus est summopere Deus, pater eius.

Zach. 3. 8. Hebræa. Græca ex 70. Cyril. ibi. Hier ibi. Theoph. in ca. Luc. 1. Euthy. ibi. Greg. li 29. Moral. c 20. Beda in Luc. 1. Suidas. Homerus lib. 5. Iliad. Kaldæa.

Christus duplici titulo vocatur oriens.

Quatenus Deus, oriens vt sol; oriens sicut germẽ, in quantum homo.

Philip. 2. 5.

Quid dicemus ad hoc? Quis est, Domine Deus, finis tuus? Quis animus tuus? quæ mens tua? vt Filium tuum, omnium Dominatorem, omnium Dominum cœlitum, & terrestriũ, ancillæ Filium fieri velis, ipsúmque consequenter fieri seruum? Numquid finis tuus est tali ancilla ditari? Si enim tanto ditior est herus, quantò maioris pretij parit ancilla filios: profectò sola ancilla hac locupletior es, Domine, quàm cæteris tuis bonis vniuersis. Nam genita in ventre eius proles infiniti valoris est: *Infinitus enim thesaurus est hominibus.* Vnde cùm in ancilla ponas illum; erit absconditus thesaurus, & is quidem infinitus in tantum, vt nihil penitus habeas opum aut bonorũ præter absconsam in ventre ancillæ prolem. Sic testatur Apostolus tuus, loquens de filio tuo genito in ventre ancillæ tuæ. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ abscónditi.* Vis ergo, Domine, infiniti thesauri, immensarum fieri Dominus diuitiarum? Nam ante genitum ex hac ancilla Filium non eras infiniti Dominus thesauri: quandoquidem cæli, terra, & mare cum omnibus illis, quæ in eis sunt, nequaquam infinitam complent summam. Filius autem tuus, qui infinitus est prorsus, non erat tuus tanquam Domini, sed erat tuus tanquam Patris; nempe sicut Filius quiuis Filius est Patris sui. Nunc iam infiniti es Dominus thesauri, serui Dominus immensi, & immẽsi valoris ancillæ, quæ prolem ventre portat infinitã. Ex quo, & vlterius illud in dominij tui euenit accessionem; vt filij hominũ quorumlibet tui nouo titulo serui sint omnes. Quoniam serui bona Domini sui sunt quæuis, iuxta commune ius vbilibet acceptum. §. 1. instituta de ijs, qui sunt sui vt alieni iuris: súntque homines omnes huius filij tui, qui & tuus est seruus, iustissimo mancipia emptionis iure, quo nos sanguine emit corporis sui, de quo dixit Paulus hominibus cunctis: *Empti enim estis pretio magno:* Ergo cùm omnes sint serui Filij tui, Filius verò ipse seruus sit tuus; omnes consequenter serui tui sumus nouo, præter creationis titulũ, iure, & præter ius illud, quo in praua, ex parte nostra, militia tuo sumus Dominio subiugati. Hæc sunt Pauli verba: *Omnia enim vestra sunt: vos autem Christi: Christus autem Dei.* Ergo Domine Deus, ex eo quod Christus seruus sit tuus; es tu Dominus omnium, tam hominum, quàm earum, quas homines habent, rerum qua-

Maria Deipara ditior est Deus, quam reliquis cæli, & terra opibus.

Sap. 7. 14.

Coloss. 2. 3.

Maria interuentu fit Deus Dominus omnium nouo titulo.

§. 1. instituta de ijs qui sunt sui vel alieni iuris.

1. Cor. 6. 20

1. Cor. 3. 23.

rumcumque. Dic nobis Domine, finem tuum; tuam aperi mentem circa sublime hoc, omnémque mentem superans mysterium. Quam scite loquitur Dionysius, dum ait: *Ipsa Iesu in carne apparitio ineffabilis est sermone omni, & omni ignota intelligentia: ipsi quoque Angelorum primati non cognita.*

Dionys. de diuinis nominibus, c. 2.

Verumenimvero vehemens mihi, Domine, suspicio est, non soli tuæ in opere isto attendisse te augendæ maiestati; sed exaltationi etiam ancillæ ipsius, vnitæq; filio tuo in eius ventre humanitatis strictè adeo, vt filius ipse tuus ancillæ pariter sit filius. Hoc enim solius potuit gratiæ esse opus arctissimæ, quæ & amantem inclinat vsque ad vnionem cum amato: & amatum subleuat vsque ad paritatem cum amante. Quod persuasum maximè mihi facit exaggerata ore Angeli suauissima ancillæ huius apud te gratia, ac suadela: cum inchoet nuntium verbis istis: *Aue gratia plena Dominus tecum*: & iterum nullo interposito verbo: *Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum; ecce concipies.* Vbi planè ostendit diuinam hanc sumptæ Virginea ex carne humanitatis vnionem ad Dei Filium, nec vnde prodire potuisse, nisi ex arctissima ancillæ huius gratia, & acceptione. Ideo ait Apostolus. *Manifestè magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne*, Græci Patres legũt, *Deus manifestatus est in carne.* Mirum quòd adeò grata sit ancilla Domino: sed magis equidem admiror, quòd nemo Dei oculis gratus fuerit vnquam, nisi is, qui se obnixe humiliat ex corde, vt se mancipium fateatur. *Humilia valde spiritum tuum: quoniam vindicta carnis impij ignis, & vermis*, ait Ecclesiasticus. Quod si ignis vindicta est eius, qui nõ humiliat se valde: quodnam erit præmium eius, quæ se humiliat adeò, vt quum Dei eligitur mater, dicat ad nuntiantem: *Ecce ancilla Domini?* Præmium quidem erit opposita igni refrigerãs vmbra: & vermi opposita tranquillitas Spiritus. Hoc est bonum Mariæ: *spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Vmbra fruitur Virgo refrigerante: sed quomodo potest carere vmbra virgo illa, quæ custodiendæ Virginitatis amore sub vmbra semper absconsi degit cubilis? Aut quomodo possunt recreari hac Spiritus vmbra fœminæ illæ, quæ ardoribus se exponũt libidinis? Rursus illa, quæ prophanum fugiens splendorem, diuinos intra seipsam humilis occul-

Maria suprema ob humilitatẽ exaltatio ad quoddam tũ Deo genus aqualitatis.

Luc. 1. 28.

1. Tim. 3. 16. Græci Patres.

Humiles Deo sunt gratissimi.

Gratia Dei fruuntur humiles multas.

Eccl. 7. 19.

tat fauores, innumera abscondit dona, séque ancillam exhibet, non Dominam, sub vmbra iugiter humilitatis delitescens: quomodo potest non protegi vmbra Dei illa, quæ supremus est splendor, qui gratia splendor est, quo deficiente, caligo sunt omnia. Hic est expressus Iacobi textus. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Quod si gratiam humilibus impendit; quantum (rogo) gratiæ credendus est dedisse Virgini humili adeo, vt eo tempore, quo in Dei matrem dicebatur electa, ancillam se Dei nominauit? Quid non potest gratia? Certè omnipotens est apud eum, cui gratus est homo. At quid non potest apud Deum humilitas, præsertim præcelsæ personæ, sponte humiliantis se? *Quanto maiores; humiliate in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam; quoniam Deus ab humilibus honoratur*, ait Ecclesiasticus. Nec nouum, quod gratia interueniente summus terræ Princeps vniatur ancillæ. Verbis vtar Historici Plutarchi. Syra Semiramis ancilla erat: cum autem Ninus, Rex magnus adamauit eam, sic eũ vicit, vt peteret ab eo, pateretur diem vnum in solio sedere, & diademate ornatam ius dicere. Quod ille libentissime concessit, qua concessione reliquo vitæ tempore regnauit illa. Permittesne, & tu, Domine Deus, vt ancilla hæc facta filij tui mater, fiat & simul regnans tecum imperatrix? Quid iam deerit ei, vt æqualis sit tibi? O stupendum diuini filij descensum: quo seruũ hominem exaltet? Perpendite, auditores, & miramini. Non dico vobis, vt miremini, quod Plinius, Iuuenalis, Tiraquelus, & alij scribunt multi; sed vt miremini, quod Deus simile fecit. Solemne fuit olim apud Romanos, vt exceptus curru, coronáque triumphator laureatus, seruum secum admitteret in curru, qui impositam triumphatoris capiti teneret manibus coronam? O magnum pietatis Sacramentum? quidnam est, Deum in ancillæ vtero hominem fieri? Dicat Damascen. *Contraxit sibi ipsi ex castis & purissimis sanguinibus carnem animatam anima rationali, & intellectuali; primitias nostræ conspersionis, nec cum semine, sed conditorio opere per Spiritum sanctum. Ipsum Dei Verbum carni suppositum, hypostasisq; est. Non enim ei, quæ secundum seipsam ante subsisteret, suppositumq; esset, vnitus est Deus Verbum; sed Sanctæ inhabitans Virginis vterum incircunscriptè in sua hypostasi supposito, subsistentia, persona ex castis sem-*

Iacob. 4. 6.

Eccl. 3 20.

Plutarch. in Erotico, tom. 3 moralium.

Plin. lib 33. cap. 1.

Iuuenal. Satyr. 10.

Tiraquel. in cõment. ad Alexandrum ab Alexan. lib. 6. cap. 6.

Damascen. lib 3 fidei. cap. 2.

Maria suprema ob humilitatẽ exaltatio ad quoddam cũ Deo genus qualitatis.

Humiles Deo sunt gratissimi. Gratia Dei fruuntur humiles multas.

Simile. Triumphatori olim Romano adstabat in curru seruus, qui sustinebat manibus impositam triũphantis capiti coronã.

Incarnatio Domini hypostatica vnio.

Christus in quantũ homo, coronatus simul secum, in quãtũ est Deus.

per Virginis sanguinibus carnem animatam anima rationali, & intellectuali sustentauit: primitias assumens humanæ consperſionis, ac massæ, ipsum Verbum factum hypostasis. Quare simul caro, & Dei Verbi animata caro rationalis, & intellectualis. Quamobrem non hominem Deificatum dicimus; sed Deum humanatum.

Aug. epist. 3 ad Volusanum.

Dicat breuius Augustinus. *Ipsa magnitudo diuinæ virtutis animam sibi rationalem & per eandem corpus humanum, totumq; omnino hominem in melius mutandum coaptauit. Quod si autem mox quod conceptum erat, animatum fuit: ergo etiam fuerat corpus figuratum, omnibusq; suis membris, & organis distinctum. Nam ante huiusmodi figurationem anima corpori non infunditur, vt omittamus informe corpus à diuinitate assumi non fuisse conueniens.* Itaque magnitudo diuinitatis coaptauit sibi in suppositum vnum rationalem animam, & carnem in melius mutans, ac exaltans. Quid est hoc? Nonne in curru vno coronatum triumphatorem, seruúmque videtis, corona simul triumphatoris ornatum? Vnus currus est hypostasis vna, persona vna, vnum suppositum, in quo est gloriæ Rex propria gloria coronatus, & seruus pariter, nempe humana natura: quæ cum Regi ipsi vnita sit, dicitur Rex seruus, seruus dicitur Rex, quatenus eadem, qua gloriæ Rex fruitur corona, potitur & seruus Christus ipse, cum Rex ipse sit, gloria coronatus. Tenet verò prout seruus est, manibus coronam, quam ipse, prout Rex, habet in capite, eo quod prout Deus, naturaliter sibi debitam possideat: prout homo autẽ, teneat eam manibus etiam, propterea quod proprijs etiam operibus sit adeptus illam, nam quamuis quoad animæ gloriam attinet, minime constet, sitne solo debita iure hæreditatis, an propriorum etiam iure meritorum, est tamen dubio vacans, fuisse debitam meritis, saltem quantũ ad corporis gloriam, & honorem. Ideo, qui serui formam ab eo acceptam dixit Paulus, vt audistis: coronatum quidem dixit seruum, gloriæ summæ diademate coronatum. Vtraque eius verba

Christum prout Deus habet in capite coronã sibi naturaliter debitã, quam prout homo est, manibus tenet, proprijs videlicet operum meritis suorũ.

Philip. 2.5.

referamus. *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu. Qui cum in forma Dei esset, nõ rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen,*

Christũ esse verè Deum verum, ac verum hominem, explicuit Apostolus verbis illis, qui cũ in forma Dei esset, & sequentibus.

nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Illustrissimum Incarnationis Christi testimonium, maximique à Patribus habiti vniuersis: sed illud, in cuius commoda explicatione non parum insudant Theologi nostri. Adsit nobis Sanctus ipse Spiritus, qui purissimæ Virgini ad concipiendum vtero ipsum Dei Filium, obumbrauit, vt eundem nos mente concipiamus in die, quo eius Incarnatio celebratur. Quisquis ergo Apostolica hæc verba aptè, & verè rimari cupit, ab antecedentibus retrospiciat contextum; sicut & in quibusuis aliàs Scripturæ locis obseruare, necesse est. Assumptum ergo Apostoli in secundo hoc capite scriptæ ad Philippenses Epistolæ est, exhortari homines ad tam profectam charitatem, vt nemo quæ sua sunt, aut contentiosè quærat, aut defendat; sed proximorum consulat bonis, etiam cum iactura aliqua propriorum, aut etiam cum magna; vt eximia sit charitas. Cuius prototypum exhibet Christum; qui cum Dei formam, nempe Dei naturam, Dei integritatem, Dei gloriam suam esse videret, deposuit sponte speciem Dei quoad ostentationem, & gloriam, formam serui accipiens, humanam videlicet; cum omnis homo seruus sit, tum natura, secundum quam est Dei seruus; tum culpa, qua se vendidit peccato. Accepit (inquam) formam serui naturalem: necnon similitudinem seruorum peccati, vt alibi idem Paulus asserit his verbis: *Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum.* Nunc textum nostrum percurramus ad litteram. *Implete gaudium meum, vt idem sapiatis, eandem charitatem habentes, vnanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: sed humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes; non quæ sua sunt singuli considerantes, sed quæ aliorum. Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu:* Id est, sentite vos ipsos inferiores alijs, non considerantes vestram esse excellentiam, sed sponte eam humilitate aperientes, sicut sentiebat Christus Iesus. Qui cum in forma Dei esset, sciretque esse suam Deitatem, nec raptam à se arbitraretur, quam natura propriam agnoscebat; spõte nihilominus non considerauit esse suam paritatem hanc, qua est Deo æqua-

Rom. 8. 3.

Philip. 2. 2.

lis, id est, non attendit ad eam, vt gloriabundam faceret ostentationem: sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens; nempe exuit visibilem propriam propriæ maiestatis formam, serui induens speciē; quòd stetit in eo, quòd in similitudinem hominū factus sit; non quòd non sit verè verus homo: sed quod homo factus, similis hominibus alijs in conditione seruitutis, cuius ille sponte accepit formam, habitu sit inuentus vt homo. Itaque non attendit, quod suū est; nam si attendisset; sciebat planè esse suam, nec rapinam arbitrabatur suam cum Deo ostendere æqualitatem, ac formam; sed attendit aliorum saluti, pro qua serui accepit formam; & pro qua humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem: vltra quam minimè quidem processit abiectio, ac humiliatio: imo pro humiliatione & obedientia Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, nempe nomen Iesu, de quo hodie Angelus ad Virginem. *Vocabis nomen eius Iesum hic erit magnus.* Adeo erit magnus, *Vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* Tanta fuit diuini amoris erga hominem vis, vt Deum ipsum, tanquam seruum vinceret, atque in serui forma exhiberet hominibus cernendum Beatum Dionysium audiamus. *Est mentis secessum est assimque faciens amor diuinus, amatores sui iuris esse non sufferens; sed in ea quæ amant, penitus transferens.* Ecce ne Deum ipsum sui iuris esse patitur amor: quod si nō sui iuris, non est liber, sed seruus, seruus amoris. Quis tale quid dicere ausit? *Audebimus & id loqui* (ait Dionys. ipse) *quòd ipse quoque auctor omniū præamatoriæ bonitatis magnitudine, extra se sit; nempe translatus in amatū.* Quid iam mirabimur, quod relatus Rex Ninus tanta fuerit ancillæ Semiramidis gratia captus? Quantane? Cum permisisset ille vnum in Regio solio diem sedentem fœminā ius dicere, iuberétq; omnes, vt ei, perinde ac sibi ipsi obsequerētur: videns illa omnes sibi in omnibus parentes, præcepit, vt eundē Ninum comprehenderent, cōprehensum ligarent, ligatum interficerent; quo sic peremptō, sola Regni Domina permansit illa. Quod citatus Plutarchus in relato illo scribit loco. O ineffabilem gratiæ vim! Nec Deum sui iuris esse patitur: sed vinctum amoris vsque ad mortem, seruúmq; forma mirificè humanatū. Quid my-

Dionys. de diuinis nominib. c. 4. parte 1.

Plutarchus loco relato

Amor non sinit sui iuris esse amatores: ne Deū quidem ipsum, quem non patitur esse sui iuris, sed adstrictum diligit.

Semiramis amata à Rege Nino, facta ex ancilla Dominatrix eius ligauit eum, ac interimens, regnum occupauit.

Ninus ancillæ Semiramidis adamator, manibus eius ligatus interijt, succedente illa in eius imperium.

sterium inquirimus ? Quid Dei mentem ? Dei animum, Dei finem ? Amor, amor est, qui ne Deum quidem iuris sui esse permisit, sed iuris amoris, quo captus, & allectus serui accepit formam, Dei forma minimè relicta.

Maria dicta ancilla Domini, vt cõformaret nomen hoc nomini Filij sui, qui serui accepit formam.

Quod si in id, vt serui haberet formam, humanum cum anima fœmineo in ventre accepit Deus sanguinem, & carnem humanã, nonne & fœminam ipsam sub ancillæ forma esse oportebat? Oportebat vtique Imo ipse, qui Deum formam serui fecit accipere ardens amor, consequenter mouit fœminam ipsam, vt se eo tempore fateretur ancillam, quo, ad talem accipiendũ vtero Filium, citabatur. At ancilla Dei, non peccati: quoniam solo creationis titulo, non titulo peccati fuit ancilla: quod ipsa eius verba explicuere: *Ecce ancilla Domini.* Fuit ergo quoad hoc, sicut in reliquis, conformis genito Maria. Nec refugiam ab ea, quæ vrgẽs videtur, obiectione circa nomina hæc matris, & filij; quasi minimè conformia sint, eò quòd iste Virginis Filius nusquam vocasse eam matrẽ referatur; sed ei semper dicebat mulier: quo nomine eã à se alienam videbatur innuere. At enim imo propterea dicebat ei mulier, quod nomine hoc magis sibi conformem indicabat. Etenim vsurpatum à Christo suiipsius nomen, erat ferè semper. *Filius hominis*, sicut legimus apud 8. Matth. cap. *Filius autẽ hominis non habet vbi caput suũ reclinet*: & cap. 9. *Vt autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem dimittendi peccata*: nec ideo se minorẽ exhibet, vt sequenti liquet cap. vbi dicit: *Dico autẽ vobis, quia templo maior est hic. Dominus enim est Filius hominis.* Quomodo igitur seruus? Filius hominis simul appellatur & Dominus; cũ serui formam dicatur accepisse. Cur autẽ toties appellarit seipsum Filium hominis licet non plenè comprehendam, suspicor tamen; ideo à Christo vsurpatum nomen istud, quod ad designandum hominem Deum, fuisset à Prophetis vsurpatum. Est præclarissimum Danielis vaticinium, his narratum verbis. *Aspiciebam ergo in visione noctis, & ecce cũ nubibus cæli quasi Filius hominis veniebat; vsque ad antiquum dierũ peruenit, & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum. Et omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient. Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod nõ corrumpetur.* Ecce Filium hominis vocat Dei Filium, dum eum cum cæli nubibus venire testa-

Maria cur nunquam dixit mater Filius eius, sed dixit mulier ferè semper.

Christus cur vsurpauerit nomen hoc suum, Filiũ hominis: frequentius quàm aliud aliquod nomen suum.

Filium hominis cur appellet se Christus frequentissime.

Matt. 8 20. Matth. 9 6.

Matt. 22. 6.

Dan. 7. 13.

tur. Nec indicaret Christum, si nominasset Deum, comprimens silentio hominis Filium. Oportuit ergo, appellari Filium hominis illum, qui Dei Filius indicabatur in eo, quod cum cœli nubibus veniret, summáque honore summo resplenderet potestate. Attributa igitur ab scripturis Christo appellatione vti cum oportebat, vt eũ, qui vaticinijs fuerat prænũtiatus, seipsum esse patefaceret. Quod sæpius ita quidem fecit, vt adiuncta alia, quæ nomini huic apposuerant Prophetæ, apponere & ipse non omitteret. Tale est dictum illud: *Non consummabitis ciuitates Israel, donec veniat Filius hominis.* Et illud Ioannis calamo scriptũ. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo Filius hominis, qui est in cœlo.* Vtq; eisdem Danielis, in idem ipsum propositũ, vtatur verbis, ait tandem ad suos: *Cum autem venerit Filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit in sede maiestatis suæ, & congregabuntur ante eũ omnes gentes. Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt, Venite, benedicti Patris mei.* Ecce nomina simul sibi imposita tria; Filius hominis, Rex, & Dei Filius, quem se nominat, dum ait, *Venite, benedicti Patris mei.* Quisnam est Pater iste? Non vtique homo: nec enim generalis hæc benedictionis extremæ inductio ali, præter Deũ competere posset. Ex sola ergo parte genitricis, Filius est hominis Rex iste. Quod si hominis Filius idoneum eius, ac proprium est nomen; quodnam apte magis in matrẽ eius potest nomen conuenire, quam mulieris nomen, vt filio prorsus conformetur? Vnde vlterius sequitur, ancillę nomen, quo se nominat mater, affine esse nomini Filij, quo serui formam accepisse perhibetur: cum Dominum verum in forma serui esse, esse hominem sit, vt contextus explicat, dum dicitur: *Formam serui acciptens, in similitudinem hominum factus.*

Matt. 10. 23
Ioan. 3 13.
Matt. 25 30

Est igitur ancilla Domini Maria intellectu illo, quo Filius eius serui dignatus est, forma humiliari. Quantũ ergo valet ancilla hæc? Quantum est pretium eius? Nonne dicebam vobis, sola ancilla hac esse ditiorem Dominum eius, quàm reliquis opibus suis, thesauriſq; vniuersis? Hoc ea dicebam occasione, qua prouenientem Domino ex ancilla hac thesaurum commendabam. Nunc verò occasione hac, qua è conuerso, prouenientem Mariæ ex eo, quod ancilla sit Domini, dignitatem propono, quanti ancillam valoris prædi-

Maria prægnans ancilla est tanti pretij, quanti Dominus eius Deus ipse.

eabo? Dixi æqualem quodammodo Domino Mariã ea, qua dispares personæ compares fiunt, æqualiter, dum interuenit gratia: nunc plus vltrà dicam: intentas præbete aures, & ad exultandum, præparate pedem, quotquot Mariæ deuoti estis. Quantũ (rogo) valet ancilla hæc statim, ac se ancillam nominat? quantũ valet ancilla, quantũ valet? Valet profectò prægnãs ancilla hæc tantũ quantũ ipse Dominus valet. Stupendũ dictũ: sed probatur. Prægnans quæuis ancilla tantum valet, quantũ sola per se, & proles per se valoris simul habẽt. Etenim vero cum grauida venditur serua, tantum augetur pretij, quanti inclusus in vtero fœtus æstimatur. Cum ergo ancilla hæc gerat vtero Dominum; tantum profecto valere concluditur, quantum Dominus ipse, & ipsa ancilla. Quod si alia quæuis prægnans serua non omnino complet vtriusq; valorem, quo sola per se, & per se solus æstimabitur filius, quando ex vtero incolumis prodierit; id certè inde est, quòd nulla sit nascituræ prolis securitas, sed periculum potius pereundi partu matrem simul, & prolem. Quod periculum à prægnante hac prorsus est alienum: imo infallibilis certitudo nascituri filij, perfectaq; ætate regnaturi. De ista quippe securitate certiorem reddit Angelus Virginem, dum ait: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Dabit illi Deus sedem Dauid, Patris eius, & regnabit in æternum.* Atque ita cum nullum immineat periculum; est in prægnante ancilla hac integrũ pretium, quo ipsa, & Filius Dominus eius æstimatur. Beatum Sophronium audiamus. *Beata, & gloriosa Virgo Maria quamuis dudum incomparabilis esset vniuersis, quæ sub cælo sunt, virginibus, vt decenter posset in se suscipere diuinitatis admissionem, salua vtraque natura; tamen cùm gratia repletur, cum Spiritu sancto perfunditur, cùm virtute Altissimi obumbratur; fit pretiosior meritis, celsis sublimior fastigijs, pulchrior sanctitate, gloriosior suorum prærogatiuis meritorum, ita, vt nullis iam vsibus sit ipsa mancipanda, nisi diuinis.* Sophron. sermone de Assumptione.

Quanta igitur alacritate, quanta exultatione oportet seruos nos hodiernam festiuitatem celebrare, quæ mulieris est nostri numeri ancillæ, valoris immensi, ad Regiũ Dei thronum exaltatę: filijque eius vnici, qui forma serui nobis similis natus, euectus est ad Regium Dauidis thronum, ad æternum regnum, ad Patris dexteram perpetuo possiden- Incarnationis Dominicæ dies festissimus omnibus seruis: nimirũ cunctis Adæ filijs.

dam? Notum est insignem quondam in Romano populo festiuitatem nomine compitalia à seruis, & ancillis iucunditate quotannis grandi, idibus Augusti celebratã, eo quod seruus homo nomine Seruius Tullius natus ex ancilla, cuius nomen Ocrestes, ad supremam Regni maiestatem peruenisset, factus successor Prisci Tarquinij, quo regnante, natus fuerat iste. Scribunt historiã hanc Alexander ab Alexandris, & Festus Pompeius, asserentes die illo seruos & seruas æquato iure, & nullo discrimine, liberan seruus esset cum Dominis colludere, & sociari solitos. Addit Marcus Varro, diebus illis temporaria fruitos libertate seruos, & ancillas: id quod & Dionysius Halicarnaseus commendauit. Quòd si terrena hæc serui hominis ex ancilla proditi exaltatio tantæ fuit seruis cunctis, tantæ ancillis omnibus alacritatis accasio atque tripudij; vt diem ipsum, quo seruus natus est, insigni hac celebritate celebrarint: quanta nos exultatione oportebit præsentem celebrare diem, quo ex ancilla matre conceptus est ille, qui cum Rex esset vniuersi supremus, formam accepit serui cõceptione ipsa? Multa sunt nobis, præ seruis illis, maioris gaudij incitamenta. Primum, quia natus ex ancilla seruus Seruius ille, ad amplissimũtãdẽ peruenit gradum dignitatis: Christus è diuerso verus mundi Dominus serui propter seruos nos gigni dignatus est forma, ex ancilla parente, quæ cum vnica orbis Regina esset spõte se ancillam summa humilitate nominauit. Erat enim, quando Christum genuit Regina orbis vnica, tum summæ titulo gratiæ, quam in Dei oculis inuenit, ita, vt gratia plena perhiberetur, tum titulo sponsę, cuius proprium est ius, vt simul ac à Domino suo in sponsam accipiatur, maneat omnino libera, sitq; ex æquo Domina cum sponso; iuxta nobilissimas Hispanorum leges; quibus & filios inde natos liberos nasci, merito decernitur: Lege 1. tit. 13. & l. 5. tit. 22. partita. 4. Deinde, quia illi Romanorum serui nullo propter Seruium bono fruebantur, præter vnum illud, quòd aliquis ex seruorum numero ad Regium aliquando ascendisset primatum: nos propter hodie genitũ Christum innumeris bonis cumulamur. Præterea serui illi minime liberi fiebãt, quamuis pro illis compitalium diebus more se gererent liberorum: nos propter genitum serui forma Christum inte-

Alexander. ab Alexandris lib. 3. genialium dierũ c. 18. Festus Põpeius li. 17.

Marcus Varro li. 2. vel 5. de lingua latina.

Dionysius Halicarnaseus lib. 4.

L. 1 tit. 13. l 5 tit. 22. partita. 4.

Seruii Tullii natalis dies omnibus in Romano populo seruis celeberrimus: quòd ille seruus ex ancilla natus, ad regiã dignitatem ascendisset.

Seruos Romanorum fruitos libertate quotannis in die celebritatis natalis Seruii Tullii iucundisque tunc ludis iubilasse.

Ancilla ducta in sponsam à Domino suo, manet libera, tam ipsa, quam filii, inde nati.

Christus per matrẽ suam seruos homines in libertatem vindicauit.

gra donamur libertate. Et (quod maius est) libertas hæc, in quam reducimur per Christum, non est sicut illa temporalis, nec quæ à debita Deo nos eximat seruitute, quę nobilẽ valde hominem facit instar Regis: siquidẽ seruire Deo regnare est: sed est libertas, qua à diro illo abducimur iugo, quo serui miseri eramus peccati, æternis vinculis addicti: quã doquidem *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* Imo in id serui formam accepit Dominus, vt hac nos seruos nobilitaret libertate. Sic Chrysost. *Quid humilius seruo? Tamẽ hoc Dominus fieri dignatus est, vt nos faceret liberos.* Nam assumpta à Domino forma serui, fuit hominis formâ, qui naturaliter Dei seruus est, vt Theodoretus explicuit; non forma seruorum peccati. Vt dixit, S. Leo, verbis istis: *Assumpta est de matre hominis Domini natura, non culpa: creata est forma serui sine conditione seruili: quia nouus homo sic contemperatus est veteri, vt veritatem susciperet generis, & vitiũ excluderet vetustatis.* Similia sunt, quæ dixit Cyril. in Nyss. symboli expẽsione: & Damasc. li. 3. de fidẽ Orthodoxa 21. cap. Quid, quòd Paulus ipse, qui formam serui Christum accepisse testatur, Dominũ vocat Moysi; huncq; famulũ eius eximiam in famuli dignitatẽ? *Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus, quãto amplioręm honorem habet domus, qui fabricauit illam. Et Moyses quidẽ fidelis erat in domo eius tanquã famulus: Christus verò tanquã Filius in domo sua.* Quæ verba merito põderauit Athanas. dicens, *Moyses fidelis in domo, Christus super domo, vt qui eã ipse constituerit, Dominusq; eius.* Estq; magis adhuc põderandũ illud ipsius Pauli Verbum, Christus fabricauit domum, *Quæ domus sumus nos. Omnis autẽ domus fabricatur ab aliquo; qui autẽ omnia creauit, Deus est.* Ecce Deũ vocat, qui fabricauit domũ, quæ sumus nos. Fabricauit quidem Dominus Christus nos domũ suã, nẽpe seruos, in gloriosã Spiritꝰ libertatẽ & honorẽ.

Est libertas hæc propriũ Apostoli instit. in 4. Epist. ad Galat. cap. *Scriptum est enim, quoniam Abraham duos filios habuit, vnũ de ancilla, & vnũ de libera. Sed qui de ancilla est, secundũ carnem natus est; qui autem de libera, per repromissionẽ: quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta: vnum quidem in monte Sina, in seruitutem generans, quæ est Agar. illa autem, quæ sursum est Ierusalem, libera est, quæ est mater nostra. Itaq; fratres, non sumus ancillæ filij, sed liberæ; qua libertate Christus nos libe-*

Maria generans Christum nos liberos fecit ex seruis.

Ioan 8. 34. Chry. in id 1. Paralip. Quis ego sum. Tom. 1. Theod. in cap. 2. ad Philip. Leo ser. 2. de natali Domini. Cyril. in expositione symboli Nyss. Damasc. lib. 3. de fide c. 21.

Christus in forma serui verus est Dominus.

Heb. 3 3.

Athanas. Orat. 3 cõtra Arrianos.

Gal. 4. 22.

rauit. O diuina ancilla, Christi genitrix! ô supreme Rex, ab ancilla in forma serui natus? Tu quidem, ideo ex ancilla nasci dignatus est, vt perfecta nos nobilitares libertate. Dic, Virgo diuina, dic dic, quod dicis; nam dicto tuo isto nobilissima pleno humilitate nostram diuinitus libertatem præparas, & vitam. Qua libertate Christus nos liberauit: Vbi Tertullianus legit, *manu misit*, quo expresse magis concessam gratis libertatem ostendit; non ex accepto concessam pretio. Sed quid Doctor maximus Hieronymus? *Ecclesia diu sterilis non peperit, antè quam Christus de Virgine nasceretur. Sed cum Christum, quasi Isaac, id est, risum mundo peperit de Abraham, id est, de electo patre, cum voce sublimium dogmatum resonante, proles plurimas Deo peperit.* Hic verum tamen ego non omittam commonere auditores, cum libertas hæc non sit illa libertas, qua à debitis Domino liberamur obsequiis, sed qua à peccati iugo liberamur, statuendum semper ante oculos esse illud Pauli monitum; *Vos enim in libertatem vocati estis, fratres: tantumne libertatem in occasionem detis carnis: sed per charitatem Spiritus seruite inuicem.* Et illud Petri: *Libertatem promittentes, cum ipsi seruiant corruptionis. A quo enim quis superatus est, huius & seruus est.*

Tert. ibid.

Hier in Epist. ad Gal. c. 6. 22.

Gal. 5. 13. 2. Pet. 2. 19.

Homines debent tanto se humilius subdere Christo, quanto nobilius ab ipso redacti in libertatem. Maria dicit, fiat, innumera hominibus bona concilianit.

Age ergo iam ancilla Domini, sciſnam, quid dicas, dum humiliter dicis; *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum*? Quid nam fiet secundum Verbum tuum? Dices, fiet mirabilis in vtero meo generatio, qua Filius Dei meus fiet Filius. Quid vltra fiet? Infinita inde fierit. Bona secundum Verbum tuum. Sed illud imprimis, vt ad Verbum tuum liberi efficiamur, qui peccati eramus mancipia. Fiat igitur nobis secundum Verbum tuum, Regina cœli. Tu dixisti ad Angelum, fiat mihi secundum verbum tuum, quo facta es Dei mater, cœlique imperatrix ac terrarum; nos dicimus tibi, fiat nobis secundum Verbum tuum; quidnam fiet nobis, nisi quòd ad nostram summè oportet salutem, nostram libertatem, nostrum honorem, custodiam, pacem, perfectionem, incolumitatem, dulcedinem, requiem, omniaque bona corporis ac mentis? Ancilla es, sed multum vales; imo ancilla, per quam valemus omnes; sine qua nihil valemus. Quantum vales tu, diuina Dei ancilla? quantum vales? si id, quod valemus Filij hominum omnes, per te vnam

vnam valemus, per te Dominam nostram æstimamur: quãtum valebis tu? quantum valebis, alma Dei ancilla? Ancilla tanti prætij es tu, vt sis auri fodina infiniti thesauri thesaurorum. Erat tibi hucusque duplex thesaurus; Virginitas alter, alter humilitas: ex nunc iam auri fodina es infinitum ventre claudens aurum: sed valdè tamen de Virginitate sollicita; valdè prospiciens humilitati? O verè humilis Maria! ô verè amatrix puritatis! Cum de concipienda vtero tuo prole tractatur, respondens interrogas: *Quomodo fiet istud: quoniam virum non cognosco.* Quum autem conceptionem hanc minime recusandam agnoscis; humilitatẽ cum Virginitate consolidas, dicens, *Ecce ancilla Domini.* Accidit sæpe, inuẽtorem fodinæ auri hærere perplexũ, vtra maior futura sit summa, illane auri, quod inde sperat educendum; aut expensæ argenti in labore fodinæ consumendi? Aurum est Deus. Virginitas argentum. Quidnam Virgini offertur, quũ Dei Filius vtero eius concipiendus proponitur Filius, nisi infinitus (vt diximus) thesaurus? Et tamen hæret cogitabunda, qualis sit ista salutatio. *Cogitabat, qualis esset ista salutatio.* Cumque certam noscat auri fodinam, prudens interrogat, *Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco.* Caueo, ne aliquam argẽteæ Virginitatis meæ iacturam faciam; dum aureum ventre Verbum concipiam. Nondum plenè percipio modum, quo Dei Filius erit meus. Cumque Dei Filium verè Filium suum futurum agnoscit, Sancti Spiritus obumbratione gignendum: tunc ad firmandam humilitatem recurrit; qua, ne tanto auro, tanta infletur excellentia, respondet; *Ecce ancilla Domini.*

Maria seruauit Virginitatem cum humilitate, tanquam pretiosissimũ thesaurum.

Virginitas cum humilitate thesaurus est Reginæ cœlestis.

Luc. 1. 29.

Fruere iam Domine ancilla tua, qua sola ditior es, quã reliquis tuis, quos in terra, & cœlis habes, thesauris. Vna hæc ancilla tuo prægnans thesauro, omnis possessio tua est. Ipsamet fatetur: *Dominus possedit me in initio viarũ suarum, antequã quidquã faceret à principio. Quando præparabat cœlos, aderã: quãdo certa lege & gyro vallabat abyssos: quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarũ: quando appendebat fundamenta terræ, cum eo erã cuncta componens.* Quæ verba in diuinã sapiẽtiã conueniunt primitus: quæ cũ Deo adstitit in omnũ operũ formatione. Sed deinde in Mariã conuenire, ex eò iustè colligũt Doctores, quòd in festis eius legi ab Ecclesia videãt.

Maria ancilla possessa à Domino in initio viarum suarum.

Prou. 8. 22.

Vnde & variis varij ea modis applicant Deiparę. Nos iuxta noſtrũ inſtitutũ, vt cũ exordio calcẽ connectamus, ratione hac enucleabimus. *Dominus poſſedit me in initio viarũ ſuarum.* Poſſideri à Dominis, ancillarum eſt: vnde ait Maria in hac Incarnationis die, qui eſt viarum Dei initium, poſſedit me Dominus ancillam ſuam. Eſt viarum Dei initium dies iſte, in quo Deus *In propria venit*: In quo *Venit Filius hominis quærere, & ſaluum facere quod perierat.* Nunquã enim ante diẽ hunc per viam aliquam interfecerat Deus. Ideo Prophetæ omnes dicebant, veniet Dominus, nemo venit Dominus dixiſſe refertur. Si quando enim veniſſe dicebatur; erat qui tunc veniebat, miſſus ab eo Angelus, perſonam eius repræſentans, vt Doctores intelligũt omnes, & ſacræ ipſæ litteræ non obſcurè indicant. Ergo Incarnatio hæc verè eſt viarum Dei initiũ, quod oritur Deus, vt eſt teſtatus Zacharias, dicens: *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri*; quoniam Incarnatione ſua incipit aperire nobis cœli vias, vt ipſemet facit innoteſcere, dicens; *Ego ſum via, veritas, & vita: nemo venit ad Patrem, niſi per me.* Si Chriſtus eſt via; non ergo erat vlla ad cœlum via, ante quàm eſſet Chriſtus, qui hodiè eſſe incipit; nam ante diẽ hunc non erat Chriſtus Deus, & homo, ſed erat Deus, nondum factus via, qua tendamus. Quid moror? *Si nemo venit ad Patrem, niſi per me;* hodiè ergo incipit aperiri via, cũ à Virgine Chriſtus generatur. In hoc ergo initio viarũ Dei vocat ſe ancillã genitrix eius, quo poſſeſſa ab eo cognoſcatur, atq; adeo illa, quę de ſe ipſa dicit: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum.* At poſſeſſa hæc ancilla Domini, *Cum eo erat cũcta cõponens*, quãdo Deus ipſe omnia cõpoſuiſſe deſcribitur. Etenim Dei Verbũ omnia quidẽ eſt, cũ Deus ſit omnia, & Verbũ ſit Deus. *Non enim ſe ipſum Pater integrè, perfecteq; dixiſſet, ſi aliquid minꝰ, aut amplius eſſet in eius Verbo, quã in ſeipſo*, ait Aug. Homo autẽ abreuiatus eſt mundus, vt dixerunt Philoſophi. Quidnã ſequitur inde? Nõne cũ Verbũ diuinum cum hominis natura cõpoſuit Deus ita, vt ex verbo & natura humana vnũ fieret cõpoſitum, omnia cõpoſuiſſe prædicabitur? Si ergo tunc cõpoſuit Deus omnia; cũ eo quidẽ erat Maria cuncta cõponẽs. Quoniã ad Mariæ vocẽ, qua dixit, *Fiat mihi ſecundum verbum tuum*, Dei operatione concurrente, cõpoſita eſt humanitas cũ Deo. Quod

Incarnatio Chriſti principium viarum Dei.

Ioan. 1.11. Matt.18.11.

Luc.1.78.

Ioan.14.6.

Maria adſtitit Deo, omnia cum eo cõponens. Incarnatione Chriſti compoſuit Deus omnia.

Aug lib 15. de Trinit. ca.13.& 14.

cũ ita sit, verè dicet Maria, possedit me Dominus, antequã quidquam faceret. Quoniã cætera, quæ feceratomnia, minime computantur, diuinissimo huic operi collata. Dicetq; consequenter; tunc cum eo eram cuncta cõponens. Dicet item Maria verè, *Quando præparabat cœlos, aderam.* Quoniam profecto Incarnatione hac cœlos præparauit Deus: qui cũ interitu suo, & resurrectione inhabitãdi essent ab hominibus; hodierna die fuerunt Incarnatione præparati. Et tunc aderat Maria, dicens; *Fiat mihi secundum Verbum tuum*: quo hominibus cœlum præparauit.

Maria cum Deo præparauit cœlos hominibus.

Prou. 8.27.

Eadẽ similiter ratione dicet; *Quando certa lege & gyro vallabat abyssos, cum eo eram cuncta componẽs.* Quisnam est abyssus? Nonne Deus ipse? Vtique *Iudicia Dei abyssus multa*: & Dei iudiciũ Deus ipse est. Tunc igitur vallabat Deus certa abyssum lege, quãdo Filiũ suum carne vallauit in vtero fœminæ certa lege illa, de quo Apostolus, *Misit Deus Filiũ suum factum ex muliere, factum sub lege.* Sed rogo, nonne, & mater eius vallo isto circundedit in gyro Deum, iuxta verbum illud Ieremiæ. *Creauit Dominus nouum super terram; fœmina circundabit virum.* Et certa quidẽ lege; siquidẽ propterea quòd *Misit Deus Filium suum factum ex muliere; factum sub lege*, misit. Nec secus aderat Maria. *Quãdo æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum.* Quidnã est, firmari sursum æthera, nisi cœlos eminentiori quadam ratione super propriũ eleuari situm; eleuãdoque fortius affirmari? Tunc ergo aderat Maria cum Deo; qui tunc eleuans firmauit cœlos, quum illa dixit, *Fiat.* Tunc quidẽ cœlos altiori firmabat modo, nimirum supernaturali. Hoc quippe est, cœlos sursum firmari. *Et librabat fontes aquarum;* appendebat scilicet manibus suis vberrimos gratiæ fontes, quibus homines potandi erãt, ac recreandi. Appendebat fontes hos, seu suspendebat manibus eos, vsque ad diem illum, in quo pendens in cruce, per foramina quinque emisit illos, copiosa homines refrigerans gratia. Tunc itaque quando huiusmodi fontes in die Incarnationis appẽdebat Deus, aderat ei Virgo mater eius, vtpote diuina scaturigo; ex qua fontes illi prodierunt.

Maria adstitit Deo, quando certa lege, & gyro vallabat abyssos.

Psal 35.7.

Gal 4.4.

Iere 31.22.

Prou. 8.28.

Maria adstitit Deo, quãdo æthera firmauit sursum; & librauit fontes aquarum.

Maria adstitit Deo, quando terra appendit fundamenta.

Tandẽ, quando appendebat *Fundamenta terræ, cum eo erat Maria cuncta componens.* In Sacrosancta quippe die isto solidissima terræ appendit Deus fundamenta, postmodum pro

Prou. 8.29.

Ecclesiæ ędificatio iacienda. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus.* Hoc appendebat Deus in vtero Virginis, vt passionis tempore iaceret in terram: atque adeo aderat Maria Domino Deo, quando appendebat fundamentum istud.

Quid defuit Mariæ, vt dicere queat, *Cum eo eram cuncta cõponens*; Quando spiritali; ac supra naturali cõpositione cõposuit Deus omnia, ac ordinauit? Quæ autẽ adest Domino, omnia cum eo pariter componens, Domina est potius, quã ancilla. Et quidem verè Domina est, quãuis ipsa se ancillam nominet. Imo Mariæ nomen Domina interpretatur, non sola Hebræa lingua, vt dicunt Epiph. & Chrysost. sed etiam Syra, Interpretibus Hieronymo, Isidoro, Beda, & Eucherio. Itaque Maria Domina ancilla est cum Deo componens cuncta.

Epiph. orat. de laudib. Virgin. Chrysost. 142. ad populum. Hier. libro de nominibus Hebr. Isid lib. 7. Ethy. c 20. Beda li 1. in Luc c. 3. Eucher. lib. 2. instructionum. Gal. 4. 4.

Maria interpretatur Domina.

Sed, & illud componit inter alia, vt eo ipso, quòd se ancillam nominans, diuinum serui forma generet Filiũ, nos seruos peccati ad perfectam educat libertatem. Quantãne? vt non solum liberi, sed Filij Dei nominemur, & simus. In hoc quippe, *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret; vt adoptionem Filiorum reciperemus*, vt prædictis verbis subiunxit Apostolus. Fruamur ergo nos, & tanta lætemur libertate. Et tu alma ancilla, Domina nostra, fruere regia dignitate; fruere supremo vnico munere, quo cum Deo eras cuncta componens; & immenso tuo fruere thesauro sempiterno. Sed & tu, Domine supreme, fruere ancilla hac, in qua thesaurum tuum habes totum. Fruere tam vtili ancilla, quæ tecum est, cuncta componens. Fruere, fruere, & lętare. Tamen dum gaudens frueris ea, & illato fruitur exhilarans; memento (quæsumus) quòd ideo ancilla tua est, vt nos à seruitutis iugo in perfectam vindices libertatem, inque gratuitam admittas tuorum adoptionem filiorum, qua tua tandem gloria perfruamur.

IN VISITATIONE B. VIRGINIS MARIAE.

SERMO I.

Exurgens Maria, abijt in montana cum festinatione, in ciuitatem Iuda: & intrauit in domum Zachariæ, & visitauit Elisabeth. Luc. 1. 39.

Deus matura descendit ad puniendum; ascendit celeriter ad benefaciendum.

MIRABILE diuinæ bonitatis indicium diuersa valde properandi ratio, qua ad puniendos descendit peccatores, & qua ad sospitandos ascendit electos. Descendit quondam ad consumendos igne peccatores, tanto in se succensos igne libidinis, vt comburi igne, fuerint meriti: & tamen lenta descendit mora, notificans prius, se ad causæ examen descensurum. *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est; & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Descendam, & videbo.* Nec descendit protinus; sed postquam rem communicauit Abrahamo, multis cum eo super causa hac vltro, citroque habitis, vt omitteretur supplicium, si iusti aliquot inuenirentur in Sodomis. Descendit tandem: nec tamen illico ad executionem deuenit, donec nefando explorato flagitio, adhibitáque ministro Lot præmonitione, pertinaciam eorum experimento comperit execrandam. Cùm autem ad elargienda ascendit bona, celeri tunc velocitate conscendit, vt relatus hodie ostendit ascensus; quo statim, ac in Virgineo vtero factus est homo, nihil Gen. 18. 20.

priùs fecit, quàm montana festinus conscenderet, ad replendum diuina expulso originali peccato gratia, & charitate inclusum adhuc materno in ventre infantem illũ, quem in Præcursorem suum eligens à sexagenaria voluit parente magno concipi miraculo. Itaque cùm purissima Virgo à nuntiante mirabilem diuini Verbi in vtero suo Incarnationem Gabriele illud audiret testimonium, quod Zachariæ vxor Elizabeth, eiusdem Virginis cognata, Filium in senectute concepisset; auida gratulandi pro tanto vetulæ miraculo, in accliuia, vbi illa habitabat, montana gerens conceptum vtero Deum, impigra conscendit charitate. Domum ergo intrauit Zachariæ: cuius prægnantem coniugem Verbis salutauit illis, quæ non sicut nostra, verbo tenus salutem largiuntur; sed solidam, veram, consistentẽ, & (quod summum est) spiritalem. Tam plena quidem collata fuit salus incluso in matris vulua Præcursori; vt ab originali eductus peccato, arctissima Deo fuerit conciliatus gratia, & amicitia. Sensit ille mox Mariæ vocem salutarem; sensit & venerandam existẽtis in eius ventre Filij Dei præsentiam; qua exultauit alacriter adeò, vt sentiens mater ebullientem suo in vtero puerum, exultans, & ipsa clamauerit dicens: *Vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Repleta quoque est vetula ipsa abundanti salute, Sancto scilicet Spiritu, qui vera salus est, quo cœlitus afflata, suam resultauit salutatricem magna voce hac: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Quæ & addidit, dicens: *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Et beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.* Tunc glorioſa Virgo in suauissimum illud erupit Canticum: *Magnificat anima mea Dominum; & exultauit Spiritus meus in Deo, salutari meo.* Mansitque cum grauida cognata vsque ad mensem illum, quo Præcursorem peperit baptistam. Si Mariæ charitas feruens est adeò, vt minimè vocata, portet festina Filium suum, ad præstandam gratiam, tum gratum facientem, tum gratis datam adloquendum; quanta nobis succurrat properantia ad impetrandam nobis gratiam gratum facientem, verum concionis fructum, & eam item, quæ gratis data est, ad concionem ipsam instituendam: si eiusdem verbis, quibus, & ab An-

gelo Gabriele, & à sene cognata benedicta est, fuerit, & à nobis aduocata.

AVE MARIA.

Deus ad cōferenda grā dia in homines munera, accedit absconditus.

NOta vbique sacrarum Scripturarum consuetudo Dei est, licet occulta fortassis causa, vt quoties, ad conferenda munera sua, visitat homines, velatus accedat, seu absconditus, ne ab hominibus ipsis videatur. *Verè tu es Deus* Isa 45.15.
absconditus; Deus Israel, Saluator, ait Isai. 45. capite: in quo Isa.45 3.
etiam ait, Deum ipsum electo suo dicere: *Dabo tibi thesauros*

Salomoni valde munificus Deus tur aduenit noctu.

absconditos. Sic, cùm celeberrima illa, qua nulla famosior, Visitatione venit ad Salomonem summopere munificus, dicens: *Postula, quod vis, vt dem tibi*: tunc, *apparuit Dominus* 3 Reg. 3. 5.
Salomoni per noctē. Similiter, cùm eximiè ditauit Abrahamū: *Cum occubuisset Sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus* Gen. 15. 17.
fumans, & lampas ignis transiens. In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abraham, dicens: semini tuo dabo terram hanc à fluuio Ægypti vsque ad fluuium magnum Euphratem, Cinæos, & Cenezæos, Cædmonæos, & Hethæos, & Pherezæos: Raphaim quoque, & Amorrhæos, & Chananæos, & Giergesæos, & Iebusæos. Hodie visitat Deus Præcursorem suum, ad præstanda illi maxima omnium, quæ vlli vnquam viro præstitit officia. Purificauit enim animam eius ab originali macula in ipso adhuc matris vtero latentis, exornans eam eo gratiæ gradu, quo alius quiuis ex præcipuis electis donatus est post longum vitæ curriculum, quum ad supremum sanctitatis peruenit culmen. Induit eum omnibus simul virtutum habitibus, gradu cunctis sublimi: vsúmque in eo accelerauit rationis, vt intrantem ad se cognouerit Dominum, cognitóque exultari: & (quod summum est) omnibus his virtutibus, eum confirmauit in perpetuum, & gratia primum. Et tamen ad visitationem hanc, qua eximiè munificus accedit, venit Deus opertus, non solum assumptæ humanitatis velamine, sed Deus vtero insuper materno, quo latitat absconsus. Quæ ergo potest esse causa, qua sic opertus veniat Deus, cùm ad præstāda venit grandia hominibus bona, eximia munera? *Inclinauit cælos, & descendit: & caligo sub pedibus* Psal. 17. 10.

eius. Quidnam est, cœlos inclinare? Vtique inclinare cœlos, cum descendit Deus, est omnem cœli gloriam cum Deo descendere. Quod expressiùs illucidauit Kaldæus legens: *Apparuit gloria eius.* Tunc ergo caligo sub pedibus eius; ne à quopiam eius cognoscatur aduentus. *Et posuit tenebras latibulum suum.* Quæ (iterum rogo) huiusmodi causa operimenti? Hanc ego vnam assequor causam. Naturale est homini cuique, vt cùm grandia largitur munera publicè ea, reuelatóque præstet coram omnibus vultu: quum autem dat modica clanculum, ac sine arbitris exhibeat. Quæcunque Deus in seculo hoc dat hominibus bona, minutissima sunt comparationem eorum, quæ præstat in cœlestibus. Nam omnia hæc, quæcumque sint, non sunt Deus ipse; quamuis eorum aliqua sint nonnulla Dei participatio: qualis est gratia. Cúmque donum illud, quod in futuro confert seculo, Deus ipse sit, perspicuè visus, & possessus; sunt dona hæc: quibus hic fruimur, exigua, paratis in cœlo muneribus collata. Quoniam quæcunque Deus non sunt, infinita distantia differunt à Deo. Hac de causa absconsum venire Deum puto, cùm ad conferenda munera, visitat, mortales. Quoniam profectò quantauis det, dũ non dat seipsum, minora sunt, quàm quæ tantus Rex publicè, ac in sua veniẽs maiestate largiri dignetur. Primus Dei gressus, visitatio prima, ad quam procedit Deus assumpta iam humana natura, est hodierna hæc, qua continuò humanatus ad visitandum Ioannem ascendit in montana. Est & primum dignitate munus, quod ei præstat, amplissima in materno vtero gratia virtutibus ornata vniuersis: & tamen venit absconditus Deus in vtero genitricis suæ, quæ eum festina portat ad Ioannem, & parentem.

Kaldæa.

Sed quid est, quòd cum adeò velatus veniat Deus, adeo occultus, & absconditus, tanta ab absonso etiam infante perspicuitate cognoscatur? Vndenam eius oculi, vel si lyncis sint, tam possunt esse acuti, ac perspicaces, vt interna ventris rimentur penetralia? Ni fortè dicamus, Virginem hanc, intra quam clausus aduenit crystallinam esse laternam, penitus diaphanam. Nam inclusus in Maria Deus, *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, adeò, vt adhuc venientẽ illuminet Ioannem, nondum

Maria laterna crystallina, tũmopere diaphana.

Ioan. 1. 9.

nondum vtero egressum. Illuminet (inquam) intellectu, vt illuminantem ipsam lucem agnoscat Dei filium, illustretur, & animo, gratia nimirum illa, quæ animam fulgentem facit, & candidam. Cùm enim materna ineluſum aluo suos splendidius diffundat radios lumen istud: matrem esse laternam, plane consequitur, & eam quidem super cœlum diaphanam, vt quæ Virgo est vndique purissima, ab omni prorsus crassitudine aliena. Quidni laternam dixerim eam, cuius proprium nomen pellucidam lucis, & gestatricem, & ipsam designat genitricem? Nam Maria Hebraicè est *Illuminatrix mea*, vt sapientissimus Philo interpretatur, consequente Hieronymo nostro, & Bernardo latius prosequente. Similis est versio Chrysologi, Arnoldi Carnotensis, Petri Damiani, & Eucherij, qui Mariæ nomen *Stellam maris* interpretantur. Sed *illustratam* Epiphanius. Quidnam? quodnam Mariæ nomen? Illustratene, an illustratricis? Nam vtraque est interpretum versio, cùm illuminare, & illuminari, opposita videantur. Sed enim tanto est Maria illuminata splendore diuina illa, quam in medio sui lucem gerit, vt lucifera nominetur à Patribus Ephrem, & Cyrill. Alexandr. atque adeo laterna dici debeat, quę diuinam in se recipiens lucem, communicat alijs affluenter. Vnde ait S. Bonauentura: *Maria est illuminatrix plurimorum per exempla lucidissimæ vitæ suæ. Ipsa est, cuius vita glorioſa lucem dedit seculo. Ipsa enim est lucerna Ecclesiæ, ad hoc illuminata à Deo, vt per ipsam contra tenebras mundi illuminaretur Ecclesia.* Scribit Cassiodorus, talem à se excogitatam laternam, in qua accensa semel lux, permansit viua iugiter, quamdiu permansit illuminatum ea Monasterium, cuius ipse erat Abbas.

Maria est illuminatrix mea, stella maris illustrata, & illustrans.

Laterna, in qua permansit indeficiens lumẽ, excogitata à Cassiodoro.

Philo de nomin. Hebr. Hier. lib. de nominibus Hebraicis. Bern. ser. 4. super Missus est. Petr Chrys. serm. 146. Arnold Carnotẽs. tract. de laudibus Virginis. Petr. Dam. serm. de Epiph. Eucher. instruct. 2. Epiph ser. de laudibus Virginis. Ephr orat. de Deipara. Cyril. Alex. l. de Recta fide ad Reginas. Bonauent. in speculo B. Virg. c 3. Cassiod. li. de Inst. monachor.

Diuturnior laterna nostra, quæ tali arte disposita est, vt hoc, quod in ventre gerit lumen, vsque ad finem persistat conuentus, non parui illius Monachorum, sed Ecclesiæ vniuersæ, vt ipsamet in se cognoscit Ecclesia, quæ de Maria suauiter canit: *Cuius vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.* Hæc est, quæ portat lucem in vtero, ad illuminandum absconditum alio in vtero infantem, vt ipsius senex pater & agnouit, & cecinit, quum dixit: *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto: illuminare his, qui in*

Luc 1. 7. 8.

tenebris, & in vmbra mortis sedent. Quid est mortis vmbra, nisi peccatum? Sedentem in vtero sub vmbra hac, *illuminauit lux oriens ex alto.* Cur per Dei viscera illuminationem dicit eo fieri tempore, quo nascitur Ioannes? Nonne, si per viscera Dei fit illuminatio fieri dicetur & per matris viscera, tanquam per laternam candidissimam? Visitauit Deus quondam populum suum, vt educeret eum ex Egyptiacis tenebris, ex duro etiam, quo premebatur captiuitatis iugo, vt legimus in Exodo: *Quumque duceret eum per desertum, præcedebat eos, ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.* Hodie visitat Ioannem Deus ipse non in columna nubis, non ignis; sed in candidissima laterna, eo quod laterna hac tanto excellentior sit columnis illis, quanto interna lux, qua à Ioannis mente tenebras depellit ignorantiæ, præstat luci visibili, tenebras aëreas expellenti: quanto etiam animæ libertas, qua exit à peccato, nobilior est temporali illa Hebræorum libertate. Et quo modo poterit non exultare in vtero infans, non exultare vetula licet grauida mater, traiectis per laternam hanc diuinæ radiis lucis illius, quæ summa est in cœlis beatitudo? Est quidem obiectiua Deus beatitudo cœlestibus, vt Boetius cecinit: eò quod, sicut dixit Augustinus cùm Deus sit lux, sua vbique exhilarat præsentia: quod & Angelicus Doctor comprobauit. Neque enim separari potest lætitia, ac exultatio à diuino isto lumine, vt canebat Psaltes: *Lux orta est iusto: rectis corde lætitia.* An in Mariæ vētre lux, quæ Deus est resplendebit minus, quàm in cœlis? Rapuit Deus Paulum, vt lucem hanc intueretur in cælis, qui exultauisse non describitur: & cùm Ioannes luce hac in laternam inclusa perhibeatur exultare, nō dicetur lux hæc lux æquè ac in cælis, in vtero coruscans? Impedietne Virginum corporis crystallum exitum radijs lucis huius, quam intra se diuinitus portat ad infantem.

Exod 13.21.

Boet Prosa 10.

Augustin 10. Conf c. 26. tomo 1.

Psal 96.11.

2. Cor. 12. 2

Deus lux est, qua est obiectiua beatitudo, exultationem infundens.

Lux cum Deus ipse sit, est obiectiua beatitudo summopere exhilarans.

Nulla profecto ex parte hac potest esse fulgori resistentia. At vrget aliunde difficultas, quomodo possit lumen hoc non impediri terreo vetulæ corpore, intra cuius aluum delitescit infantulus. Maria (fatemur) laterna est, crystallina quidem, vt quæ Christifera, diuinis radijs penetrata: at anus hæc sexagenaria quo modo potest radijs his

penetrari, vt perfundatur eis incluſus in eius vtero puer? Numquid, & hæc laterna pellucida? Planè filius in eius vtero exiſtens: *Non erat ille lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine*: Ergo nec anus ipſa poteſt eſſe diaphana laterna, ſed craſſa ſenilis terræ craſſitudine. At enim, cùm Ioannes hic, licet non ſit lux ipſa, ſit nihilominus *Lucerna ardens & lucens*, vt teſtatur ipſe Dei Filius, non grauabor ego appellare ſimiliter laternam Eliſabetham, quæ talem gerit vtero lucernam. Quoniam ſicut filius eius lucens lucerna eſt ex participatione lucis filij Mariæ: ſic & anus ipſa ex participatione perſpicuitatis laternæ, quæ lucifera eſt Mariæ Virginis, facta eſt pellucida laterna. Sed quonam modo fiet diaphana, quæ prædura eſt terra vetuſtatis? Mirabile dictu. Laternam dixerim pellucidam anum iſtam, lucernæ geſtatricem. In quonam differt à craſſa pellucida laterna? niſi in eo, quod craſſa plus participat terræ: eſt inſtar Spiritus pellucida. Vtique introeunte domum Zachariæ puriſſima hac laterna Maria repleta eſt Spiritu Eliſabeth plenitudine tanta, vt plurimum exuerit terræ, carnis plurimum. *Vt audiuit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, repleta eſt Spiritu ſancto.* Repleta eſt Spiritu? Ergo à terra euacuata, ex grauata à carne: ſiquidem Spiritu accedente, conuertitur in Spiritum terra: tantúmque in quouis homine euacuatur carnis, quantum intrat Spiritus. *Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt*, ait Dominus Deus: atque adeo cùm quis repletur Spiritu, prorſus à carne euacuatur, & terra. Sunt ergo Maria, & Eliſabeth laternæ duæ pellucidiſſimæ: ſed longe ſplendidior Maria: vt quæ alteri præſtitit ſplendorem. Appoſitiſſimum eſt circa haſce laternas ingenioſum Hiſpalenſis noſtri, qui & ipſe lucerna fuit, Iſidori Epiſcopi artificium. Fecit duas quondam ille domi ſuæ laternas exſuperantis fidem artificij: in quibus ſemel accenſum lumen, nunquam deficiebat, nullo fomento, nulla deinceps nutritum manu. Ex his, poſt eius obitum, poſuerunt miniſtri in funeris tumulo alteram ad caput eius, ad pedes alteram: quæ poſt aliquot annorum centena, cùm traducendum ex Hiſpali in legionem cadauer, efferretur ex ſepulchro, in extincto repertæ ſunt lumine.

Ioan. 1. 8.

Ioan. 5. 35.

Luc. 1. 41.

Geneſ. 6. 3.

Eliſabeth laterna pellucida.

Ioannes lucerna ardēs, & lucens, facit, matrē, eius ventre portatur, eſſe laternam.

Maria ſalutatione fit Eliſabeth laterna pellucida.

Maria, & Eliſabeth ſūt laternæ duæ pellucidiſſimæ.

Iſidorus fecit laternas duas exquiſiti artificij, in quibus ſemel accenſa lux, nunquā defecit, cùm nullo foueretur alimēto.

Don Lucas de Tuy lib. de miracul. B. Isidori. Iacobus de Bora-gin. in vit. S. Isido.

Historiæ testes non pauciores sunt, quàm ad plenam fidem exigantur in iure, duo omni exceptione maiores; alter Dominus Lucas de Tuy. alter Iacobus de Boragine, Isidorianæ vitę scriptores tam noti, quàm fidi. Sunt itaque laternæ duæ; Maria Deipara, & Elisabeth Baptistæ genitrix. Hæc ad pedes posita, ad caput illa: quoniam profecto Præcursoris munus ad pedes spectat, ad quæ viam parandam Messiæ Regi, qui caput omnium est, atque adeo Maria laterna ad caput constituta. Hæc est vera fraternitatis, vera Elisabeth, & Mariæ cognatio: hæc Mariæ pietas, & charitas, quæ vbi se chrystallinam videt laternam, properat ad cognatam, vt sua illi bona impertiatur. Nulla inuidentia hic, nulla æmulatio super maiore Virginis gloria, ac claritate, sed intimis se amplexantur tripudijs, intimis gaudijs mutuò gratulantes.

Charitatis exemplum Maria visitans prægnatem Elisabetham.

Nec parua laus, quamuis nulla fortasse videatur, quod adeo iucundè, adeo intimè de alterius gloria gaudeat altera nempe de glorioſa fœcunditate. Nam quoad causam hanc, scimus & inter ipsas vterinas sorores magnã quandóque ardere inuidentiam, crebra iurgia, dum singulari Dei dono alteram fœcundari videt altera, etiamsi ipsa fœtu non careat. Non alia fuit iugis illa, atque succensa inter sorores duas filias Laban, Liam, & Rachel famosa contentio, qua se mordebant inuicem causa fœcunditatis: præsertim, cum fœcunda Lia post quatuor filiorum editiones, sterili prorsus germanæ inuiderit, quòd famulam pro se inferens ad maritum, filium ab ea famula natum ipsa Rachel haberet suum. Quod eò liuoris processit, vt suam Lia similiter famulam coniugi apposuerit suo, vt ortam inde prolem, suam haberet ipsa, vt effectu habuit, Dira sororis æmulatrix. Sed quod impensius notari precor, illud quidem est, quod propter mandragoras exortum est iurgium. Ipsa textus verba, vt scripta sunt, referam. *Egressus autem Ruben tempore messis triticeæ in agrum, reperit mandragoras, quas matri Liæ detulit. Dixitque Rachel: Da mihi partem de mandragoris filij tui. Illa respondit, parumne tibi videtur, quòd præripueris maritum mihi, nisi etiam mandragoras filij mei tuleris.*

Genes 30.1.

Maria visitans Elisabetham ardentissimæ ostendit charitatis indicium.

Æmulatio mulierũ causa fœcunditatis extraordinario Dei dono preuenientis.

Gen. 30.14.

Rachel cur tam obnixè appetierit mãdragoras.

Quod propterea dixit, quòd coniux ipsius Liæ Iacob,

Rachelem etiam duxisset vxorem, quam à principio petierat ille, quamuis duxisset vltimam: ob callidam parentis illarum fraudem, qui maiorem natu Liam intulit noctu ad incautum Iacob, Rachelem arbitratum. Nota historia est. Quapropter victitabat cum vtráque vxore Iacob, alternis diebus adhærens alteri. Dixit itaque Rachel neganti mandragoras sorori: *Dormiat tecum hac nocte Iacob pro mandragoris filij tui.* Nempe debitus mihi hodie illius torus, tuus quidem sit, ego eum mandragoris commuto. quæ paruæ puellæ? quæ distantissimæ natione mulierculæ tale quippiam attenderent? Sed scrutandum est, quantusne sit in mandragoris lepor, quæve virtus, aut sanitas, vt tam obnixè appetierit eas altera soror, negauerit altera, nec nisi pro coniuge venditas, concederet. Est mandragora oleris genus, lactucæ persimilis, tametsi radice longiore. Eius effectus varios scribunt varij. Primum, mentis soporem, somnumque profundum, vt testantur Dioscorides & Plinius: quibus eum Philostratus, & Macrobius contestantur. Basilius item ex nostris, & Alexandrinus Clemens inter alios.

Gen. 30. 15

Mandragora quid sint, & quæ earũ qualitates.

Dioscor. li. 4. c. 16. Plin. l. 25. c. 13. Philostr. de vit. Apollon l. 8. c. 3. Macrob. l. 7 Saturn c. 6. Basil hom. in Examer. pag. 138. Clem. Alex. orat ad hortatoria ad gẽtes, pag. 72. Theod. in c. 7. cantic.

Mortificatio carnis mandragoris designata.

Quare considerans hunc mandragoræ effectum Theodoretus, ad carnis mortificationem merito transfert. *Mandragoræ*, (ait) *Vis, vt medici tradunt, est soporifera. Vnde cùm præceptum sit nobis, vt mortificemus membra nostra, posuit sponsus in cantico mandragoram, dicens: Mandragoræ dederunt odorem suum: id est cœperunt homines dormire, & quasi mortui esse peccatis, & sicut illi, qui mandragoram hauserunt, corporis motionem non sentiunt.* Ex qua mandragoræ qualitate aliam consequenter prodire, receptissimum inuenio, vim nimirum amatoriam, ita, vt amatoria herba vbique habeatur. Scribunt fusè medici post Theophrastum, & Dioscoridem, imo & B. Epiphanium: præsertim Antonius Musa Ferrariensis, & Lemnius. Ideo plantula hæc appellatur Circea, ob veneficam Circem, quæ herba hac maxime vsa est. Sunt autem feraces fructuum mandragoræ, pomorum nimirum, nuci similium magnitudine, vt Plinius est auctor cum Collumella, atque Dioscoride. Et (quod notabilius) sunt inter mandragoras fœminæ, & mares, non secus ac

Amatoria herba mandragora.

Mandragora duplicis sexus.

Theophr. l. 9 historiæ plãtar c. 10. Dioscor. supr. Epiphan. in Philologo. Musa in examine corticũ pag. 310. Lemn. li de herb. bibliciscap. 2.

ex palmis mares agnoscimus, & fœminas. Quod cum Dioscorides affirmet, addit ibidem fœminas esse nigras, mares candidos. Idem Angelomus. Quod approbans B. Ambrosius, adiicit, fœminas has graueolentes esse: quo suauis fragrantiæ subindicat mares. Imo fragrantissimos dicit Cyprianus: sicut & suauissima esu dicit poma historicus Iosephus. Quibus attentis, iudicat Augustinus, illud sponsi Canticum: *Mandragoræ dederunt odorem*, ad bonam referri famam, quippe quæ bonus odor est, ac iucundissimus, vt docet Apostolus, dum ait: *Odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco.* Alij amatoria mandragoræ vi raptam iudicant sponsam, cum sic canit: *Veni, dilecte mi, videamus, si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, ibi dabo tibi vbera mea. Mandragoræ dederunt odorem.* Est enim fortior mandragoris amor, diuinus præsertim ad soporandam penitus sponsam animam, extrahendámque prorsus à sensu, ac sensatione, in Deum funditus absorptam multò profundius, ac intimius, quàm absorbeatur à sensibus ille, qui mandragoræ succum epotauit. Hanc enim ecstasim, hunc raptum in diuino hoc agnouerunt amore B. Basilius & Ambrosius iuxta id, quod dixerat Dionysius: *Est autem mentis secessum, ecstasimque faciens diuinus amor.* Nec remisse fulcitur expositio hæc proprio Hebræi nominis vigore, nempe *Dudaim*, quod mandragoras vertit Latinus Interpres, sicut & Kaldæus Paraphrastes. Nam nomen Dudaim oritur à radice Dod, siue Dodim, quæ est vox significans amorem. Hinc verum tamen, atque ex aliis necnon tum experimentis, tum rationibus inferunt nonnulli, vim quàndam fœtificam, siue prolificam, in mandragoris vigere, qua steriles fœminæ mirè fœcundantur. In quo nimis prolapsi sunt aliqui, inter quos Pythagoras, Columella, Dauid Kimhi, Abenezra, & nonnulli ex Latinis, omnimodam humanorum corporum, & repræsentationem, & distinctionem mandragoris adscribentes, ita vt illarum fœminæ fœmineum habeant & omnino aspectum, & in generatione conceptum, mares illarum virorum more generantes, nil à viris differant aspectu.

Nimia sunt hæc, nec tanta potest mandragoris concedi cum hominibus paritas. Imo sunt, qui dicant, humanam

Plin. l. 25. c. 13. Columell. l. 10. de rustica in princ. Dioscor. l. 4. c. 79. Idem l. 4. c. 79. & li. 6. c. 16. Angelomus cant. 7. Ambr. in Psa. 118. ser. 19. Cyprian. in præf. lib. de Cardinalib. Christi operibus. Ioseph. li. 1. antiq. c. 27. Aug. l. 22. cõtr. Faust. c. 56.

Fama designatur odore mandragoræ.

Mãdragoræ odor fama bona.

Amor in Deũ designatur potu mandragoratũ.

Mãdragoræ designatur vehemens in Deum amor & ecstasis.

2. Cor. 2 14.

Cant. 7. 12.

Amor in Deum abstrahit animam à sensibus.

Basil. in regulis fusius disp. interroga. 2 pag. 390. Ambr. in Ps. 118. ser. 2 Dion. de diuin. nomin. c. 4 par. 1. Hebr. in Cant. 7. Kaldæus ibi. Pythag apud Dioscor. l. 4 c. 79. Columel. l. 10. de hort. 19.

Fœcunditas à mãdragoris.

Mãdragoræ præstant fœcunditatem sterilibus fœminis.

mandragorarum effigiem ab impostoribus perfectius cõ- Kimhi in c. 7. Cantic. Abenezra, ibid.
summan, qui ex cannarũ radicibus humana sculpunt simulachra, tum virilia, tum mascula, sculptáque plantant subtus terram, vt humana specie ex terra nasci videantur. Mãdragoris est, & figura mascula, & fœminea. Eò, vel maxime, quòd plantatis sic radiculæ quædam adnascuntur, quæ referunt barbam, & capillos, vt planè viri videantur, & fœminæ. Quod figmentum latè exploratum meritò reiiciunt Manthiolus, Roüillius, & prædicti illi Antonius Musa, & Lemnius medicus, fassi nihilominus nonnullam esse impostoribus ansam ad illusionem hanc: naturalem videlicet radicis formam, quæ, si masculæ mandragoræ sit, biffida est, & in humanæ coxendicis formam bifurcata, crura hominis referens duo, ad hæc, & pilosa, vt fallere primo possit intuitu. quod quis negabit, cum & testẽ se exhibeat Cassio. Phylo. Carpar. Honor. Aponius, & Rupert. quamuis autem ob humanam hanc similitudinem, nullam mandragoris fœcunditatem concedamus, non tamen ideo reiicienda fœtifica illa, seu prolifica virtus, quæ aliunde satius comprobatur.

Rouill. l. 17. hist. plãt. c. 7. Anton Musa vbi supr. Leuinus Lemni⁹ loco citato. Cassiod. in c. 7. Cantic. Phylo. Carpar. ibi Honor ibi. Pythagor. apud Dioscor. l. 4. cap. 79. Columel. l. 10 de Horto.

Nec inde quidem solum, quòd & Pythagoras eam, & Columella asseuerauit, sed quòd prædictus Leuinus Lemnius post diligentissimam inquisitionem, huiusmodi fœtificam virtutem vigere in mandragoris explorarit. quid, quod & Rupertus attestatur: reddantque alij congruam valde rationem sumptam ex Auicena, & Aristotele, cum experimento coniunctam? Quo supposito, difficulter retundi posse videtur, fœtifica hac mandragorarum virtute, & incitatam Rachel, vt tam obnixè efflagitaret à sorore mandragoras, & eis quidem fœcundatam ad conceptum illum, ex quo optatum peperit Iosephum. Quod & vt Augustinus fateretur, parum quidem abfuit, cum dicat planè ipse, minime se videre, qua potuerit causa tantopere insistere Rachel, vt à sorore acciperet mandragoras, præter vnam hanc fœcunditatem, quam fateri ex eo non est omnino ausus, quod Rachelis fœcunditas non quidem statim acceptis mandragoris, sed post longius euenerit tempus. Sed enim cum post tempora Augustini graues id Philosophi explorarint, fautorem planè habemus & illum: quoniam prolifica hæc mandragorarum virtus

Leuinus Lemn. li. de herbis biblicis. c. 2. Rupert. lib. penul. in Cãt. in fine. Arist. l. 2 de generat. animal. Auicen. l. 2. de Labro. Aug. lib. 22. cõtr. Faust. cap 56.

consistit in eo, vt paulatim purificet sanguinem, fœminamque confortet, purgans omnia generationis obstacula. Nec possumus tot scriptoribus testibus non plenam fidem adhibere. Cum ergo tanta inter sorores super fœcunditate fuerit æmulatio, atque contentio, vt vel circundata filiis negauerit soror sorori mandragoras, quibus extraordinario adminiculo posset fœcundari: non parum elucet Mariæ charitas, ac pietas, quæ continuo fœcundata mandragoris prosilijt festina, illas impertitura cognatæ: nec non Elisabethæ pietas coruscat, quæ tantopere sit miraculosa Virginis fœcunditate gauisa. Properauit sanè Virgo cœlitus prægnans impertiri sterili cognatæ eas, quibus ipsa erat fœcundata, mandragoras; quas & munifico impertiuit effectu. Quænam sunt istæc Virginis mandragoræ? Nam aliquæ absque dubio mandragoræ sunt. Cum enim ab Angelo prænuntiaretur paritura, respondit: *Quomodo fiet istud?* Luc. 1.34. *quoniam virum non cognosco.* Quonam modo, Gabriel? quanam arte? Nunquid est aliqua mandragorarum species, qua, remoto virili complexu, possit Virgo concipere, & parere Virgo, semper Virgo permanens? Est quidem, ô Virgo, dixit Gabriel. Sunt vtique ad hoc diuinæ mandragoræ, tibi soli à Deo præparatæ. Diuinæ sunt, non naturales: imo supernaturales penitus mandragoræ. Ecce mandragoras, Maria. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus* Luc. 1.35. *Altissimi obumbrabit tibi.* Istę sunt, ô Virgo, mandragoræ tuæ: Spiritus sanctus, & Altissimi virtus. His nobilissima fœcundaueris arte, nullo penitus viro interueniente. Non sunt vtique istæ sicut mandragorę Rachelis, quæ ad complexum virilem sunt additæ: sed spiritales penitus mandragorę, quæ nullo interueniente viro, faciant, te fœtificare. Si enim mortificationem carnis, ac continentiam designãt mandragorę: tu quidem, ô Domina, mandragoris his eris conceptu purior, & partu, quàm ipsamet, si fieri potest, aliena à partu Virginitate. Quod si in ecstasim eleuant mandragoræ nimio amoris sopore, & abstractione: nullus intensior amore illo, quo te diuinus amplexatur Spiritus, quoniam *inuenisti gratiam apud Deum, Ecce concipies.* Hæ sunt Luc. 1.30. mandragoræ Mariæ. Sed quid facit illa, mandragoris istis fœcundata?

Mandragora symbolũ sancti Spiritus, Mariam fœcundantis absq; viro.

Maria mandragoris sãcti Spiritus fœcundata.

Spiritus sanctus fœcundans Virginẽ designatur mãdragorũ.

Ascendit

Ascendit in montana cum festinatione, vt eas cognatæ impertiatur. Quid enim dicit narrationis Scriptura? *Vt audiit salutationem Mariæ Elizabeth repleta est Spiritu sancto.* Ecce Maria voce sua replet sancto Spiritu cognatam. Ecce suas ei sponte communicat mandragoras. Quænam sunt illæ, quibus Maria fœcundatur, mandragoræ? Nonne sanctus Spiritus? Ecce sua hunc voce communicat cognatæ. Repleta est Elizabeth Spiritu sancto voce Mariæ salutationis. O pietas summa, vera charitas! Non soli sibi vendicat Virgo extraordinariam hanc factam in suo vtero virtute diuina generationem; sed participem quadamtenus fecit cognatam. Non quod mandragoræ, quæ sanctus sunt Spiritus, ad factam in ventre Elizabeth conceptionem pueri concurrerint, sicut superuenerunt in Mariam, cum Elizabethæ, & conceptus, & partus naturalis fuerit omnino, coniugeanum fœcundante; tametsi miraculosa Dei virtute coniugum vires supplente seniorum; sed quòd Sanctus ipse, qui vtero Virginis generationem humanã Christi operatus est Spiritus, spiritalem Ioannis in vtero senis regenerationem effecerit. Filius enim Dei genitus est primo à Patre Deo in eiusdem diuini Patris vtero generatione spiritali, qua & Spiritus est filius Dei ipse: deinde fuit genitus carnis generatione in Virginis vtero Spiritus sancti operatione præcellenti. Quare generatione primæua natus est purus Spiritus à Patre; natus generatione secunda, qua secundum carnem natus est operatione sancti Spiritus. Ioannes autem cum carnali primitus generatione fuisset genitus: spiritali deinde regeneratione fuit renatus, quæ propria est diuini Spiritus operatio, dicente Christo ipso: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Qua regeneratione renatus est Ioannes in vtero matris infuso Mariæ salutatione Spiritu sancto, supplente aquæ vicem suauissimo Virginis eloquio. Tunc, etenim Ioannes renatus est, seu regeneratus sancti Spiritus infusione, gratiáque diuina, qua & peccatum originis deletum. Hæc est Mariæ pietas, hæc dulcedo, hæc suauitas, hęc charitas. Hæc filij Mariæ magnanimitas, munificentia, liberalitas, bonitas. Hæc gestantis verum in vtero Deum Virginis matris visitatio.

Luc. 1. 41.

Ioan. 3.

Ioannes Baptista sanctificatus in vtero.

Gloriosus maximis quibusque fuit vbique mos Regibus, omnia, per quæ transeunt, etiam obiter, loca magnificis replere muneribus, & eorum incolas maioribus. Talis fuit laudatissimus ille Octauianus Imperator, Augustus cognomine, qui nullam hominum ætatem, nullum sexum suis vacuum muneribus præterijt, quacumque præterijsse describitur, vt cum alijs narrat Suetonius. quid faciat Augustissimus Rex Regum, quacunque præterit, & transit? *Deus cum egredereris inconspectu populi tui, cum pertransires in deserto: cæli distillauerunt à facie Dei Israel.* Omnes apices isti sunt notatu dignissimi. Munera Dei hæc per transcennam impenduntur: *Cum pertransires.* Dantur in deserto, non in vrbe: *Cum pertransires in deserto, cæli distillauerunt à facie Dei,* non dicitur stillare Deus ipse, sed ad transitum eius ministros eius cœlos distillare, dicit textus. Quid non distillant cæli à facie Domini? stillarunt manna, & coturnices etiam stillauerunt: rupes distillabant aquam, & oleum saxa, cautes mella. Quid distillare dixerim? Imo exierunt aquæ largissimæ: *Et de petra melle saturauit eos.* Hæc, cùm pertransiret Dominus Deus: quidnam erit, quum non pertransiens visitat? quid cùm intrat ipse non desertum, sed fertilissima montana? Quum non Castra infidorum, sed domum Sacerdotis Zachariæ, Sanctæ Elizabeth illustre, ac venerandum habitaculum? Quum non aërei cæli à facie Dei perdensas nubes distillant aquam, oleum, mella, sed Empyreum cælum, Maria scilicet, Deum proprius, ac nobilius, quàm cælum Angelorum in se habens ore suo distillat id suauitatis, id exultationis, id dulcedinis, vt sancto cognatam repleat Spiritu, repleat & clausum in ea infantem, faciatque eum intra vterum ipsum exultare. Quam graphicè dicit Regius vates, ô Virgo diuina: *Diffusa est gratia in labijs tuis?* Ecce ex labiis tuis sanctificans stillatur hodie gratia, clausum in vētre sanctificans puerum, matrique addens gratiam sanctitatis. Quidni per os tuum plura, ac nobiliora, quàm per cælos omnes stillet creator, cum in te sit inclusus, non in cælis: siquidem quem cæli capere non possunt, tuo gremio contulisti. *Virgo Dei genitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo.* Ecce B. Virgo, cæli distillauerunt à facie Dei, labia tua non distillant, sed replent: quo-

Reges munificos se exhibent in omnibus locis per qua trãseunt.

Augustus Cæsar valde liberalis.

Deus summè munificum se exhibet in omnibus locis, per qua transit.

Maria quot, & quanta in visitatam à se Elisabeth contuleris dona.

Suet. Trãq. in vit Octauian. ca 41.

Psal. 67.8.

Exod 16.14 Num 11.31. Exod 17 6. Num.20.11. Deut.32.13. Psal 80.17.

Psal.44.3.

niam in labijs tuis non ſtillatur gratia, ſed diffunditur: *Diffuſa eſt gratia in labijs tuis. Ecce enim vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo*, ait Eliſabetha Ecce à voce Mariæ, à lingua Mariæ, à labiis Mariæ ille effũditur lepos, qui cõcitet infantẽ ad ſaltandũ: illud mel, quod dulcificet nondum ex vtero egreſſum: illa purificationis aqua, quæ abluat eum à peccati macula, baptiſmi ſupplens ablutionem. O dulciſſima labia! ô labia melliflua! ô gratioſa! ô puriſſima! Loquere, loquere, Maria: loquere nobis, vt audiamus te, ſicut ad cognatam es loquuta. Loquere, Virgo ſuauiſſima: ſonet in noſtris auribus vox tua: tua ſuper nos labia aperiantur. Si loquaris ad nos, ſi ſonuerit vox tua in auribus noſtris, exultabimus & nos, memores labiorum tuorum: venietque à filio vteri tui per labia tua dulcis in nos dulcedinis fluuius, qui purificet nos, atque refrigeret. Luc. 1. 44.

Deus vberiora præſtitit hominibus humanatus iam, quam ante aſſumptam carnẽ præſtitiſſet.

Grandi vſus eſt Deus munificentia, quacunque ante aſſumptam carnem, pertranſibat, maiori longè in aſſumpta iam carne, cùm appareret corporaliter: ſed ſuprema tunc, quum in matris vtero latus, fęlices viſitabat ędes. Tantóq; vberiori intra vterum latens communicabatur influentia, quantò maiori ex vtero egreſſus, quàm, quum nondum venerat humanus. Et verò longè Regalior liberalitas fuit, qua humanatus iam vtebatur in homines, quàm nondum humanati liberalitas. Quod in actibus expreſſit Lucas, dicens: *Pertranſiit benefaciendo.* Quacumque tranſibat, benefaciebat benigniſſimus Dominus: quanto magis, quum quempiam viſitabat? Tranſit per gentem alienigenam, nempe Geraſenorum, Vbi *Occurrerunt ei duo habentes Dæmonia de monumentis exeuntes, ſeui nimis, ita vt nemo poſſet tranſire per viam illam*: quos ſtatim prorſus liberauit, donans eis plenam à tam nefandis heris libertatem. Tranſit per viam vrbis Capharnaum, tendens domum Principis filię eius defunctæ vitam donaturus, & in illo obiter tranſitu, donat ſalutem fœminæ, *quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis*: *Et ſalua facta eſt mulier ex illa hora.* Tranſit continenter ex domo Principis filia eius vitæ reſtituta, *Et tranſeunte Ieſu, ſecuti ſunt eũ duo cæci. Tunc tetigit oculos eorũ, & aperti ſũt.* Quib. vix egreſſis, obtulerunt ei hominẽ mutũ, dęmonium

Chriſti munera altiora eis quæ ante incarnationẽ ſunt hominibus data.

Chriſtus quacunq; tranſibat, magna bona præſtabat hominibus.

Act 10.38.

Matt. 8. 28.

Matt 9. 22.

Matt. 9. 27.

Matt. 9. 33.

habentem, *Et eiecto Dæmonio locutus est mutus.* Transit iuxta piscinam, vbi aspiciens hominem per annos triginta octo paralyticum, donat integram ei cũ animæ salute sanitatem: *Et statim saluus factus est homo ille, & sustulit grabatum suum, & ambulabat.* Transit per agrum, & purificat leprosum, obiter repertum, Transit per portã ciuitatis Naïm per quam efferri videns iuuenem defunctum, donans ei vitam, *Dedit illum matri suæ.* Transit per littus maris: & repertos ibi magno numero ægrotos, varijs langoribus afflictos, dimittit sanos omnes, & ouantes. Transit continuò à littore in vrbem: & repertum in via cœcum, surdum, ac mutum, ad hęc & furentem energumenum: *Curauit eum, itaut loqueretur, & videret.* Transit mare, Galilææ, & vidēs in cāpestribus quinque millia hominum assectas eius cum familijs suis, saturauit omnes, cum destitutus cibis esset locus. Quod & iterum similiter fecit: *Erant autem, qui manducauerant quasi quatuor millia.* Transit *inter medios fines Decapoleos*, & apprehendens de turba surdum, & mutum hominem, subito dedit ei linguæ, & auditus solutionem. Transit per medias alibi turbas, & videns possessum à Dæmonio iuuenem lunaticum, eiecit Dæmonium, *Et curatus est puer ex illa hora.* Transit iuxta hominem ab ortu priuatum visu: *Prætereins Iesus vidit hominem cœcum à natiuitate*, & dedit ei perspicuam oculorum claritatem. Quod iterum, atque iterum fecit erga alios in transitu ad vrbem Iericho, & in subsequente ab eadem vrbe regressu. Quæ si, dum transit, adeo grandia pręstat, quidnam faciet in domibus, quas intrat ex proposito? Intrat nuptiarum domum in Cana Galilææ, & confuso ob vini defectum patri familias, præstat, & cum eo conuiuis omnibus plenas vino hydrias sex, in quod conuertit aquam, atque adeo mœrorem in lætitiam. Intrat synagogam, & extrudit ab homine Dæmonium. Intrat domum Petri, & repertam ibi febricitantem socrum eius, subito restituit sanitati. Intrat mare in nauicula: quam cum obrutam pene fluctibus videret, sedans à ventis pelagum, homines, & nauim liberauit. Intrat domum campestrem, ad prædicandum, & docendum: *Et erant Pharisæi sedentes & legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ, & Iudææ, & Ierusalem, & virtus Domini erat ad sanandum eos.* Obla-

Ioan. 5. 9. Matt. 8. 1. Luc. 7. 15. Marci 3. 1. Matt. 12. 22 Ioan. 6. 12. Marci 8. 9. Marci 7. 31. Matt. 17. 17 Ioan. 9. 1. Luc. 18. 35. Matt. 20. 30 Ioan 2. 1. Marci 1. 25. Matt. 8. 14. Matt. 8. 23. Luc. 5. 17.

tumque in lecto paralyticum,& à peccatis soluit, & à mórbo. Intrat domum aliam in finibus Tyri,& Sydonis, & liberat ibi vexatam à Dęmonio filiam Chananææ. Intrat quoddam castellum,& mundat decem viros leprosos. Intrat domum Principis manducare panem, & rependit pro pane integram hydropico sanitatem. Intrat Mariæ domũ, ac Marthæ: & quatriduanum Fratrem Lazarum ab interitu ad vitam,ad auras reuocat ex sepulchro. Cum ergo magis munificum se exhibeat Deus apparens in carne, quàm ante assumptam humanitatem, consequenter docet, vt summè se exhibeat magnificum,quum in virgineo diuinæ genitricis aduenit vtero ad lætissimam hanc visitationem? Ad hanc, in qua non per transennam, nec per vnius tantum diei spatium, sed per menses tres assistit ex professo. Muto Zachariæ præstat loquendi facultatem: vxorem replet sancto Spiritu: fœcundat sterilem vtrumque, cum eò genuerint Ioannem, vt Marię filius veniat eligere eum Præcursorem. Sanctificat ex vtero in vtero infantem, & totam gaudio replet domum.

Marc.7.25. Luc.17.21. Luc.14.4. Ioan.11.44.

Visitantes vrbem aliquam, aut domum Principes, aut Dynastæ,tantò regaliora præstant ciuibus dona,aut inquilinis,quantò maiorem afferunt apparatum. Sed tunc summa, quum triumphali curru ingrediuntur. Quænam dabit Deus in domo Zacharię, quam visitare triumphali vectus curru ingreditur, curru plusquam triumphali, aureæ puritatis claustro genitricis?

Visitationes fœminarum quibus conuersationib⁹ honestentur.

Sed(quod notandum magis)replet domum Spiritu, replet & habitantes,corda,opera, affectus, voces,& eloquia. Extremum hoc potissima est visitationum approbatio. Ex his enim,quæ ad vitam piè,ac iustè ordinandam debẽt impensè perpendi,illud cumprimis est, quod ad modestas visitationum conuersationes spectãt, præsertim fœminarum. Magni profecto momenti tractatus, apta,in qua multum emolumenti,iactura magna esse solet,occasio. Heu tempora? Video,pro dolor, fœminas non paucas pluribus visitatione vna maculis infici,quàm mẽse toto familiaribus conuersantes. Intrat Maria domum Elisabeth,& primo verbo replet eam Spiritu: *Vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, repleta est Spiritu sancto.* Vereor ne tu, Domina, cum amicam

Cõuersationes quales esse debeãt in visitationib⁹ mutuis fœminarum.

Luc.1.41.

visitas voce tua carne repleas eam. Intras aulam eius; amplecteris, tangis, oscularis, dicis ei, ô quàm pulchra es, ô quam es elegans? Quam curiosa indumenta? quam speciosa facies? quàm compti, & aurei capilli? Hocque ad salutationem. Deinde pergit conuersatio, in aliquibus carnalis tota, quoniã verba prophana omnia: in aliis carnalia, quoniam parum pudica, quia impudica in aliis non paucis. Sed & in multis tota turpissimorum, tota graueolentium conuersatio verborum. *Vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, repleta est Spiritu sancto:* Vt audiuit vocem tuam fœmina, quam visitas, carne repleta est. quoniam profecto, sicut plena Spiritus verba Spiritu replent auditores, ita replẽt carne verba carnalia; cõcitantque ad carnalia opera carnem, carnalésque cogitationes infundunt. quidnam est impudicus fœminarum luxus, nisi graueolens carnarium? Scisne, quid mali facias, cùm turpe aliquod, minusve decens in visitationibus verbum ex ore tuo prodire permittis? Ducem te facis perditarum: imo dux perditionis: quæ Spiritu plenas euacuas spiritu, reples carne. Quæ compositas fœminas igne incendis libidinis; igne, post libidinem, inferni. Heu miseram te! Heu carnalem! Heu fœtidam! Quantus te expectat inter Tartaros ignis! Flammifera labia: quæ vrentem ignem in adstantes infundunt. *Quisquis lasciua inter viuentes in carne profert verba: is quidem scintillas proijcit libidinis*, ait S. Antiochus. Non dissimiliter S. Basilius. *Procul sit à conuersationibus vestris, quodcumque verbum Spiritum distrahit.* Quantò magis, quod non solum distrahit Spiritum, sed etiam replet Spiritum carne. *Vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius: & repleta est Spiritu sancto.* Quid expectari potest ab indecoris salutationibus, verbis impudicis, nisi vt ex carne repleant circunstantes, & faciant saltare, ac ebullire non infantes in vteris, sed vteros ipsos concupiscentiæ motionibus multis? Frequentius Mariæ vbique eloquium erat, *Deo gratias*, vt scribit Bonauentura. Satis profecto indicant, quales fuerint conuersationes eius, sanctissima, ac Spiritu plena verba hæc, quæ purissimis hodie profert labiis, dicens: *Magnificat anima mea Dominum*, & cætera; quæ quoties lego, aut repeto (repeto autẽ crebrius, quàm alia quæuis) inter cælestes cho-

Eloquia casta quantum in visitationibus exigãtur.

Maria eloquia replent Spiritu auditores.

Eloquia impura maxime noxia.

Cõuersationibus indecoris cõcitatur ad turpia caro circunstantium.

Antioch. homil. 18 in Append. Bibliothec. Basil. in instit. Monachor. ser. 2.

Bonauent. in vit. Chri. c. 3.

ros videor mihi me dulciter assistere. Prædicatorem gentium audiamus: *Implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in Psalmis, & Hymnis Spiritalibus cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi Deo Patri.* Ecce Maria Spiritu sancto impletur, & implet. Implet Elizabetham impleta ipsa, loquens in Psalmo, in Hymno, in Cantico, Cantico Spiritali, Psalmo Psalmorum, Hymno Hymnorum, Cantico Canticorum: hoc est, *Magnificat*, & cætera. Psallunt, & cantant cognatæ istæ in cordibus Domino; nam Elizabethæ, & viscera, & fœtus viscerum exultant, Maria canit: *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Gratias agentes Deo semper in omnibus: Ecce gratias agit Elisabeth, dicens: *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me.* Maria dicit semper, *Deo gratias*, & vbique. Hæc est debitæ forma conuersationis, quam honoratæ fœminæ, imo & Christianæ omnes debent in visitationibus suis ante oculos habere. Ephes. 5. 18.

Visitationes fœminarum magna circumspectione tam adeúdæ, quã admittendæ.

Vnde patet, quàm cautæ esse debeant fœminę honestæ in dispiciendo, quasnam fæminas visitent, quasnam domi admittant visitantes. Est enim re vera periculum magnum effundendi Spiritum, euacuandi & honorem, vertendi in dissolutionem honestatem. quid quòd & pudicæ fœminæ solent ab impuris tam visitatis, quàm visitantibus ad turpes cum viris lapsus cõcitari? quid, quòd & peruerti? quid, quòd in alienis domibus inuadi, quæ ne cogitatu quidem deliquerant in propriis? Quapropter non solum ipsis piis mulieribus, sed maritis etiam, & parentibus incumbit cura circunspiciendi, quas introeant ædes, quas in ædibus fœminas admittant, cum laquei multi, quos fœminæ non vident, maritis, & patribus soleant esse suspecti. In quod propositum ait prudenter S. Cyprian. *Liberanda est vigilanter de periculosis locis nauis, ne inter scopulos, & saxa frangatur. Exuenda est velociter de incendio sarcina, prius quam flammis superuenientibus concremetur. Nemo diu tutus est, periculo proximus.* Dicet mihi fortassis fœminæ pater, aut maritus: est puritate Angelus filia hæc, aut vxor mea: atque adeo penitus secura. At dixerim ego, ne Angelum quidem, si in carne est securum esse ab inuasione. Angeli cœli erant

Cypr. lib. 1. epistolarum epist. 11. quę est ad Pomponium.

duo illi, qui domum Lot introierunt in Sodomis, & nihilominus, quoniam illi erant specie carnali, & ciuitas erat, Sodomorum tentati ab illis sunt ad turpiorem stupro fœditatem, nefandum scilicet delictum. Ne parùm obnixè, ac importunè: Sed *viri ciuitatis vallauerunt domum, à puero vsque ad senem omnis populus simul, dixeruntque ad Lot: educ eos huc, vt cognoscamus eos.* Qui adeo instanter constrictus est, vt dixerit: *Nolite (quæso) fratres mei malum hoc facere, habeo duas filias, quæ nec dum cognouerunt virum: educam eas ad vos; & abutimini eis: dummodo viris istis nihil mali faciatis. At illi dixerunt: te ergo ipsum magis, quam hos affligemus: vimque faciebant Lot vehementissimè.* Quod si verè Angelos, apparenter carnales, carnalium locum iusta ingressos causa, tam vehementer inuadunt carnales: quantò magis eas fœminas, quę natura carnales sunt, specie Angeli? Sunt illæ quidem Angeli, vt inuadantur: non Angeli, vt vincant inuasores. Prior est Angelis Maria, & tamen Sanctas dumtaxat ingreditur domos. Epiloga.

Genes. 19.4

IN EADEM

IN EADEM VISITATIONE B. VIRGINIS MARIAE.

SERMO II.

Repleta est Spiritu sancto Elizabeth, & exclamauit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Luc. 1. 41.

SAlutata ab Angelo B. V. Dei genitrix, conceptóque in visceribus suis Dei filio, properauit continuo visitare Elisabetham cognatam suam, quam senili ætate filium concepisse audiuit ab eodem Gabriele, qui anum istam sexagenariam concepisse filium dixit ad Virginem, in testimonium, quòd posset ipsa filium Virgo concipere, concurrente Deo, cuius virtute conceperat anus ex sene marito Zacharia. Cum ergo ingressa prægnans Virgo Elisabethæ cubiculum, illam benigne salutaret: *Repleta est Spiritu sancto Elisabeth, & exclamauit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Nec sola anus genitrix, sed & filius in eius vtero clausus, clausum in ventre Virginis cognoscens filium, & adorans, sancto similiter repletus Spiritu, in vtero ipso ouans exultauit. Suauissima sunt atque sanctissima, quæ in visitatione hac prægnantes duæ istæ locutæ sunt verba: præsertim celeberrimum illud Mariæ canticum, *Magnificat anima mea Dominum*: sed pro concione hac, propositi sola

thematis verba, remissis ad conciones alias reliquis, elegimus. quod eò facio libentius, quòd verba hæc salutandæ Mariæ sunt propria. Postquam enim salutauit Angelus Mariam tribus illis celeberrimis verbis, *Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*, salutauit eandem Elisabetha vltimo ipso Angelicæ salutationis verbo, dicens ei: *Benedicta tu in mulieribus*, addensque consequenter, *& benedictus fructus ventris tui.* His & nos salutabimus Mariam, sed quonam Spiritu? Nam *Repleta Spiritu sancto Elisabeth, exclamauit voce magna, benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* qua nos (rogo) arte eodem sancto replebimur Spiritu, vt in eandem salutationem prorumpamus? Visitet nos Maria: *Nam vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, repleta est Spiritu sancto, & exclamauit voce magna.* At quid faciemus, vt nos visitet? salutabimusne eam, vt ad nos adueniat visitatrix: an visitauit nos illa, vt visitantem salutemus? Etenim prius visitauit Maria Elisabetham, quàm salutaretur ab ea. Quid faciendum? Memento te, salutationem Mariæ factam ab Angelo ante visitationem hodiernam, sed ab Elisabetha factam Mariæ in ipsa visitatione, postquam introisset Dei genitrix. Nos igitur ipsum imitati, vt à Maria visitemur, eique verba dicamus Elisabethæ, repleti, sicut illa sancto Spiritu, salutemus eam illis quàm primùm verbis, quibus eam salutauit Angelus, dicentes:

AVE MARIA.

Elisabeth gratulatur Mariæ verbis, quibus victrici Iahel Debbora fuerat gratulata.

FVerunt eodem tempore illustrissimæ in Dei populo fœminæ duæ, Debbora, & Iahel, cùm populi regimen esset apud iudices. Ex his Prophetis erat prima: altera victrix glorioſissima vniuersarum hostilium copiarum: cui viriliter triumphanti gratulata est Prophetis his eisdem verbis, quibus Elisabeth Mariam salutauit. Historia hæc serie ista refertur 4. Iudicum capite. Addiderunt filij Israel facere malum in conspectu Domini, & tradidit illos Dominus in manus Iabin Regis Chanaan, clamaueruntque filij Israel ad Dominum. Erat autem Debbora Prophetis vxor Lapidoth, quæ iudicabat populum, & sedebat sub palma. Quæ misit, & vocauit Barac filium Abinoen, dixitque ad eum, præcepit tibi Dominus Deus: Vade, educ exercitum in montem Thabor. Nunciatumque est Siſaræ, Principi exercitus Chanaan, quòd ascendisset Barac in montem Thabor, & congregauit nongentos falcatos currus, & omnem exercitum de Horoseth ad torrentem Cison. Descendit itaque Barac de monte Thabor, & decem millia pugnatorum cum eo: ad quorum præsentiam perterruit Deus Siſarem, & omnes currus eius, omnemque in ore gladij multitudinem, in tantum, vt Siſara de curru desiliens, pedibus fugeret, persequente Barac aduersam multitudinem vsque ad internecionem, ac prætlariſſimam victoriam. Sed clarior, quàm adepta est mulier Iahel, vt quæ fugientem peruicit ducem. Cum enim ille perditus, & anhelus perueniens ad tentorium Iahelis vxoris Haber, diceret ad eam: Da mihi, obsecro paululũ aquæ, quia sitio valde: Aperuit illa vtrẽ lactis, deditque ei bibere, donec somno videret sepultum, & sopore. Quem sic in suis manibus videns, assumptum cum malleo clauum posuit supra tempus capitis eius, malleoque fortiter affigens, caput ad vsque perforauit, confixum terræ clauo illo. Incredibile; sed melius dixerim credibile, quanta in illo die Israeliticæ gentis fuerit hilaritas, quanta exultatio, quantum gaudium, incipientibus canticum Debbora simul & Barac, quod vniuersa pariter fuit prosecuta multitudo.

Maria victrix Satanæ gloriosè proclamata.

Maria plenè benedicta.

Ex huius cantici versiculis suauissimus quidem iste fuit, quo gratulata Debbora Iaheli, debitam gloriam decantauit, dicens: *Benedicta inter mulieres Iahel: & benedicatur in tabernaculo suo. Aquam petenti lac dedit: & in phiala Principum obtulit butyrum.* Videó fœminas hodie similiter duas prædictis his non parum similes, nec non similia gratulationis verba. Prophetissa mulier est Elizabeth, Zachariæ vxor, quæ degit sub palma, in montanis scilicet lignorum. Nec extra propositum sub palma degere dixerim venerandam hanc anum; quam in senecta fructum ferre lego. Id enim proprium palmæ est, vt noua minimè fructificet, vetus valde fructificet, quod Elizabethæ contigisse scimus, quæ magnum vetula genuit Præcursorem. Nec parùm illustris fœminæ prophetia: sed qua Dei Verbum carnem Virgineo in vtero factum diuinitus agnouit, dum dixit: *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Quod vt Virgini diceret, *repleta est Spiritu sancto. Elizabeth* (inquit Orig.) *Spiritu sancto plena prophetauit ea, quæ in Euangelio scripta sunt.* Quod idem asserit Ambrosius. Victrix autem fœmina Maria est, lacte victrix & clauo, tametsi in diuersos applicitis vsus: lactè nimirum indulcissimum filij sui nutrimentum, in promissum hostis interitum clauo. Dedit vtique lac diuino duci, infernorum hostium victori, quorum ducem Luciferum peruicit prægnans Virgo, caput eius perfringens, in complementum Dominicæ illius pollicitationis, qua dixerat ad serpentem: *Ipsa conteret caput tuum.* Huic ergo fœminæ victrici cantat hodie victoriam prophetis ista Elisabetha eisdem, quibus cecinerat Iaheli Debbora verbis: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Acclamatio hæc duas continet partes: quarum prior est eadem in Debboræ labijs, & in ore Elisabethæ, nempè: *Benedicta tu inter mulieres*: pars extrema non eadem, sed alia in ore huius, alia in illius labiis. Dixit etenim Debbora: *Aquã petenti lac dedit*: Elisabeth autem: *benedictus fructus ventris tui.* Itaque prima illa triumphatrix pro exhibito benedicitur lacte: victrix hæc nostra pro concepto, nondum lactato, Principe victore. Sanè pro vtróque acclamatur Maria benedicta: pro concepto filio benedicta nunciatur his cognatæ verbis, pro lactato post partum, verbis alterius fœ-

Iudith. 5. 24

Elizabeth concipiens anus, palma comparata.

Orig. hom. 9. in Luc.

Ambr. lib. 2. in Lucam.

Genes. 3. 15.

Luc. 11. 27.

minæ clamantis: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Sed maximum est, atque mirabile, quòd nondum lacte exhibito, nec egresso ex vtero duce victore, benedicta acclametur genitrix, latensque ipse in vtero accinatur benedictus. In solũ benedictio hæc potuit conuenire Deum, Deique genitricem. Quoniam victores alij, quantiscumque copijs constipati, de futura victoria nequaquam sunt certi: nam *incertæ prouidentiæ nostræ.* Id, quod prudenter dixit Achab: *Ne glorietur accinctus æquè vt discinctus.* Solus Deus de suo est certus proposito, potestque statim indicto bello, canere victoriam: imo & ante indictum. Sic dixit ipse ad Iosuë. *Ecce dedi in manu tua Iericho: circuite vrbem cuncti bellatores semel per diem: sic facietis sex diebus.* Domine si nondum est oppugnata ciuitas: cur dicis, *dedi in manu tua?* Nota causa est. Cum Deus proponit quippiam facere, factum puta. Ideo eam, quam Iaheli, pro parta iam dato lacte victoria, cantauit gloriam Debbora prophetissa, accinit hodie prophetis Elisabetha gestanti in ventre ducem Mariæ, ante quàm edat eum inferni hostis caput contriturum. Imo quod est in victoria hac ex parte Mariæ, tunc consummatum est, quum victurum hostes concepit Dei filium: qui victoriam in cruce consummauit. Quod enim ad victoriam præstitit ei mater, caro ipsa fuit, quam in vtero dedit Dei verbo, vt tyrannum ea debellaret. Nec absque consideratione prætereundum, quod cantico illo inseruit Debbora verbum: *Percussit Sisaram, quærens in capite vulneri locum, & tempus valide perforans. Inter pedes eius ruit, voluebatur ante pedes eius.* Quæ adeo vniformis scripturarum concordia, ac sententiæ huius cum illa Dei: *Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius?* Ecce ante pedes Iahelis percussus capite Sisara voluebatur, contritus capite insidiatur Mariæ calcaneo Dux Dæmonium Lucifer. Meritò ergo canit prophetis nostra Elisabeth prægnanti Mariæ id ipsum, quod Debbora Iaheli: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* O Virgo Dei genitrix? Sis tu benedicta in cœlis, & in terra, ab Angelis cœli, & hominibus terræ, vniuersisq; vbilibet creaturis: quę talẽ nobis ducem genuisti interfectorem hostis nostri, qui duriori nos vexabat iugo, quàm Rex Iabim quondam Dei populum.

Deo, pro solis propositis suis tãtatur gloria perinde, ac sibi esset finis obtetus.

Sap. 9. 14.
3. Reg 20. 11
Iosue 6. 2.
Iudic. 5. 26.
Genes. 3. 15.

Quæ verba non à sola debent prophetissa Elisabetha proferri, sed & à nobis omnibus, qui hoc benedictionis fructu pascimur & saluamur. Patriarcha Isaac Iacob filio suo, propterea quòd ex eius progenie nasciturus erat diuinus hic Saluator noster, Virginis filius, pleniſſimam verbis
Gen. 27. 27. his benedictionem concessit: *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Seruiant tibi populi, & adorent te tribus: Esto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ. Qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* Si licuit Isaac tam plena vti erga Iacob benedictione, eique dicere, *qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur*, quantò magis licebit nobis dicere & Mariæ & filio eius, qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur? O puriſſima Virgo! Ecce odor matris noſtræ ſicut odor cæli pleni, cui benedixit Dominus. Ecce odor filij Mariæ ſicut odor pleni paradiſi. Senſit incluſus vtero Ioannes Virginalem fragrãtiam, ab omni carnali odore alienam, qua exultauit hilaris, ac iucundus. Etenim ſi ſponſus dixit ad ſponſam: *Meliora ſunt*
Cant. 1. 1. *vberatua vino, fragrantia vnguentis optimis: curremus in odorem vnguentorum tuorum: adoleſcentulæ dilexerunt te*: Ecce adoleſcentulus, imo incluſus vtero infantulus diligens ſponſam Dei Virginem, ſentit meliora vino vbera, vnguentis optimis fragrantiam. Nunquam enim vini odor penetrat ab vtero in vterum, vt latens ventre puer, odorem percipiat incluſi alio in vtero vini: imo nec phiala aſſeruati; cũ Marię vbera, & lac eius ſentiat odore Ioannes, nõdum à ventre egreſſus genitricis. Currit Ioãnes in odorem, imo alacer prȩcurrit, prȩcurſoris nomine ſignatus: quin etiam odore concitatus exultat. Exultemus omnes cõcitati odore lactis virgineorum vberum Mariæ: dicamuſque ei: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* O diuina Virgo! Eſto tu inter mulieres benedicta. Aquã petenti dediſti lac. Venit in terras Dei Filius, animarũ nimis ſitibundus, cui tu dediſti ſuauiſſimum lac ex vberibus tuis. Tuo ille lacte ſoporatus eſt, vt tãquam lacte ſoporatus, aut vino, dum manus clauis configeretur, ac pedes, minime reſtiterit tortoribus. Benedicta tu inter mulieres, cuius odorem non dicã agri odorem pleni, ſed pleni odorem ſpiritus quandoquidem Zachariæ domũ introeunte, repletus eſt

ille sancto Spiritu, mutúsq; prophetauit: vxore eius repleta Spiritu sancto, floridâ eructauit spirationẽ, dicens: *Benedicta tu inter mulieres: & benedictus fructus ventris tui.* Ecce odor filij tui, sicut odor plenitudinis agri: cui benedixit Dominus. Sanè valuit Isaac plenũ Iacobo agrum dare, ac speciosum, nõ ipsam dare speciositatem, nõ plenitudinem, non virorem: sed corporeas terræ cũ sua species crassitudine: at latens Virgineo in vtero puer ipsa est plenitudo, speciositas ipsa, ac ipse decor: quippe qui egregie canit: *Pulchritudo agri mecũ est: meus est enim orbis terræ, & plenitudo eius.* Pſal 49. 11.

Verbo in diuino omnia sunt, in eoq; videntur.

Sunt in Dei verbo, quod filius est eius, vniuersæ res creatæ, atque creãdæ, quæq; possunt creari nunquã creandæ, eminenti tamen quodãmodo, quo rerũ puritas imperfectionibus exuta in eo sẽper continetur. Sic docuerũt planè innixi rationi S. Aug. S. Tho. S. Bonau. cũ Theologis cunctis, post antiquiores illos Dionys. Basil. Athanas. Cypr. Chrys. Orig. Dicemus igitur Mariæ: Ecce odor filij tui, sicut odor plenitudinis, cui benedixit Dominus, qui ait: *Meus est orbis terræ, & plenitudo eius.* Sicut odor pulchritudinis, de qua ipse testatur: *Pulchritudo agri mecum est.* Omnia odor Spiritus purissimi, qui ex Mariæ ore in Elisabetham deriuatur.

Christus in se continet omnia.

Aug. l. 15. de Trinit. c. 13. & 14. & lib. 83. qq. q. 63. S. Th. 1. p. q. 34. art. 4. Bonau. in l. D. 27 2. p. q. 1. Rich. in 1. disp. 27 art. vlt. q 4. Alex. Halẽ. 1 p. q. 62. mẽb. 1. ar. 4. Greg. de Valent. t 1 disp. 2 q. 8. pũct. 2. Plin. l. 17. c. 26.

Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Benedicta tu ob ventris tui fructum, qui cum omnes res sit, omnesque in vno fructus fructu, agrum fructibus replet solo se ipso, facitque matrem suam arborem esse, vniuersis simul fructibus repletam. Mirabile est, quod de arbore Tilia scribit Plinius in propositum. Tot inserta surculis fruuntur Tiburtes arbore ista, vt omni simul fructuum specie onustam eodem vno videant tempore: Inclinato alio nucibus ramo, baccis ramo alio: aliunde pleno vuis palmite: illinc ficis, hinc prunis: piris, granatis, punicis, vniuersisque malorum speciebus.

Tilia arbor vno eodem tẽpore onusta variis vniuersarum fructib. speciem.

Sic habetur in lib. 17. cap. 6. supra vigesimum historię illius Plinianæ. Quisquis fructu sciẽtiæ eo, qui simul vitæ fructus est fructu infinito, fructu immenso grauidam subitò Virginem intuetur, quomodo post dubitare, vniuersis eam omnis generis fructibus vno tempore onustam, cum fructus hic vteri eius omnes simul fructus sit, suauissimi, dulces, saluberrimi? Quenam se nobis offert occasio dicen-

Maria arbor vno eodem tempore onusta vniuersarũ fructibus speciem.

di fructum benedictum potior illa, qua fructum aliquem multis cumulatum filiolis intuemur, seu (vt ita dicam) filiatum? Ea quidem propria occasio est, qua solemus dicere: Benedictio Dei, Deus te benedicat. quis non dicet tibi, ô alma Dei genitrix. Benedicta tu, benedictus fructus vteri tui, cum fructus hic tuus, vnus cum sit, fructus omnes sit vnus, nec extra fructum hunc fructus verus vllus esse possit? Eo vel maxime, quòd fructus sit Spiritus; quatenus ad gignendum fructum istum, sanctus in te superuenit Spiritus ideo fructus hic omnes sancti Spiritus continet fructus, quos duodecim numerat Apostolus. Galat 5 22. *Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* Ecce Marię charitas, statim ac prosperum nouit vetulæ conceptum, *Ascendit in montana cum festinatione*, prægnans & ipsa, prægnantémque piè visitauit, ministrauitque ei mensibus tribus. Ecce item gaudium: simul de mirabili conceptu, altóque Dei dono congaudent ambæ mutuáque congratulantur exultatione, mutuis cãticis. Luc. 1 47. Exultat infans in vtero anus, exultat & grauida infante Virgo, & exultat Spiritu: *Exultauit spiritus meus*, ait Virgo ipsa. Proprius Spiritus fructus gaudium spiritale, secundus à charitate fructus Spiritus. Similiter adsunt in fructu isto reliqui omnes Spiritus fructus, quos signanter expendere, Tobiæ 7.7. tempus non patitur. Ergo fœliciſſima Virgo, *Benedictus fructus vẽtri tui*: cuius cum arbor sis naturalis, es consequẽter *Benedicta tu inter mulieres*. Suscipiens quondam visitantem se iuuenem Tobiam Raguel, dixit ad eum: *Benedictio sit tibi fili mi: quia boni, & optimi viri filius es*. quid dicam tibi, fili Mariæ? Quid tibi dicam, filij Dei Mater? Benedictus es tu fili Marię: quia boni, & optimi Patris filius es. Patris bo- Luc. 18. 19. ni in tantum, vt *nemo bonus, nisi solus Deus*, genitor tuus. Filius boni, & optimi, omnium optimi Patrum, omnium rerum optimi, puriſſimi, pręstãtiſſimi, maximi, glorioſiſſimi, altiſſimi. Benedictus es tu, fili Dei altiſſimi: quia bonæ, & optimæ mulieris es filius. Mulieris bonæ adeo, vt super omnes mulieres sit casta, pudica, honesta, Virgo corpore, & mente, etiam nunc cùm in ventre habet filium.

Bene dezimos al fruto, que vemos que ahija.

Mulieris bonæ, & optimę: omniũ optimę mulierũ, omniũ benigniſſimæ,

benignissimæ, suauissimæ, pientissimæ, altissimæ, clementissimæ, sanctissimæ. Benedicta es tu diuina Maria; quia boni, & optimi filij mater es: boni supra modum, adeo vt sit ipsa bonitas. Optimi omnium filiorum, omnium parentum, omnium hominum, omnium Angelorum, omnium Cherubim, ac Seraphim. Benedicta tu inter mulieres: & benedictus fructus ventris tui. Fructus, quo viuunt terrigenæ, & cœlites: fructus, quo solo sanantur infirmi: fructus, quo æternus ipse Pater eius viuit.

Maria & Elisabeth virgæ duæ, quæ mirabili modo floruerunt.

Intrat Maria domum Elisabeth, & omnia sunt ibi benedicta: animæ, corpora, Filij in vtero latentes, famuli, serui, ac ipsi parietes, & tecta. Sunt Virgæ duæ benedictæ, imo Virgæ benedictionis, quę singulari Dei benedictione fluxerunt Maria, & Elisabeth. Duas in Scripturis mirabiles legimus Virgas: alteram Aaron, Iesse postremam. De prima sic scribitur in libro Num. Dixit Dominus ad Moysem: loquere Filijs Israël, & accipe ab eis Virgas singulas per cognationes suas: ponésque eas in tabernaculo fœderis. Quem ex his elegero: germinabit Virga eius. Quas cũ posuisset Moyses coram Domino. *Sequenti die regressus, inuenit germinasse Virgam Aaron: & turgentibus geminis eruperant flores, qui foliis dilatatis, in amygdalas deformati sunt.* Quænam est Virga ista, nisi Elisabeth? Hæc fuit de stirpe Aaron, vt est in textu verbis istis: *Fuit in diebus Herodis Sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia, & vxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Elisabeth.* Hæc cum præ senectute arida esset, repentè fronduit, floruit, germinauit, gignens vtero Ioannem, qui illustre fuit germen, viridantibus vsu rationis foliis exornatum, cãdidissimóque diuinæ gratiæ fructu. Nam honorifica hac suprema Visitatione Imperatricis vsum ratione fuisse in vtero Ioannem, expressit ipsa eius genitrix Verbo illo: *Vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo.* Sicque intelligũt Patres, Orig. Chrys. Cyril. Ierosol. Ambros. August. Theophilactus, & Euthych. Quoad gratiam autem sanctificantẽ, quæ in eodem vtero diuinitus floruit, sunt certa absque dubio ipsa in historia signa; tum, quòd tanta in Dei introitu exultatio infantis minimè quidem esse potuisset, si auersus esset ille ab ingrediente Domino: cum nemo inimici sui exhilaretur

Virga Aarõ Elisabeth.

Elisabeth Virga Aarõ.

Elisabetha & Maria Virgæ duæ mirabiliter floridæ.

Num. 17. 8.

Luc. 1. 5.

Ioannes vsus rationis in vtero matris.

Luc 1. 44. Origen in Luc hom. 7 Chrys hom. de Visitatione. Cyril Ierosolym. catechesi 3. Ambr li. 2. in Luc. c 12. Aug epist. 57 tom 2. Theophil. Luc. 1 Euthy. ibi.

Ioannes in ventre matris sanctificatus.

introitu: tum, quòd, cum Elisabeth repleta sit Spiritu sancto: latens in ventre eius infans, censetur consequenter eodem repletus Spiritu. Super omnia congruēs ipsa ratio non patitur credere, ingressum corporaliter Deum ad visitādum puerum, quem in suum elegit Præcursorem, distuliſſe aliquandiu, gratiæ suæ donum præstare illi, passúmque coram se familiariter, & amicè quem tanquam inimicum toruis intueretur oculis. Est ideo certa apud Doctores gratiæ infusio hæc in vtero facta. Fuit ergo Elisabeth Virga illa Aaron, frondens, florens, & germinās: cuius fructus amygdala, quæ firmissimus omnium est fructus: id quod in Ioannem præ omnibus conuenit, qui neci dedit caput pro tuenda firmus veritate. De Virga secunda scriptum est ab Isaia: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet: & requiescet super eum Spiritus Domini. Non secundum visionem oculorum iudicabit, neque secundum auditum aurium arguet.* Vbi Kaldæus; *Flos Christus de filijs filiorum Iesse vngetur.* Et in Hebræo pro flore est germen; vt vertūt 70. Aquil. Symmac. & Theodor. Ipse interpretatur Apostolus, referēs verba hæc pro Domino Christo. Nec in aliū, nisi in Dei Filium, ipsumq; Deum verum conuenire possunt: ne in Messiā quidem, si non esset Deus. Iudicaret enim iuxta ea, quæ & videret oculis, & perciperet auribus, si non esset Deus: licet esset Messias. Et sequitur. *In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorū, ipsum gentes deprecabuntur.* Est autem consequens, vt cum Christus sit Virgæ istius flos, mater eius sit Virga: quæ eum miraculo produxit altiore, quàm, quo Ioannem produxit Elisabetha. Sic intelligit Hieronymus: *Nos autem virgam de radice Iesse sanctam Mariam Virginem intelligimus, & florem Dominum saluatorem.* Sunt itaque virgæ istæ benedictionis virgæ; quibus amœnissimum Ecclesiæ suæ hortum plantare incepit Deus. Pertinuit ad vetus Ioannes (fateor) testamentum, sed tanquam eius terminus, qui & noui quodammodo initium fuit, dicente Dei Filio: *Lex, & Prophetæ vsque ad Ioannem: ex eo regnum Dei Euangelizatur.* Fuit Elisabeth in Synagogæ montanis nata, transplantata in Christianæ hortum Ecclesiæ; vt Virgineæ Virgæ socia esset in horto. Quapropter, cum hortum Dei vnicum benedictione plantari, esset Deo ipsi, ipsique Dei horto consentaneum: sunt Virgæ istæ

Origen. citatus hom. 6. in Lucā. Cyril. Ierosolymit. loco citato. Theodor. studitus oratione de natali Ioā Ambr li 4 de fide ad Gratia c 4 Maximus hom. 1. de natali Ioan. Euthy. in Luc 1. Hieron. in c 1. Ierem. Petr. Chrysolog. ser mone 88. Petr Dam. serm de S. Ioan. Isa. 11 1. Kal æus. 1. Thessal 1. 8.

Maria Virga Iesse.

Hieron. in cap 11. Isai.

Luc. 16. 16.

diuinitus benedictæ, omniáque in domo hac benedictionibus replentur; sancto Spiritu omnia cumulantur.

Visitationũ conuersationes quales esse debeant.

Quid dicemus nunc de mutuis Christianarũ visitationibus fœminarum? quid de earum domibus? Suntne benedicta in eis omnia? Sonatne in ore earum benedictio? Dicuntne omnes, benedicta tu? Replentur Spiritu habitacula? Nescio equidem, vnde tam pernitiosa potuerit oriri consuetudo maledicendi, tum in ædibus multis, tum in visitationibus non paucis. Quoties dicit mater filiæ, famulæ Domina, maledicta tu. Quidnam frequentius in ore fœminarum, quàm pessimæ huiusmodi maledictiones, quibus domesticos omnes, tam viros percutiunt, quàm mulieres? Maledicta tu: rapiat te Satanas: trado te Diabolo; morte intereas pessima. Nonne scrutarentur fœminæ istæ, quonam Spiritu vrgentur, ad huiusmodi maledictiones immittendas? Non vtique Sancto, quo Elisabetha benedicit, sed furibundo, effrænato, igneo, de quo Ecclesiasticus. *Ante ignem camini vapor, & fumus ignis inaltatur. Sic & ante sanguinem maledicta, & contumeliæ, & minæ.* Certè proprius est insipientiæ Spiritus: quo, qui sic concitatur, notatur à Psalte verbis istis: *Dixit insipiens in corde suo non est Deus. Sepulchrũ patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labijs eorum: quorum os maledictione, & amaritudine plenum est.* Quanã adeo propria phrasi potuit exprimere huiusmodi ora fœminarum, ac vna hac: *Sepulchrum patens est guttur eorum:* & sequenti ista; *quorum os maledictione, & amaritudine plenum est?* Quoniam profectò adeò repleta sunt maledictionibus ora vt impetu erũpant magno diu, noctúq; super quoscunque circunstantes, filios, filias, seruos, sorores, famulas: reliquosq; absque exceptione domesticos. Os maledictione, & amaritudine plenũ. Cuiusnam amaritudine? Maledicentis ne, aut eius, cui ore maledicetur. Tanta profectò acerbitas est, vt vtrumque intimè exacerbet. Quoniã profectò, & qui maledicit amarus est, & amarus etiam qui maledicitur. Sũt oppositа oratio, & maledictio, non aliter, quàm ædificatio, & destructio. Sic Ecclesiasticus: *Vnus ædificans, & vnus destruens: vnus orans, & vnus maledicens, cuius vocem exaudiet Deus?* Pauci enim ex mancipijs, quæ audientes super se maledictionẽ Dominorũ, parcunt eis similiter maledictione fe-

Maledicendi abusus, præsertim fœminarum.

Imprecandi abusus, præsertim apud fœminas.

Eccl. 22. 30.

Psal. 13. 1.

Eccl. 34. 28.

rire, & peiori quidē. Nam tu, Domine, aut Domina, dū seruo, aut ancillæ maledicis, minimè quidē intēdis, ea illos lædi maledictione. Illi autē audiētes à te, rapiat vos Diabolus, respondent: te potius solā Diabolus rapiat: quod toto sæpius dicunt corde, maledictionibus tuis irritati. Sed dico: nonne, etiāsi nihil dicant serui, in teipsam inducis eā, qua illos feris, maledictionem? Si pro remisso in parandis cibis, alijsq; necessarijs obsequio maledicis ancillæ: ipsis profectò mala imprecaris cibis tuis; quo maledictæ ancillæ manib⁹ parari obsecras. Est & aliud insuper notandū, à paucis fortè adstantiū aliquo auditū; esse nimirum tibi mandatū, vt taceas, feráſq; patienter, si seruū à te maledictione percussum, maledicentem tibi similiter audieris. Audi verba Dei Ecclesiast. calamo ad te scripta: *Cunctis sermonibus, qui dicuntur, ne aciōmodes cor tuum: ne fortè audias seruum tuum maledicētem tibi. Scit enim conscientia tua, quia & tu crebro maledixisti alijs.* Ecce (aperi aures) dicit tibi Dominus tuus, vt omittas attendere vocē maledicentis tibi ancillæ; aut serui, cuius causam hanc reddit; quoniam cum conscientia tua sciat, te quoque alijs maledixisse nō raro; debitum quidem est, vt inductas in te maledictiones seruorum patiens feras. Quanto magis, quum vides, non pro eis, quibus læsisti alios, maledictionibus, sed pro eisdem ipsis, quibus percutis seruū te ab eo repercuti iusta Dei permissione. Nec decet, non suggere tibi iterū, vt desinas attendere seruos tibi maledicentes; cùm & tanti sit doctrina momenti, & à Deo ipso tibi proposita. Quid, quòd & seculi prudentes idipsum sæpè docuerunt? Seneca maximè, qui & Principum quorundam refert exempla. Ibat Aristipus, insectantem se maledicum fugiens tacitus, quasi conuitia audiret nulla. Cúmque ille diceret; cur fugis? respondit: quoniam tibi potestas est maledicendi, mihi non audiendi.

Maledictionibus persuetiens alios, debet patiēter ferre maledictiones mancipiorum.

Eccl. 7. 22.

Seneca de clementia c. 10. & de ira c. 23. & 24.

Patientiæ exemplū ex Aristipo. Aristippi patientia.

Non minus frequens murmurandi in Visitationibus abusus. Eo vitiū hoc licentiæ procedit, vt dicere Visitationem, murmurationem dicere sit, in domibus multis, ne dicam in plerisque. Scimus, in visitationibus non paucis vicem chorearum, ac musicæ murmurationibus suppleri; quasi murmuratio æquè sit, ac tripudium, iucunda, æquè, ac cantilenæ; cum nihil sit aliud, quàm malefacere, ac destruere id, quod summopere æstimant hi, quibus detrahitur, famā, honorem,

murmurandi in visitationibus abusus.

Visitationi fœminarum murmurationibus infesta.

multaque alia eorum bona, quibus ob læsam priuantur famam. Quisquis rimari optat intellectum Prouerbij illius, *Lætantur, cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis*; consideret finem murmurationis: sensumque scripturæ penitus callebit. Est exultatio in fœminarum cunco murmuratio: supplet choreæ vicem. Quidnam lætitiæ, quid murmuratio exultationis; vt sit ipsa exultatio, atq; lætitia? Nulla profecto est hilaritas alia, nulla alia iucunditas, quàm maleficentia, atque destructio; quasi iactura proximi, etiam omnino erga te innoxij; tua sit æstimatio, tuum vitæ, ac honoris incrementum. Nec chorearum solùm, & musicæ; sed conuiuij etiam supplet vicem. Est plena (vt reor) Apostoli doctrina verbis illis: *Quod si inuicem mordetis, & comeditis; videte, ne ab inuicem consumamini.* Ecce mordent, & comedunt murmuratores alienas dulciter carnes, quasi perdicum carnibus vescerentur. Quonam fine detrahitis, fœminæ? detrahitis viri; quonam fine? Audite Gregorium Nazian. *Sumus velut in nocturno quodam prælio per exigua luce lunæ vtentes, & ipsa interdum interuenientibus nubibus offuscata; sociorum, & hostium nulla agnitio, nulla discretio. Irruimus & alterutrum, & mordemus inuicem, ac laniamus*, nulla discretione, sitne amicus, an hostis, quem morsibus discerpimus. Nescio, vnde tam exitiale vitium contrahat dulcedinem, vel Ethnicis ipsis; quanto minus Christi professoribus. Salubris Laurentij Iustiniani est exhortatio, & reprehensio: *Proximorum murmurationes longe sunt à Christianis repellendæ*; quæ tanquã acutæ sagittæ, audientium animos penetrare noscuntur. Sed, quoniam ne Ethnicis quidem delectationis originem in vitio hoc esse vllã posse, verè dixi; volo, vt sciatis, integrũ de re hac librum à Plutarcho scriptum, ex quo pauca hæc exhauriam verba. *Cur homo inuidētissime, in alienis malis perspicaces habes oculos, in tuis cæcutis? Inuerte cognoscendi studium, & istam curiositatem ab externis transfer ad ea, quæ sunt intra te. Si cordi est, aggredi malorum historiam*, (id est, si ad scribenda mundi huius mala propensus es) *Habes affatim domi, quod agas. Tantam reperies multitudinem errorum in vita tua, malarumque cupiditatum in animo, nec minus negligentiæ in his, quæ fuerant officij præstare. Esto circa te ipsum curiosus inquirens.*

Quo lapsus: quid feci? quod minus omissum est? Nunc verò, sicus:

Prou. 2. 14.

Galat. 5. 15.

Greg. Naz. in Apolog.

Murmuratorum pessima indole.

Laurent. Iust. lib. de interiori conflictu cap. 2.

Plut. de curiositate in moralibus. Tom. 2.

fabulæ narrant. Lamiam domi quidem canere cæcam, oculis in vasculo asseruatis, quos, vbi prodit foras, sibi reponit; ac tunc oculatam esse: ita quisque nostrum foris, & in rebus alienis ob maleuolentiam, vel curiositatem, sibi velut oculum imponit. Atque nonnulli propriam vitam, velut in amœnissimum spectaculum, non sustinent intueri: Verùm animus omni genere malorum scatens, horrēs, ac metuens quæ sunt intus, exilit foras, vagaturque circa aliena, nutriens, ac saginans animi vitium. Quam doctrinam late prosecutus magnus iste Philosophus, multa sapientum refert exempla, dicta multa, Vlyssis, Socratis, Philippidis, Xenocratis, Sophoclis. Et quoniam dixi, nescire me, vnde tam pernitiosa hominum propensio possit oriri; non omittam Philosophi istius sententiam his expressam verbis. *Curiosus, qui appetit cognoscere mala; obnoxius est morbo gaudendi de malis alienis, liuoris, & inuidiæ fratri: Nam inuidia dolor est de bonis alienis; cæterum Epicharecacia voluptas est ex alienis malis concepta. Cæterumque nascitur ex affectu immani, ferinoque malitiæ.* Parum dixit, vocans ferinum, nam ne feræ quidem non lacessitæ malefaciunt vlli; nisi vrgente fame ad carnes deuorandas.

Ego vero hanc murmuratorum inclinationem inde venire puto, vnde viliſſima hominum veteris ferri emptorum oritur inclinatio. Sunt in magnis populis duo emptorum hominum genera; quorum alteri emunt vetus aurum; nempe hostiatim percurrunt vrbem, inquirentes, sitne vetus aurum, quod vendant eis inquilini; hoc est, vetera auri fila, quæ in vestium plumatura, aliorumve domus ornamentorum labore diu seruierunt. Quod in id mercantur homines isti, vt igne conflent, sicque renouantes, ad naturalem reducant splendorem. Alteri soli inquirendi ferrum vetus muneri intendunt. Lustrant nimirum ciuitatem, vniuersasque introeunt domos, inquirētes, sitne in eis vetus ferrum. Hoc est, confractæ portarum seræ, rubiginosæ claues, claui decapitati; ferrearum fragmenta solearum, pessula, tripodes, verua, vncini, creagræ, cæteræque id genus vetusti reliquiæ ferri. Quas mercantur homines isti, vt igne ad purum reducentes, noua ex eis faciant instrumenta: in quo officio totam transigunt vitam. Video non paucos in populis homines, quorum vita est, vetus in alienis ædibus inquirere fer-

Simile.

rum; priſtinos ſcilicet errores. Et, vt Hiſpanè loquar, *Buſcan hierro viejo, Yerros vieſos*, veteres errores, qui in domorum angulis latebant, obliuioni prorſus traditi: Errores hos, tam progenitorum, quàm ipſorum etiam inquilinorum homines iſti diligenter exquirunt, educuntque ex latebris in lucem. Igne purgant rubigine, igne linguarum ſuarum, de quibus Apoſtolus Iacobus: *Lingua ignis eſt, vniuerſitas iniquitatis.* Sic errores lucere faciunt, vt à cunctis perſpicuè videantur; cùm vitia tunc lucere dicantur, cùm in auras efferuntur; ſicut luculenter dixit Tragicus; Iacob. 3 6.

Perlucet omne Regiæ vitium domus. Tragicus Seneca in Agaminon. Act. 2.

Peſſima in dolis: & quæ ſola peruerſam conditionis humanæ inclinationem oſtendere ſufficiat. Homines veteris ferri mercatores; vitamque ſuam viliſſimo hoc officio tranſigentes. Eſt in domo aliena multum auri, auri nobilitatis proſapiæ, ac genealogiæ: multæ virtutum margaritæ: gemmæ ſcientiarum, prudentiæ, diſcretionis, candoris multæ, quas in capſis omittens, ſolum in auras vetuſtum prodis ferrum, quàm pauci ſunt, qui has inquirant, inquiſitaſq; educant margaritas! quàm multi, qui vetus ferrum inquirere non ceſſant, ac producere? Quodnam (rogo) lucrum, dic ferri mercator, ex huiuſmodi emptione in fine ſperas anni? Quodnam in fine vitæ? Si ſapiens es hac mercaturæ arte; ſciſcitare ſapientiam ipſam, quantum liceat inde ſperare lucri. Si huiuſmodi murmurationes à Sancto ſit Spiritu, qui in Viſitatione Marię conuerſationi adeſt toti, labijſque vtriuſque conuerſantis. *Benignus eſt Spiritus ſapientiæ; & non liberabit maledicum à labijs ſuis.* Hoc eſt detractoris, hoc maledici lucrum. quidnam eſt, non liberari à labiis ſuis? Multa profecto ſibi inducit mala murmurator; à quibus nequaquam euadet immunis. Primum malum eſt murmuratio reciproca, qua alij homines detrahunt ei, ſcientes, ſe corrodi ab illo. Hoc vtique eſt, minime à ſuis labiis liberari maledicum. Sententia eſt Eccleſiaſtici; *Suſurro coinquinabit animam ſuam, & in omnibus odietur; & qui cum eo manſerit, odioſus erit. Tacitus, & ſenſatus honorabitur.* Ecce qua ratione non liberatur à labiis ſuis mordax homo, quoniam ſcilicet mordacitate ſua ſe facit odibilem. Eſt ſecundum maledici malum ipſamet murmuratio ſua: quatenus alienos peruulgans

Sap. 1, 6.

Murmuratores ſimili moneta mercedem accipiunt.

Eccl. 21, 31.

Murmurationibus ſuis ſe infamat ſuſurro.

defectus, manifestat suum, & hoc magis; ipsum videlicet vitium murmurandi. Itaque dum dicis, Petrus est ebriosus, simul dicis, ego sum mordax, & maledicus. Sed extremum hoc contra tuum certiùs manifestas honorem; eo quòd Petri ebrietatem non plenè iudicent certam auditores: te autem absq; dubio maledicũ videant. Non minus tremendum malum tertium; imminens maledico supplicium, *Benignus est enim Spiritus sapientiæ, & non liberabit maledicũ à labijs suis; vbi verbum non liberabit*, Græcè est, non absoluet: non declarabit innocentem. Similis est illa Exodi phrasis; *Nõ enim habebit Dominus insontem, qui assumpserit nomen Dei sui in vanum*: Vbi littera Græca; *Non purgabit*. Itaque non excusabitur apud Deum maledicus, murmurator, detractor, mordax, susurro, honorum effusor alienorum.

Murmuratorum supplicium.

Græca in Sap. 1. 6.

Exod 20. 7. Græca ibi.

Quare ergo tam iucundæ sunt vobis conuersationes huiusmodi, tanto plenæ felle, tanta acerbitate læsorum proximorum, & vestra, qua & statim afficimini & ea etiam, quæ in futuro vobis sæculo asseruatur? Sanè ille verè iucundus est, qui sua in conuersationibus metitur verba, vt sint cunctis proficua, noxia nemini. Dicat vates Rex, quisnam est iucundus, lætus, hilaris. *Iucundus homo, qui miseretur, & cõmodat; disponit sermones suos in iudicio.* Ille iucundus est, qui misericordia motus benefacit proximis: ille, qui egenti sua cõmodat bona: & ille etiã est iucundus, qui suos in iudicio disponit sermones. Quid est; sermones in iudicio disponere? Est quidẽ maturè animaduertere, ac põderare, quã vtile sit, quã proficuũ, quã iustum verbũ hoc, quod promere intẽdo; quãve amarum, aut noxium, quàm periculosum, quàm inane. Iudicio sunt verba disponenda; prius dijudicãda, quàm promãtur: quo lætus valde, ac iucũdus est homo. Præterea, disponit sermones suos in iudicio, id est, ad extremum iudicij diem, quando ante iustum Dei tribunal de omni verbo otioso rationem sumus reddituri; quanto magis de noxio, de pernitioso, de exitiali, de mordaci; de eo, quod proximorum corda transfigit, famam disperdit, & honorẽ? Hunc dicit Deus vere iucundum, qui sermones sic disponit iudicio; vtpote tuta hilarem conscientia, communi omnium beneuolentia benedictum. Iucundus homo, ait: vbi nomen, iucũdus, Græcè est bonus, vtilis, humanus; Kaldæa paraphrasi beatus.

Psal. 111 5.

Græca ibi. Kaldæa. ibi.

beatus. Et certè beatus est, qui verbis suis vlli malefacere formidat, omnibus curat benefacere. Talis fuit Mariæ visitatio, talis conuersatio, tales choreę, talia cantica.

Edit igitur Elisabeth benedictionis sonitum, cui Christianæ fœminæ saltantes, & psallentes in visitationibus adhæreant; viri etiã Christiani in conuersationibus suis. Sed dulciorem prȩcentrix musicæ Maria, quæ suspensis in suo Angelis choro canit suauissimè. *Magnificat anima mea Dominũ*, & cætera. Hic est, qui conuersationibus proponitur sonus, vt in suis eum visitationibus sequantur, disponentes verba sua iuxta sonum hunc à Maria nobis, & ab Elisabetha dulciter propositum. Huic, qui se in cuneis suis conformauerint, erunt iucundi; Hilares, beati, amari, tristes, infœlices, qui à regula ista deuiauerint. Est enim tonus hic, quẽ Deus nobis linguis Mariæ, Elisabethæque indicat, vt cantica nostra, nostras choreas adhærentes ei componamus. Fertur, citharædum quendam suauissimo iuxta litus maris citharam pulsasse sono, quo pisces ad saltandũ inuitabat. Quod cum semel & iterum faciens, nullum videret saltare piscem; rete, relicta cithara, arripiens extendit super vndas, factus ex musico piscator. Copiam piscium sagena comprehẽdit non exiguam; quos in siccam arenam proiiciens, citharam sumpsit iterum, fecitque sonum fidibus, quo in arida saltarent pisces. Nec vana in fidibus fides. Manu psallebat dulciter; ad cuius sonitum tristes saltabant pisces. Quibus dicebat ille: qui aqua saltare noluistis, saltate in arida. Faciam profecto vos in sicco saltare. Inuitat nos Deus ad exultandũ suauiter in dulcissimis Sancti Spiritus aquis, edens nobis certum ore Elisabeth, ore Mariæ sonum, quem gressibus nostris subsequamur, cui adhæreamus concinentes; quem nimirum conuersationibus nostris imitemur, quidnam faciet diuinus musicus, postquam semel, & pluries tentato sonitu, non viderit imitantes sonitum homines, nec citharæ eius audientes suauitatem, sed profundo se maris submergẽtes, maris confusionis, abyssi peccatorum? Postquã viderit rauco gurgitis murmure ductos, vt suis murmur istud murmurationibus sequãtur? Quidnam faciet cœlestis musicus, suæ sperni videns citharæ sonitum, suam vocem, suam vocationem? Nonne expandet sagenam super contumaces, vocem

Simile.

Vocationi Dei qui adhærere recusant, trahentur tandem ad locũ miseria, & afflictionis.

suam sequi renuentes? Nonne ex dulci Ecclesiæ piscina iustissimè extractos, mittet in siccũ, vt in sicco saltent, qui in iucundo exultare noluerunt? Sed in quemnam siccum mittet eos locum? Quis est siccus locus, nisi infernus; qui nimia ignis flagrantia siccus perpetuo est, nullo vnquam irroratus refrigerio? Ibi saltabunt miseri in sicco loco; sicco rigoris instrumento, ad lugubrem fletum concitante, dentiumque æternum stridorem, atque gemitum. Vtique è nuptiarum conuersatione mittitur homo, *In tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium*, eo quòd nuptiarum vestimentis se accommodare neglexerit: qua ratione, si sanctis visitationum conuersationibus se conformare noluerit, vt iuxta datum ei sonitum concinat; in easdem relegabitur tenebras, in quibus fletu sequatur sonum stridoris dentium, quibus maledicus mordebat proximos. Iustum, vt inferno igne saltet torrida lingua, quæ igniuoma exultabat in ore, alienam famam, honorem, nomen, æstimationemque comburens.

Matt. 22. 13

Quàm innoxia Mariæ, & Elisabethæ conuersatio! Quàm dilecti hominibus, & Deo, qui eam in visitationibus suis imitantur! Quàm plena benedictionibus domus, in qua conuersationes similes audiuntur! Sed benedicta imprimis domus Zachariæ, quam intrat Deifera, Dei genitrix: nec ad modicũ intrat, sed per menses tres, quasi ibi inquilina habitatura. *Habitauit arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus mensibus; & benedixit Dominus Obededom, & omnem domum eius. Nuntiatumque est Regi Dauid, quòd benedixisset Dominus Obededom, & omnia eius propter arcam Dei. Abijt ergo Dauid, & adduxit arcam Dei de domo Obededom in ciuitatem Dauid cum gaudio: & Dauid saltabat totis viribus.* Si lignea illa fœderis arca tãtis domum Gethæi, quòd scriptum ferret testamentum, benedictionibus repleuit, tribus illis, quibus in domo illa mensibus fuit; quantis putanda est benedictionibus amplificasse Zachariæ domum, & omnia eius diuina hæc non lignea arca, sed Maria, quæ ferens in se ipsam testamenti hęreditatem, Deum ipsum, tribus in domo illa mẽsibus mansit? Hæc quippe est viua fœderis arca; in qua, vt constitutum fœdus adimpleret Deus, clausus sponte sua diu extitit ipse. Hoc Mariam nomine appellant Patres, arcam fœderis, in

2. Reg. 6. 11.

Maria arca thesauraria, replens bonis domũ, in qua manet.

Mariam in domos nostras afferre, summopere nos oportet.

qua vnicum fuit propitiatorium, Dei Filius. Sic B. Chryſ. Greg. Nicomedienſis, Ephrem, Damaſcenus, Andreas Cretenſis. Heſychius, Galatinus, Bonauentura, & Antoninus. Quid ergo faciemus & nos, tantis ditatam benedictionibus domum Zachariæ contemplantes; niſi id ipſum, quod fecit Dauid, cum domum Obededom tantis ingreſſu arcæ benedictionibus auctam intellexit? Abijt alacer nimis, & in ædes ſuas intulit arcam veneratione magna, magno iubilo. Idem nos omnes facere oportet. Properemus ouantes ad Mariam, vt domum noſtram dignetur intrare; & in ea tribus manere menſibus vſque ad partum, vt manſit vſque ad partum Eliſabethæ tribus menſibus. Vſque ad illum dico partum, quo animę noſtræ exibunt ex corporibus. Adducamus benedictam hanc arcam noſtra in habitacula; adducamus vocibus, orantes, vt adueniat; adducamus & factis, talibus domos noſtras diſponentes operibus, vt ipſa ſponte adueniat, & introeat. Dicamus arcæ huic cum Eliſabetha, *Benedicta tu inter mulieres*: benedicta in ciuitate, & in agro: Benedicta in planitie, & in montanis: benedicta in domo Zachariæ, & in domibus noſtris; benedicta in cordibus noſtris, & in Regio Dei throno, æterna Patris, Filij, & ſancti Spiritus benedictione & beatitudine.

Chryſoſt. in Liturgia. Greg Nicomed. oratione de oblatione Deiparæ. Ephrem. orat. de laudib. Virg. Damaſc. orat. 1. de dormit. Virgin. Andreas Creten. orat. de dormitione Deiparę. Heſychius hom. 2. de S. Maria Galatin. lib. 7. de arcanis c. 4. & 12. Bonauen. ſpecula B. Virg. c. 9. Antonin. 4. petit. 5. cap. 27. §. 4.

IN EADEM VISITATIONE B. VIRGINIS MARIAE.

SERMO III.

Luc. 1. 46. *Magnificat anima mea Dominum.*

DVLCIS lingua mea! ô labia mea suauissima! Cane, cane, lingua: labia mea concinite, exultate. Dulce canticum est, quod vel ipsos musicos suspendat Angelos. Ne metueris lingua; ne scruteris, sis ne tarda eloquio, sis discreta, sis dulcis. Dulce canticum est; suauissimum canticum; canticum Mariæ. Vox prægnantis Virginis, Deiparæ canticum, quod in ore meo positum est. Sit, quæ fuerit lingua: sufficit esse canticum Deiparę; vt in quibuscumque positum labiis, gratia scateat, & dulcedine. Prouoco te, cantorum præcentor, musice musicorum, Vates Rex, Propheta nomine: prouoco te; descende hodie mecum in arenam: vincam tuum meo cantico canticum. Cane nobis nunc quem ex tuis dulcissimum elegeris canticum; quid concines? *Eructauit cor meum verbum bonum: Lingua mea calamus scribæ. Speciosus forma præ Filijs hominum: diffusa est gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternum.* Cor tuum. eructat verbum bonum: Cor Mariæ eructat verbum optimum: *Exultauit Spiritus meus in Deo salutari meo.* Exultat in Deo Mariæ Spiritus; qui præ exultatione eructat verbum optimum; *Magnificat anima mea Dominum.* Eructat cor tuũ verbum bonum; *Dico ego opera mea Regi*: eructat cor Mariæ

Psal. 44. 1.

Maria canticum pra Angelis suaue.

Canticum Magnificat omnium, etiam cœlestium, iucundissimũ.

Verbum optimum, eò quòd Virgineum Mariæ cor habeat in se, in pectore, in vtero ipsum Dei Verbum, Verbum optimum, quod ore eructat accinens: *Magnificat anima mea Dominum.* Lingua igitur mea non est scribæ calamus; sed musicum canentis Deiparæ instrumentum: quo mihimet-ipsi lepidus sum, gratus, dulcis, suauis, iucundissimus. Canis psalmo tuo; *Speciosus forma præ filijs hominum: diffusa est gratia in labijs tuis*: Maria præ Angelis, pecioſa ipsam labijs suis diffundit gratiam, & leporem ipsum dulciter accinens: *Magnificat anima mea Dominum.* Diffusa est (inquis) gratia in labijs tuis: *propterea benedixit te Deus in æternum*: audi quàm benedicta sit Maria, ob copiosam hanc gratiæ diffusionem, qua ad vocem eius, inclusus in senis vtero matris gratia repletur infans Ioannes, propter quod dicit ei anus ipsa Elisabetha. *Benedicta tu inter mulieres.* Vis mecum, ô musice, contendere cantu? Tu maior: tibi me est æquum cedere, vates: sed & canticum meum Mariæ canticum, eius ore expressum, diuinum Verbo, diuinum expressione. Audeo & cœlestes prouocare cantores, Angelos, Principatus, Seraphinos; qui excelsis iugiter concinunt Choris; vt de cantu contendant mecum. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: stillabunt montes dulcedinem; & omnes colles culti erunt.* Ecce dies veniunt: quinam dies? *Exurgens Maria in diebus illis abijt in montana; & visitauit Elisabeth.* In montana abijt prægnans Virgo Maria, vt montes hi dulcedinem stillent. Audite, cæli, quæ loquuntur Maria, & Elisabeth; videbitis montes montes dulcedinem stillantes Mons est Maria: *Præparatus mons domus Domini in vertice montium*: mons ad partum præparatus conceptu, quo vulua in sua conceptum gerit Deū. Ecce præparatus mons in vertice montium, in montanis: nam *Exurgens Maria abijt in montana.* Est & mons Elisabeth, quæ ventre in suo germen vetula genuit Angelum, Angelum Christi Præcursorem, de quo dixerat vates: *Ecce ego mitto Angelum meū, & præparabit viam ante faciem meam.* Duo isti montes Maria, & Elisabeth stillant dulcedinem: illa Deo canens: *Magnificat anima mea Dominum*: Hæc canens Mariæ: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Stillant hodie montes dulcedinem: *& omnes colles culti sunt;* eousque culti, vt & sexagenaria culta sit, habeatq;

Luc. 1. 42.

Amos 9. 13.

Luc. 1. 39.

Isai. 2. 2.

Malach 3. 1. Matt. 11. 10.

germen vtero conceptum; & (quod maius est,) Virgo ipsa à nullo culta viro, culta à sancto Spiritu, fructum habeat in
Luc. 1. 42. ventre, de quo Elisabetha. *Benedictus fructus ventris tui.* Stillant itaque dulcedinem montes, sed quorsum distillant? Non quidem versùs solam stillant terram: sed etiam versùs cœlum, in ipsa Angelorum ora distillantes. Nunquam enim Angeli tale modulati fuerant canticum, nec tale canticum audierant: imo nec canere sciunt illi, *Magnificat anima mea Dominum.* Conatus est (fateor) musicorum magister
Psal. 33. 4. magnificare Deum, dicens: *Magnificate Dominum meum:* sed quanam ratione magnificandi? *Exaltemus nomen eius in idipsum.* Non magnificauit, nec magnificare intendit, sicut Maria. Quis enim Deum magnificare potest? Planè infinitus est, maior esse nequit; qua ergo ratione magnificabitur ab anima? Sola Maria potuit magnificare Deum: & sola eum magnificauit: Angeli non item. Concepit Maria vtero Deum; quem sic concipiens, esse & hominem fecit. Ecce Deum extendit ad id, quod non erat: ad id, vt esset homo. Ergo Deum magnificauit genitrix eius. Fateor, maiorem minimè fecit, nec extendere, vt esset maior, potuit: sed extendit tamen, vt esset homo: qua ratione diuinitùs magnificauit eum. Hoc facere Angeli non valent: nec talem vnquam magnificandi cognouerant modum. Veniant ergo hodie in montana hac: audiant hodie Mariam decantantem, *Magnificat anima mea Dominum.* Sed quid ego pergam prouocare Angelos; nisi eandem quoque conuocem Mariam, & hanc primùm? Conuoco igitur Mariam: veniat cantatum alacris: quoniam cantores cœlorum, & terræ ad cantionem eius prouocati sunt omnes. Veniat, veniat Maria, vt cantet hic dulcisona. Quod si canticum eius me cantare iubet; veniat, obsecro, veniat; ponat in ore meo canticum suum: quod si posuerit, curæ eiùs incumbat, gratiam mihi à Domino impetrare.

AVE MARIA.

COnsecro cõcionem hanc suauissimo huic Mariæ cantico: vt & concio ipsa, & fœlix sit cum ea Prædicator. Dulcis, non inficior, erit tota; quod à concionum fine videtur abhorrere; cum exigant hæ mistam dulcedini acrimoniam; sitque pungens, & *Viuus sermo Dei, & efficax; & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ, & spiritus, compagum quoque, ac medullarum.* Sed enim dulces etiam potiones intimè penetrare solent viscera; noxiósque à salubribus humores sequestrare, quo maximè purificantur ilia, fibræ, exta. Vtinam eodem nos, quo Maria, Spiritu indueremur, pronuntiantes cum ea quoduis cantici verbum eadem deuotione, eodem spiritu: nihil quidem deesset, quominus beati diceremur. Precor vos, auditores, vt simul, ac me diuina hæc Mariæ verba pronuntiantem audieritis, concinatis & vos, suauissimam matrem subsecuti: erit integrum vobis, dicere cum Maria: *Ecce enim ex hoc beatos nos dicent omnes generationes.* Cum captiuum in Ægypto populum Israël grandi Deus liberauit miraculo, solidam in media abysso aperiens semitam, qua in promissam patriam traiecerunt, lætissimæ omnes cum viris fœminæ gratum Domino ouantes Hymnum decantarunt, incipiente sorore Aaronis Maria, reliquisque eam subsequentibus. *Sumpsit ergo Maria Prophetissa, soror Aaron, tympanum in manu sua: egressæq; sunt omnes mulieres post eam cum tympanis, & choris, quibus præcinebant, dicens: cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est.* Vbi Septuaginta legunt: *Principium autem dedit illis Maria.* Quis dubitet, ideò diuinum hoc canticum nostrum à nostra sumptum ore Maria, vt eam nos, tanquam vnicam Ecclesiasticæ Choreæ, canticíque Ecclesiæ præcentricem, toto iubilantes corde comitemur? Maximè cùm Maria illa prima decantauerit: *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est*: Nostra Maria: *Magnificat anima mea Dominum.* Illa: *Equũ, & ascensorem proiecit in mare*: hæc, *quia fecit mihi magna, qui potens est*: magna adeò magna, vt & nos omnes comprehendant, eductionem à iugo peccatorum, viam formam in huius sæculi abysso, vt ad cœlestem patriam transeamus: clausarum eiusdem pa-

Hebr. 4 12.

Maria ducatrix nostra dum à misera eximus captiuitate.

Exod. 15. 20.

Septuag.

triæ reserationem portarum, æternam maiestatis suæ manifestationem in cœlestibus. Hæc etenim omnia in nos fecit misericors Dominus, dum se in Virginis ventre hominem fecit: pro quo munere canit ei Maria suauissimum hunc, quem omnes hymnum concinámus. Nec minùs profunda Prophetissa Maria nostra, quàm prima illa; sed maior longe, atque profundior. Illa enim ob id solum Prophetis appellatur, quòd Dei iussu concinuerit: Maria nostra, & Deo cecinit regente, & mirabilia edidit vaticinia futurorum. Sufficit summum illud: *ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*

Cant. 2. 14. Eia ergo, suauissima Virgo, *Sonet vox tua in auribus nostris. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.*

Incipe virgo prior: te nos modulante camœna
Sectamur lepidi: Vox tua dulce melos.

Luc. 1 46. *Magnificat anima mea Dominum.* O rerum artifex supreme, terræ, & cœlorum sapientissime Rector, Prouisor omnium pientissime, profundissime arcanorum dispositor, mirabilis mirabilium adinuentor, anima mea te magnificat, te colit, te diligit, te exaltat: te prædicat vnum anima mea: te dulcibus modis proclamat. *Magnus es tu*: imo *quis Deus magnus, sicut Deus noster?* Nequeo ego te magnificare, vt ampliorem faciam, aut maiorem: tamen quoad in me est, ego te magnifico: vellémque exinaniri, ac coarctari, vt magnificetur gloria tua. *Magnificatur Deus*, ait Origenes, *quando eius imago grandis efficitur.* Glossa: *Deo nihil potest adiungi: sed magnificatur in nobis, dum Christo per iustitiam conformamur.* At S. Bernardus: *Cum autem Elisabeth à Spiritu sancto edocta, miraretur personam Mariæ venientis, dicens: Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me, & beatificaret fidem credentis: deuota Mariæ humilitas nihil sibi passa retinere, in eum magis vniuersa refudit, cuius in se beneficia laudabantur. Tu*, inquit, *magnificas matrem Domini: sed magnificat anima mea Dominum.* Eidem Mariæ humilitati canticum attribuit Ildefonsus, dicens. *In nullo de se præsumpsit Virgo: in nullo aliquid de se altum sapit: sed tota in Deo exultat, & tota eius anima Dominum magnificat.* Cæterum B. Bonauentura canticum refert in amorem, quo accensa in hymnum erupit sancta Virgo. *Anima, quod amat hoc magnificat, & in hoc exultat. Idcirco anima Mariæ*

Psal 47. 2. Psal. 76. 14.

Origen. Luc. 1. Glossa Luc. 1. Bernard. serm. signũ magnum.

Ildefon. serm 2. de Assumpt.

Bonauent. in speculo. c. 4.

Deum

Deum decentissimè magnificauit, & in Deo firmissimè exultauit, quia Deum excellentissimè amauit. Sed quid psalmi Mariæ inquiram interpretes? Nouum canticum est. Sola canticum protulit Maria; nemo ante eam vnus; neque Angeli. Ideò sola hæc psalmi nouit sententiã. Sola Maria nostra, & Deum scit magnificare; & scit, quidnam sit, magnificari Dominum ab anima. Dixerat prior illa Maria; *Cantemus Domino; gloriosè enim magnificatus est*; cuius cantici plures habuit interpretes. Pagninus legit ex Hebræo, *Magnificando magnificatus est*. Vatablus, *Magnificè magnificentiam suam exercuit.* Oleaster: *Eleuando eleuauit se:* Hebræa enim dictio Gaad, eleuare se significat. Kaldæus Paraphrastes: *Magnificatus est super magnificos; & magnificentia illius est.* Fortè aliquid horum nostra intendit Maria; sed veriùs me arbitrari arbitror, diuinam hanc Mariæ locutionem soli cognitam esse, & ei, quem solum magnificat, Deo, & ei, quæ loquitur Mariæ. Est supernaturalis prorsus locutio, sicut & mysterium, cui innititur, penitus est supernaturale; Deum in ventre eius hominem factum, Virgineo filium vtero gestari. Cumulatus à Deo multis muneribus Tobias, & eis quidem naturalem rerum cursum excedentibus, quòd à lata iam mortis sententia sæpius esset ereptus; quòd custodem Angelum supremo ex choro Raphaëlem filio suo accepisset ductorẽ, ad recuperandam in longinquo loco sibi debitam substantiam; quòd ab eodem Angelo fuisset matrimonio locatus filius ille, datâ ei coniuge honestissimâ, nobilissima diuite, pulcherrima; ad hæc & prudente, atque sanctissima: quòd eundem Filium liberauisset Angelus ille à Dæmonio, septem eiusdem fœminæ sponsorum peremptore: quòd filio ipso cum vxore alacriter reducto, eiusdem senioris Tobiæ cæcos aperuisset oculos: multáque in vtrumque bona contulisset, aperiens os suum, benedixit Dominum, & dixit: *Ego autem, & anima mea in Domino lætabimur. Benedicite omnes electi eius: agite diem lætitiæ, & confitemini illi. Anima mea, benedic Dominum; quoniam liberauit Ierusalem, ciuitatem suam à cunctis tribulationibus eius. Beatus ero, si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Ierusalem.* Quantò altioribus Dei donis euecta potuit dicere Maria; anima mea magnificat Dominum, qui ad tantam me erexit dignitatem, vt matrem me

Pagnin ibi. Vatabl. ibi. Oleast ibi. Hebræa. Kaldæus.

Tobiæ 13. 10. 19.

elegerit suam, sumpserit ex meis visceribus carnem, homo in eis factus: fecerit me veram, virginitate illæsa, genitricem: veniáqtue nunc in vtero meo, quo ego eum porto; atque alimento meo nutriatur? *Magnificat anima mea Dominum.* Soror mea Elisabeth, & præ senectute, mater mea, audi quæ dicam, & considera. Ex duabus his, quibus sicut cæteri quiq; partibus consto, corpore & animo, corpus meũ Dominum coarctat, restringit, inuoluit, circundans vtero, iuxta celebre illud vaticinium. *Fœmina circundabit virum*, ea paruitate, qua *paruulus filius datus est nobis*, in vtero meo *formã serui accipiens.* At si corpus meum Dominũ coarctat: *magnificat anima mea Dominum.* Magnificat quidẽ anima mea; quatenus videntes cœlites vniuersi, quàm profunda eum adoratione suspicio coarctatum in me, abreuiatũ, restrictum: eadem, & ipsi adorent reuerentia, ante vterum meũ genuflexi. Nulla quippe arte tantum magnificari potuit Deus, quantũ vna ista, qua, etiam coarctatus abreuiatus, incarnatus, adoratur ab Angelis, vnitam ei carnem, cùm corruptibilis sit caro, quòd ei vnita sit, tanquam Deum ipsum adorantibus. Adiuua me ergo, soror mea, magnificare Dominum nostrũ; qui & te ita magnificat, faciẽs, post perpetuam sterilitatem, genitricem, genitricem Præcursoris sui, qui in ventre tuo clausus meum in ventre meo adorat Filium, intimè, vt ipsa fateris, gaudens, & exultans. *Concine, sancta soror: quoniam conuenimus ambæ: Tu calamos inflare leues; ego dicere versus.*

Maria Deũ ventre coarctans, magnificat anima.

Deus quòd humanatus formam serui acceperit, summopere magnificatur.

Resonat in vtero tuo infantis tui sonus, tanquam calami, canticum meũ præuenientis, & subsequentis vocem meam, vt ipsa testaris, alacris dicens: *Vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo.* Ecce in ventre tuo exultauit Filius tuus.

Luc. 1. 44.

Et exultauit Spiritus meus in Deo salutari meo. Exultat valde in Deo Maria: exultat & Ioannes ad eiusdem Domini præsentiam, cũ in maternis vteris absconsi sint ambo; totaq; vndecumque exultat domus. Sed quis est, qui in Deo nõ exultet? Est maximè propriũ Deo, vt vbicunque est, quocunque intrat, omnia hilaritate repleat, & solatio. In tantùm, vt ideo beati sint, quicunque in cælos admittuntur, quòd ibi Deum intueantur perspicuè, in quo summa consistit beatitudo: vt probat S. Thom. & dicit his verbis Aug. *Illa visio Dei sola est*

Luc. 1. 47.

S. Tho 1. 2. q. 3. art. 4. & q. 4. art. 1.

Aug. lib. 1. de Trinit. c. vlt.

Gaudium in Dei præsentia consistit.

Deus præsentia sua adstantes exhilarat omnes.

Beatitudo est videre Deum.

Ierem. 31. 22. Isai. 9. 6. Philip. 2. 7.

summũ bonũ nostrum: cuius adipiscẽdi causa præcipimur agere, quidquid agimus. Sed in visione hac esse singulariter gaudiũ, expressit alibi Aug. ipse, dicens: *Beata vita est gaudium de veritate, Hoc est enim gaudiũ de te, qui veritas es, Deus illuminatio mea.* Sufficiat expressus ille summi vatis textus: *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua vsque in finem.* Quod si vultu Dei exhilarantur aspiciẽtes: quidnam faciet mater, quæ in suo eũ vtero portat? Non solùm gaudebit, sed etiã exultabit. Ecce ipsamet simul exultat, & canit, canit; *Exultauit Spiritus meus in Deo, salutari meo.* Imo ad solã inclusi in eius vtero Dei præsentiam exultat inclusus vtero Ioannes: quoniã profectò in Dei præsentia cõsistit, vt cecinit Boëtius. Beatitudo; atque adeo salatiũ, ac tripudium. Eo vel maximè, quod occasione prima, qua humanatus Deus egreditur domo, omnia impleat solatio, ad eius spectat maiestatẽ. Adeo verum est, vt sola Regis huius facta per fidem repræsentatio intimè exhilaret fideles, vt testatur Apostolorũ Princeps, dicens: *Quem nunc quoq; non videntes, creditis, credentes autẽ exultatis lætitia inenarrabili, & glorificata, reportantes finẽ fidei vestræ, salutem animarũ vestrarum.* Si lætitia hæc inenarrabilis est, si glorificata, si fidei finis: quis narrabit gaudium, quo exultat virgo, gerens in vtero Deũ ipsum hominem factum, genitum ab ea, filium suũ? Quàm inenarrabile? quàm glorificatũ matris gaudiũ? quàm glorioſa Deiferę exultatio: Porrò si est sapientis Prouerbiũ: *In hilaritate vultus Regis vita:* quanta existimabitur exultatio adstãtibus infusa à præsentia illius, qui est *Princeps Regum terræ, qui & Dominus Dominorũ est, & Rex Regum?* Addo Prouerbium hoc, *in hilaritate vultus Regis vita,* aliter in Hebræo legi: nempe *in luce vultus Regis.* Si in luce hac, quæ non verè lux, sed est lux metaphoricè, tanta est adstantium exultatio, vt eorum vita nominetur; quantum, (O summe Deus) erit in tua gaudiũ præsentia, cùm verum lumen, lux inextinguibilis non solum sit in vultu tuo, sed etiam sit tu ipse, qui vera lux es, immensa, infinita, incircunscripta? *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ,* ait Ioannes. Vnde humanatus Deus *erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,* vt est in Euangelio. At qui ideo gaudium summum, summa obiectiua beatitudo est Deus ipse, quod lux ipsa sit, purissima, candens, indeficiens.

Augusti. lib. 10. confess. cap. 23. to. 1.

Psal. 15 11.

Boetius Prosa 10.

Fide vera exhilarantur credentes.

1. Petr. 1, 8.

Prou. 16. 15.

Lux est Deus, & ideo summopere lætificans.

Apoc. 1. 5. Apoc. 17. 14 Hebræa in 16. cap. Prouer. Laurentius ibid.

Deus lumen est, & fons luminis; atque adeo summopere exhilarans adstantes.

1. Ioan. 1. 5. Ioan. 1. 9.

Psal. 35. 10.

Apud te est fons vitæ; & in lumine tuo videbimus lumen. Priuatus oculorum lumine Oedipus, nullum ne à filia quidem, admittebat solamen. Sed dicebat.

Seneca tragicus in Thebais, act 1. *Non video noxæ conscium nostræ diem.*

Sed mirandũ magis, quòd salutatus ab Angelo Tobias verbis istis: *Gaudium sit tibi semper*, respondet, dicens: *quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video?* Quantò longius erit à gaudio, qui lumine illo orbatus est, quod est fons luminis? quàm lætus, qui tali lumine fruitur? Fruuntur autem, vel in seculo hoc, quicunque in visitationibus suis sancta proferunt verba, sanctis conuersationibus intendunt, Mariam & Elisabetham imitati. Nam sicut conuersationi illi aderat Deus: ita in quauis alia, quæ sancta est, se adesse fatetur. *Vbicunque fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*: tametsi non corporaliter, vt in ista Mariæ visitatione: consequentes, qui indecentibus, vel ob impudicitiam, vel ob murmurationes, vel ob aliam quamlibet minùs honestã causam conuersationibus intersunt; Deũ ab eis, & à seipsis longius propellunt. O auditores mei, si iucundissimam conuersationũ, in quibus Deus adest, dulcedinem sciretis! *Non enim habet amaritudinem conuersatio illius: nec tædium conuictus illius.* Est illustrans mentes conuersatio, vtpote in medio lætissimi luminis habita. Tantũ profectò, tamque splendidum est, vt vsque ad infimas effundatur terras, exhilarans eos, qui ad illud accedunt, dicente Vate Regio: *Accedite ad Deum; & illuminamini.* Sed quomodo potest, vel accedere ad lumen, vel discedere quisquam, si infinitum est lumen, omniáq; ex æquo diuinitus cõplens? Vtique solus ille accedit ad hoc lumen, lumenq; ipsum soli illucet illi, qui fide, spe, charitate, iustitia, operibus bonis, corde puro Deũ quærit anhelus, ad eumq; humilis accedit. *Exortum est tenebris lumen rectis*: cæteris eo miserè priuantur culpa sua; quoniam lumini huic, & sibi ipsis tetrã interponunt peccati nubẽ: id, quod Ierem. deflet asserẽs: *Opposuisti nubem tibi.* Quæ ergo lux exhilarabit eũ, qui prauis cordis sui affectibus, quasi densissimis vaporibus nigram inter seipsum, & iustitiæ solem ponit nubem? *Nonne lux impij extinguetur; nec resplendebit flamma ignis eius? Lux obtenebrescet in tabernaculo illius: & lucerna, quæ super eũ est, extinguetur.* Verba sunt Baldad

Tobiæ 5. 11

Matt. 18. 20.

Sap. 8. 16.

Psal. 33. 6.

Psal. 111. 4.

Ierem. Thren. 3. 44.

Iob. 18. 5.

Conuersationibus sanctis assistit Deus: fugit ab indignis. Visitationibus, in quibus sancta est conuersatio, interuenit Deus, discedit ab impuris.

Iusti latantur summopere diuina luce, Deo.

Impij priuantur luminis lætitia. Gaudia impiorum scintilla modica, vix oriũ extincta,

Fœlicitas impiorum scintilla parvula.

Impiorum prosperitas vanissima.

Impiorum gaudia scintillæ modica.

in libro Iobi. Non dicit, impio extingui lucem; sed lucem impij extingui; vt intelligatur propria impij lux, propria discretio, propriumque consilium, vt intelligit Vatablus, constatque ex sequentibus: *Nec resplendebit flamma ignis eius.* Eò vel maximè, quòd Hebræum nomen, *Sabib*, & flammam significat, & scintillam. Quare scintillam ex Hebræo verterunt textu Rab. Dauid, & Rab. Mardochai. Ait ergo Baldad, scintilla ignis impiorum, quamuis flamma à longe videatur, minime quidem resplendebit. Nempe impiorum lux, impiorum lætitia, impiorum fœlicitas, nequaquam, ne in suis quidem ædibus, splendebit, lætificabit, iucundabit; quoniam parua scintilla est, ad modicũ parens, & tanquam fulgur, quod vix exortum euanescit. Non relinquetur in domo impiorum vel modica luminis, prosperitatis, aut fulgoris scintilla. Et cum legãt Septuaginta; *Non procedet lumen impiorum*, infert Catenæ auctor; *Impij, qui in sublime prouehuntur; breui inclinationem patiuntur, ac tenebras.* Est discrimen illud inter gaudia impiorum, & infusam à Deo exultationem, quod est inter lucem terræ, & lumen cœli lux à cœlesti oritur fonte. Sole nimirum, non violenta, non extorta; sed naturaliter emanans, sicut ex scaturigine nascitur aqua: Imo magis naturaliter: at lumen terræ nullum habet fontem; sed ex terrestri prodit semine, sicut alia quæque terræ arbusta; ex silice nempe, propria terræ parte. Scintillæ namque in silice absconditæ semina quædam sunt, ex quibus ignis, ex quibus igneę prodeunt flammæ. Dixit graphicè Poëta *Pars semina flammæ abstrusa in venis silicis.* Heu miseros homines! qui vel lucem ipsam, si infra Deum quærunt, non nisi terream, non nisi obscuram, non nisi tetram, non nisi tristem adinueniunt! & hanc quidem labore non exiguo perinde, ac alias quasque res, quæ terræ cultu germinant; aliàs minimè. Considerate (obsecro) qua ex silicibus ignem arte eliciatis. Multis excussorio ferramento silicem ictibus concutitis, vt ignis tandem pariatur. O mortalium fallaciam! Hæc est vestra lux, hic vester splendor, hic fulgor vester, vester candor. Ictibus violenter extractus: ictibus multis, tanquam ex durissimo silice, ferrea tegula quassato. Quòd si gaudium est lux; talia sunt quidem gaudia vestra, tales exultationes, talia tripudia, dum ea in terris pro-

Vatablus ibid. Hebræa. Rab Dauid in libro Rodic Rab Mard. in concordãtiis.

Septuaginta in c. 18. Iob. Auctor Catenæ.

Simile.

Gaudia mundi ictibus violenter extorta.

Vergil. 6. Æneid.

curatis. Et (quod miserabilius) paruam, post multos ictus, elicitis scintillam: scintillam lucis, scintillam vani fulgoris, breuis iubili scintillam. O quàm breuis voluptatis scintil-
Sap. 3.13. la, quàm multis ictibus elicita! *Infœlix est, & vacua spes illorum; & labores sine fructu*, ait Sapientia ipsa. Quot ictuum labores pro scintilla extincta simul ac extorta! Et cum vna demum, post concussiones multas prodit scintilla, arido hęc comprehenditur fomite; carne videlicet; quæ vrentis vitiorum ignis fomes est: in qua carnale gaudium consummatur, nullo Spiritus gaudio, nulla exultatione. Huiusmodi enim, quæ & carnem scilicet afficiat, & animum, nulla, nisi in Deo, esse potest exultatio. *Cor meum, & caro mea exultauerunt*
Psal. 83.3. *in Deum viuum*, dixit Rex contemplator. Maria; *Exultauit Spiritus meus in Deo, salutari meo.* Quid, quòd extortum sic à silice lumen, fomitéque receptum, ardet in lychno, adipis crassitudine circundato. Eget lumen istud creberrima lychni emunctione; nigrum exhalat fumum, inficit vicina loca fuligine. Talis est lux, talis lætitia, quæcumque à diuina differt luce. Tetrum infamiæ spargit fumum populo; tetram peccanti ipsi animæ fuliginem, mœrorem, tristitiam, afflictionem. Nigram tenebrarum, ex gratiæ priuatione, fuliginem. Ipsum tandem animi, ac Spiritus adipem, carnemque ipsam turpiter consumit. Quàm longè sunt ab exultatione Spiritus, qui terrenis inhiant voluptatibus! Quidnam facis, peccator, cùm turpibus te oblectamentis addicis? Ligas institis tuis fulgentissimos diuini solis con-
Psal. 118.61. cinnos; institis criminum tuorum, quas vates Rex, *Funes*
2.Cor.6.15. *peccatorum appellauit. Quæ ergo conuentio lucis ad tenebras?* Lætificantis claritatis ad fuliginosas voluptates? Lucis ex luce
Psal. 32.10. naturaliter ortæ, ad extortum à silicibus fulgorem. *Apud te est fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen*, Domine Deus; quoniam tu quidem es *Lumen de lumine*: at infimarum fulgor deliciarum, nec in lumine est, nec exit à lumine; sed est abstrusa in venis silicis scintilla, deque silice violenter excussa.

Duo in scripturis legimus verba, quæ nullam extra Deum claritatem, gaudium esse nullum, apprimè commendant. Alterum est hoc, de quo nunc agimus; *Apud te est fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen.* Videri

enim in Deo, vt in lumine lumen, est Deum esse luminis fontem; quòd apertè indicat prima versus pars illa: *Apud te est fons vitæ.* Quòd si Deus fons luminis est vnicus; consequens est, neminem nisi in Deo vera posse luce delectari. Est alterum verbum apud librum Sapientię, *Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat.* Mira profecto loquendi ars; substantia Dei ostendit dulcedinem. Nullius rei quantumcumque suauis, substantia exhibet dulcedinem; cùm dulcedo quæuis accidens sit; non ipsa rerum naturalis substantia. quid ergo innuit genus hoc locutionis, substantia tua ostendit dulcedinem; nisi doctrinam manifestam, quòd Dei substantia dulcedo ipsa sit, & dulcedo substantia? Si ergo dulcedo substantia Dei est; nullam, nisi in Deo, esse dulcedinem, plana est consequentia. Vnde etiam fit; vt esse quempiam in dulcedine, & in Deo esse, nulla distinctione diuidantur. Est in Maria Deus; est in Deo Maria: quomodo potest in ipso pelago mersa dulcedinis non exultare iucundiore oblectatione, quàm in dulcis aquæ flumine pisces? *Exultauit Spiritus meus in Deo, salutari meo.* Sap. 16. 21.

Gaudia mũdi, & data à Deo gaudia valde differentia.

Risus vanus, & datus à Deo risus valde distantes.

Gaudia à Deo data, substantia sunt, non vanitates.

Sara risus notandus.

Tres pro sterilibus fœminis visitationes Dei, ad eas miraculo fœcundandas, in sacris litteris considerans generalem in eis exultationem intueor. Prima fuit, qua *Visitauit Dominus Saram*; cuius visitationis affectus fœcunditas fuit, qua in annosa centum circiter annorum ætate *Concepit, & peperit* seni eiusdem ætatis Abrahamo. Fuit Dei ipsius visitatio; at non persona propria; sed per nuntios suos tres videlicet Angelos, humanis virorum formis diuinam repræsentantes Trinitatem. Cum quo fœcunditatis effectu fuit coniunctus hic lætissimæ omnium hilaritatis, exultationis, & gaudij. Nam ipsa imprimis vetula Sara vel solo fœcunditatis suæ nuntio risit; Abraham pater exultauit; conceptus filius risus ipse fuit; risusque nomine appellatus. Fuit profundissimæ considerationis risus iste. Audiens enim Sara, filium à se tam arido in senio concipiendum, abscondit faciem post cubiculi postem, risitque vehementer, quasi conceptus ille per iocum, ac risum diceretur. *Dixitque Dominus ad Abraham; quare risit Sara? Numquid Deo quidquam est difficile? Negauit Sara? dicens; non risi: Dominus autem; non est, inquit, ita; sed risisti.* Concepit ergo, & peperit Sara; quæ Gen. 21. 1. Gen. 18. 1. Gen. 18. 13.

Gen 21 6. cernens filium in manibus suis, pristini recordata risus, dixit: *Risum fecit mihi Deus.* Nunc scrutandum, cur risum Saræ ægre tulerit Dominus, qui ei ipse risum fecit? Vtique datus à Deo visitationibus risus, non est ridiculus risus, sed verus; qui intimam scilicet infundit cordi exultationem. Ideo ostendit fastidiū edito à Sara risu, cui iucundissimum ipse risum infudit. Perpendite, quęso, infinitam risus, & risus distantiam. *Sara risit post ostium tabernaculi.* Risus Saræ est: à Sara exit risus iste: ideo arctissimus est, atq; minutus; tamque paruæ voluptatis, vt rideat sola sine comite, cùm rideat abscondita post ianuæ fores. Tamque indignus communicari risus, vt ad ridendum, in angulo se abscondat occulto: id, quod iteratò notat textus, dicens, *Risit occultè.* At ille, quē fecit Deus, risus, dignus quidem est, qui manu Dei factus prædicetur; *Risum fecit mihi Dominus.* Risus iste est Isaac, quem Deus in Sarę vtero fecit. Videte qualem risum, quāque pleni cordibus gaudij, atque solatij. Fecit Deus Filium sterilibus post centum annos parentibus: filium magnarum hęredem copiarum, quas absque hærede erant relicturi: filium, ex quo orietur Dei Filius: Filium parentes suos super omnes mundi Reges magnificantem, extollentem, honorantem. Ecce reprehendit Deus Saram pro ridiculo risu; at indidit ipse risum verum. *Risum mihi fecit Deus,* ait Sara. Nō est risus hic, qui ab humano corde posset exire, excedit naturalem lætandi facultatem; *Hunc quidem risum fecit mihi Deus.* Exultauit item genitor Abraham visitatione ista, vt testatus est filius eius, Dei Filius, dicens; *Abraham exultauit, vt videret diem meum: vidit, & gauisus est.* Quæ exultatio facta est die illo, quo à Deo visitatus genuit filium. Estq; impensè notandum, quòd ex gignendo tandem semine ex suo per medium Isaac, Domino Christo processerit exultatio illa magis, quàm ex præsenti eiusdem Isaac natiuitate. In illa enim visitatione dixit Dominus Deus: *Benedicendæ sint in Abrahamo omnes nationes terræ:* quod propter gignendum dixit Christum; quo soboles illa honorata fuit, & benedicta. Filius quoque ipse è Sara natus non dicam, risit, sed risus ipse fuit. Nomen enim Isaac Hebraicè, risus Latinè est. Propterea enim est Isaac appellatus, quòd riserit Sara, dixeritq; cùm peperit, *Risum fecit mihi Deus.* Peruenitque ad domum

Gen. 18. 10.

Gen. 18. 11.

Ioan. 8. 56.

Gen. 18 18.

Hebræa.

eius

eius totã,ad omneſq;riſus auditores,dicente Sara ipſa. *Quicũq; audierit, corridebit mihi.* Omnis itaque exultatio in Deo fũdata eſt. In Deo Saræ exultatio,& riſus;*risũ fecit mihi Deꝰ*: in Deo patris exultatio: *Abrahã exultauit,vt videret diẽ meũ.* Riſus Iſaac in Deo:& generalis in Deo riſus& lętitia:cũ omnes corriſerint Sarę eodẽ riſu,quo ridebat ipſa,&exultabat. Gen.21.6.

Anna Samuelis viſitatione Dei exhilarata.

Secunda infœcundæ fœminæ à Deo facta viſitatio initium fuit librorum Regum. Erat afflicta nimis Anna;cùm vxor mariti ſui altera frequens pareret filios, nullum ipſa; quæ propterea infeſtabatur ab alia, exprobrante ſibi, quòd tanquam abiectæ atque deſpectæ, Dominus vuluam eius concluſiſſet. Quo iugi opprobrio flebat iugiter Anna, nullamque, præ dolore buccellam poterat glutire. Sed poſt diuturnas afflictæ lacrymas,ac preces,ſecuta eſt ſterilitatem fœcunditas; qua peperit Filium, *Vocauitque nomen eius Samuel,eò,quòd à Domino poſtulaſſet eum.* Hunc continuò ablactatum adduxit in templum, obtulitque cum muneribus Domino; quem humiliter adorans, ſimilem hodierno erupit in canticum,dicens: *Exultauit cor meum in Domino;& exaltatum eſt cornu meum in Deo meo.* 1. Reg. 2.1

Fuit tertia ſterilibus facta viſitatio glorioſiſſima iſta, qua Deus ipſe perſona propria, carne indutus humana viſitat ſterilem Eliſabeth,ductus diuina lectica Marię,cœleſti illo, quod *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis libani;columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum; media charitate conſtrauit,propter filias Ieruſalem.* Quanto alacrior exiſtimanda eſt viſitationis huius exultatio? De hac vaticinatus fuerat Eſdras, quod Deus illi dixit amicè; *Reuelabitur enim Filius meus Ieſus, & iucundabuntur.* Exultant omnes viſitatione iſta: omnes gaudent, omnes iucundantur. Anus Eliſabeth ſancto impletur Spiritu, atque adeo gaudio, quod eſt Spiritus fructus: infans in ventre eius exultat: mutus aperit os, & lætus loquitur; *Benedictus Dominus Deus Iſrael: quia viſitauit. Viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ.* Fecit redemptionem copioſam adeo, vt clauſum adhuc vtero infantem redimat à peccato originali; vt cantemus hodie; *Copioſa apud Deum redemptio.* Sed ſuper omnes Mariæ exultat Spiritus, & labia concinunt; concinunt labia ſuauiſſimo hoc cantico, dum dicit, *Exultauit Spiritus meus in Deo, ſalutari meo.* O ſuauiſſime Cant.3.9. Luc.1.68. Pſal.129.7.

Deus! ô Domine mi! ô dulcedo! ô iucunditas! in te vno meus exultat Spiritus. Tu solus es exultatio mea: tu gaudium meum: tu lætitia vnica Mariæ. Tu meæ vnicum animæ solatium: Tu gloria mea: iubilatio mea; bonum vnicum meum. In te vno meum cor exultat: in te sensus mei; in te meæ omnes facultates: ipsa in te adhuc caro exultat mea. Nulla extra te consolatio mihi; nulla lætitia; nulla dulcedo, gaudium nullum, nec solatium. Canendi mihi, ac saltandi instrumentum solus es tu, præterea nullum. *Habent igitur amatores Spiritus crebram de Dei visitatione lætitiam*, ait spiritalis ille Hugo Victorinus. Sed plus vltra. Qui editum ab instrumento sonum sequuntur Musici, aut saltantes, in instrumento saltare dicuntur, & canere. Sic iubebat cantoribus magister; *In tympano, & psalterio psallant ei.* Quid ergo est, *Exultauit Spiritus meus in Deo;* nisi, exultauit ad sonitum illum, quem edit mihi Deus voce sua? Exultat Maria iuxta sonum, quo Deus prouocat eam; ne vno quidem gressu à vocis eius sonitu discedens. *Exultauit, ait, Spiritus meus in Deo, salutari meo.* In Deo sum, & in me Deus: quomodo possum cohiberi, quin lætitia summa exultet Spiritus, concinant labia, lingua canat dulcisona? Imo & interna quidem ossa exultant. Nam si deficere nequit vaticinium illud, *Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam; & exultabunt ossa humiliata*: quomodo possunt non exultare ossa cum Spiritu Mariæ? Quæ consequenter versum addit, canens.

Hugo de S. Victore libr. de gradibus cap. 2.

Psal. 149. 3.

Psal 50. 10.

Maria ambulabat, dirigēs gressus suos iuxta sonitū Dei, tanquam Musici instrumenti.

Opera sua debent dominas dirigere, ambulantes iuxta sonitum, quem Deus illis tanquā instrumentū musicum, facit.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. O stupendam Mariæ humilitatem! Conditionem suam humilitatem vocat ancillæ: quam humilitatem non intelligit eam, quæ virtus est; sed eam, quæ est paupertas, & abiectio. Hæc quippe propriè appellatur humilitas, vt videre est apud locutionis Principem, Tullium, asserentem; *Quorum prima ætas propter humilitatem, & obscuritatem in hominum ignoratione versatur.* Quo intellectu sunt in Græco Euangelij textu verba Virginis ista, *Respexit abiectionem, & paruitatem ancillæ suæ.* Itaque paruam, abiectam, exiguam, pauperem se prædicat Virgo eo tempore, quo Dei mater facta est. Quod considerās, ait S. Bern. *Non magnum est, esse humilē in abiectione; magna prorsus, & rara vir-*

Luc. 1. 48.

Cicero li. 1. de officiis.

Græca. Luc. 1.

Maria humilitatis exemplum Humilitas vilitatem sæpe significat.

Humilitatis exemplum Virgo Dei para.

mus humilitas honorata. Quia ergo respexit huiusmodi humilitatem Dominus Deus, beatam me dicent omnes generationes, ait Virgo diuina. Non dicit, ob id me beatam prædicabunt, quòd mater Dei sim, quòd hominum Domina, quòd stella maris, quòd Regina Angelorum; sed quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Bernard. serm. 4 super Missus est.

Quia fecit mihi magna, qui potens est: & sanctum nomen eius. Omnia sunt animi humilis verba. Non dicit, propter eximia merita mea dicēt me beatam vniuersi; sed propter magnalia, quæ Deus fecit mihi, ob nominis sui sanctitatem, summamque ad erigendos abiectos pauperes potentiam. Luc. 1. 49.

Maria fecit Deus magnalia; & in ea ipsa fecit magna.

Fecit mihi magna, qui potens est. Non sunt ea, quæ nominibus propriis possint explicari; id solum possum dicere, magna quidem esse ea, quæ Deus fecit mihi, *Fecit mihi magna, qui potens est;* Summæ namque sunt ista potestatis, *Fecit in te magna, qui potens est; & data est tibi omnis potestas in cœlo, & in terra,* ait Petrus Damianus. Sed cur dicit Maria, *Qui potens est, & sanctum nomen eius?* Nisi, vt ostēdat, Dominum Deum non ob ipsius merita, sed propter nomen sanctum suum, hæc fecisse magnalia, volens se generali illa sententia comprehendi; *Non propter vos, ego facio, domus Israel; sed propter nomen sanctum meum. Hæc dicit Dominus; in die, qua mundauero vos ex omnibus inquinamentis vestris, & instaurauero ruinosa, & terra deserta fuerit exculta, quæ quondam erat desolata in oculis omnis viatoris, dicent; terra illa inculta, facta est vt hortus voluptatis.* Ecce portatus Mariæ vtero Deus purificat à cunctis mundum inquinamentis, etiam ab originali nondum natum infantem, instaurat ruinosa, labascentem præ senio Elisabeth, eiusque coniugem similiter senem: est exculta arentis vteri terra, quæ iam pro derelicta habebatur: densus mōtanorum locus factus est hodie hortus voluptatis amœnissimo Mariæ ingressu, quouis gressu suo suauissimam rosam producentis. Quum fuit Deo infensus parens hominum primus, *Emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis; & collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atq; versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.* Hodie facit Deus nouum in terris paradisum, priori illo longe glorioſiorem: in paradisum conuertit montana solo Mariæ introitu, Mariæ Virginis Deiferæ: Collocatq; Cherubinos ibi

Petrus Damian. ser. de Natiuitate.

Ezech. 36. 22.

Gen. 3. 24.

Maria & filius eius Cherubini duo in ianua paradisi ad aperiēdam eam filijs Adæ.

duos (nã nomen Cherubim plurale est, duos indicans Cherubim) Christum, & Mariam; non ad impediendũ cuiquam ingressum; sed ad pandẽdum potius, vt hinc iam omnes nouum ingrediantur paradisum. Non flammiferum gladium; sed flammas iniicit amoris, quibus ardet Maria adeo, vt suus in Deo exultet Spiritus; tanta nihilominus humilitate permistos, vt planè fateatur, non propter propria merita mea; sed propter nomen sanctum suum, fecit hæc mihi Dominus magnalia.

Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eũ. Magnalia hæc, quę Domin⁹ noster, ô Elisabetha, mihi fecit, nõ soli mihi proficua sunt, atq; honorifica; sed vniuersis vbique generationibus, nationibus cũctis. Ad omnes quippe extẽdit se clemẽtissima hæc Dei misericordia qua in vtero meo factus homo, vniuersos Adæ filios saluat, & glorificat; quo suo videt cautos timore. Timore illo, qui proprius est filiorũ timor, ex filiali amore natus, vt qui nõ infligẽdas timet pœnas (quãuis & timor iste laudabilis sit, salutisque initiũ cõsequẽdæ) sed omnẽ Dei offensionẽ, cauetq; diligẽter, ne vel apice minimo ab eius discedat beneplacito. Quæ sacrarum est doctrina scripturarũ, apud Exod. Psal. Euangel. Matth. Apoc. & SS. Patrũ, Aug. Basil. Atha. Irenæi Cyp. Nazianz. Greg. & S. Tho. cum vniuersis Scholæ Professoribus. Vnde circa suauissima hæc Deiferę Virg. eloquia dixit Beda; *Quasi dicat Maria; nõ mihi solũ magna fecit, sed in omni gente, qui timet Deũ acceptus est illi.* Theoph. item; *Timẽtes, & nunc, & in futuro seculo misericordiã cõsequũtur.* Sed cãtus progressum audiam⁹.

Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui. Nullũ sine humilitate cãtici verbũ. Dispersit superbos; sed quoniã dispersit? Brachio, & corde. Actu mentali, & executorio. Quo brachio? Qua mente? Minimè potuit plus vltra põderari actus vterque. Nõ solũ mente; non solũ corde, sed corde, & mente disiicit superbos. Imo disiicit mente cordis sui, mente sui matris, sui iudicij, dictaminis sui. Noua profecto ratio loquendi: propria humilimæ Virginis, quæ cùm propriũ Dei, vt quæ illũ genuit, noscat ingeniũ, peregrinis rem exaggerat verbis, dicens, *Mente cordis sui.* Mente sua, quoad æstimationem: & quoad affectum corde suo. Brachium autem, quo disiicit superbos, est ipse Dei Filius,

Luc. 1. 50.

Exod 20. 20. Matt. 10 2. Apoc. 14 3. Aug. lib de catechizãd. rud. b ca. 5 Psal 33. 12. Isa 11 3. S Tho. 2. 2. q. 19. ar 1 5. 7. Aug. tracta in Epist. Ioan. Basil. concio. 8. in Psal. 32. & concio 9. in 33. Atha. in vita initio. Antonij. Irenæ li. 4. c 31. Cypri. de laudibus. Martyr. post med. Naz. orat in sancta lumina Bed. Luc. 1. Theoph. ibid.

Maria medium per quod vtitur Deus misericordia à progenie in progenies.

Timor filialis est seruilis.

Humilitas Mariæ sapius ostensa.

Maria sapius se humilem, imo in omnibus humilem exhibuit.

Superbos totis Deus viscribus, totis viribus conterit, & disiicit.

Christus brachiũ Dei.

qui ideo in ventre Virginis formam accepit serui, vt superbos confundat, & dispergat. Filius quippe iste brachium est Dei, de quo Isaias: *Brachium Domini cui reuelatum est?* Id enim ex sequentibus in textu non obscurè constat, estque commoda Augustini expositio cunctis accepta. Iuxta quem intellectum explicant hæc B. Virginis verba glossa interli. Beda, & reliqui. Qua consequenter Dominus Deus mente.

Isa. 53. 1. Augustin. contra ser. Arian. Glossa interli Beda Luc. 1.

Superbos vt confunderet, formam Filius Dei accepit serui.

Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Sanè vel ipsamet filij Dei humilitate, qua ex muliere factus est homo, potentes mundi manent iam deiecti, atque confusi. Quoniam Christi paupertas, & abiectio excelsam iam tenet dignitatem, firmam sedem. Non dissimiliter,

Luc. 1. 52.

Potentes mundi ipsa humiliantis se Dei humilitate deiecti manẽt, & confusi.

Esurientes implenit bonis, & diuites dimisit inanes. Replet spiritalibus bonis famelicos, pauperes, egenos: qui pauperes spiritu sunt, prophanarum contemptores diuitiarum. Dimittit vacuos diuites illos, qui terrenis his contenti diuitijs, æternas quærere despiciunt: nec eo ordine vtuntur temporalibus, vt eis comparent cœlestes.

Luc. 1. 53.

Suscepit Israel puerum suum: recordatus misericordiæ suæ. Ecce iam Deus factus est homo; vt dispersos Israëlis filios instauret, congreget, honorificet, saluet; & à se auersos reconciliet. Sunt vsque ad nostra hæc tempora miseri nostrates: dissipatus Israëliticus populus, valdéq; diminutus, ob crebras eius vastationes à gentibus factas, in multorum pœnam delictorum. Quales esse possunt homines isti, qui à Deo multis discesserunt offensionibus? Iam (gratias Deo) suscepit Deus Israel, populum suum in gratiam suam, dum me, Israëlis filiam, suam accepit genitricem. Iam noua hac Incarnatione obliuiscitur scelera, crimina, iniurias, offensiones: suæ duntaxat misericordiæ recordatus. Nam propter nimiam charitatem, qua dilexit nos; filium suum vnicum meum fieri filium, misericors voluit.

Luc. 1. 54.

Maria docet completas esse Prophetias omnes de primo Christi aduentu.

Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius in secula. Euge, soror, euge; gaude; exulta, iubila, lætare; completa est iam Dei pollicitatio, de fœliciſſimo eius ad humanam redemptionem aduentu. Promiserat quondam Abrahamo, ac nepotibus eius, nasciturum ex eorum semine Messiam: promiserat, & Præcursorem eius hominem Angelum verbis Malachiæ. *Ecce ego mitto Angelum meũ, & præparabit viam*

Luc. 1. 55.

Malac. 3. 1.

ante faciem meam: en completa sunt omnia: Messias est iam in vtero meo, ipsemet Deus factus homo: in vtero tuo Præcursor est eius, grandi vterque miraculo conceptus: omnia ergo iam completa sunt, sicut locutus est ad Patres nostros.

His Maria perfecit canticum suum. His suauitatis, his dulcedinis, his amœnitatis, his exultationis, his leporis vocibus, exclamationibus, laudibus, doctrinis. Non sunt ex ore eius tot verba alicubi relata, quot in vnico hoc expressit cantico. O diuina Maria! Si tam pauca tua, post canticum hoc, erant nobis verba referenda; cur tam cito canticum absoluis? cur tam suaui nos dulcedine priuas? Cane, Domina, cane; ne relinquas nos, cùm tui mel cantici adhuc est in ore nostro. *Sonet vox tua in auribus nostris: Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Cane adhuc, Maria; cane Virgo dulcissima. *Sicut vitta coccinea, labia tua: & eloquium tuum dulce.* Cur tam cito desinis, cantico nos tuo recreare? *Fauus distillans labia tua; mel, & lac sub lingua tua.* Hæc duo sunt, quæ ad demulcendum Elisabethæ infantem, tecum affers munera: *Mel, & lac sub lingua tua.* Omnes vbique infantes, quo primùm dudum nati reficiuntur, dulcis quædam est mellis commistio, & lactis, quibus illi lallant: quod Hispani dicimus, *Paladear alas criaturas*. Tu, diuina Virgo lac, & mel, ad demulcendũ Ioannis palatum, tecum affers; sed affers hęc sub lingua tua. Proferens verba tua verba hæc suauissimi cantici; mel & lac sub lingua tua dulciter habes. Omnia verba sunt mel; omnia lac verba; *mel, & lac sub lingua tua.* Cur sub lingua potius, quàm manibus tuis lac cum melle portas? Sanè adeo es pia tu, adeo clemens, & prouida; vt differri infanti vsque ad ortum delitias minimè patiaris; sed velis, eum, antequam nascatur, vtero incluſum, lacte mulceri, & melle tuo. Non potest autem naturale ouium lac, mel ve apum naturale vsque ad infantis os, dum in vtero latet, penetrare; ideo profers tu tale lac, tale mel, quod vsque ad clausum penetret infantem; mel, & lac linguæ tuæ; mel cantici tui, mel verborum tuorum, quæ sunt mel, & lac sub lingua tua. Ecce ad vocem tuam exultat infans: Curnam exultat, nisi ex eò, quòd tuis lallet vberibus? Non vberibus pectoris, quæ soli tui reseruantur infanti; sed tamen percipit mentis palato mel, & lac, quæ sunt sub lingua tua. Veniens hodie tuo in vtero Deus,

Cant. 2 14.

Cant. 4 3.

Cant. 4. 11.

Maria canticum vel cœlestes ipsos demulcet Angelos.

Visitatione sua fert Maria ad Ioannem mel, & lac, quibus demulceat palatum infantis.

ad visitandum latentem in ventre Præcursorem; duo illi diuina affert dona: ea tamen, quæ ille inclusus ventre possit accipere, rationis vsum, & habitum gratiæ: quibus vt tua, quæ affers ei accommodes munera, præstas duo ista, mel, & lac, quæ sunt sub lingua tua, dulcissimis verbis tuis dulciter infusa. Quum filius hic tuus natus fuerit *Butyrum, & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum*: nunc exhibes tu Præcursori eius, si non butyrum, quippe filio tuo vt quod perfectum magis, reseruatum, saltem mel, & lac, quod est sub lingua tua: vt sciat reprobare malum, & eligere bonum; vsus iam ratione in vtero ipso. Dixi initio concionis completum hodie vaticinium illud Amos: *In diebus illis stillabunt montes dulcedinem; & colles culti erunt*: nunc facio periodum concioni, addens verbis his Prophetiam Ioëlis: *In die illa stillabunt montes dulcedinem: & colles fluent lacte.* Colles Nazareth: montes Iudææ, quàm dulces istis in die ista! quàm melliflui! Ecce ascendens à Nazareth, in montana Iudææ affert Maria mel, & lac sub lingua sua; quæ stillant montes, quæ & ex collibus fluunt versùs cœlestia Angelorum loca, dulcedine tanta mulcendorum. Colligite, Angeli, colligite: colligite dulcia Mariæ verba: nullus eorum excidat apex. Colligite verba, dulcedinem aure, & ore colligite: Nam Mariæ lingua mel stillat, & lac, leporem, dulcedinem, suauitatem, & gloriam, ad quam nos perducat.

Isa. 7. 15.

Ioel. 3. 18.

IN EXPECTATIONE PARTVS B. V. MARIAE.

SERMO I.

Luc. 1. 29. *Cogitabat, qualis esset ista salutatio.*

VM omnis Samariæ regio miserabili propter clausum hominum sceleribus cœlum, calamitate affligeretur, deficiente, ob terræ sterilitatem, hominibus annosa, bestijs pabulo, sciens Elias tempus optatæ pluuiæ appropinquare, in supremum Carmeli montis verticem conscendit, vbi in terra pronus, posita inter genua facie, iussit puerum suum, vt contra mare intentus respiceret, si fortè pluuiæ præsagium appareret vllum. Qui cùm nullum se, post diligentem inquisitionem, dispicere narraret, 3. Reg. 18. 43 dixit rursus Elias: *Reuertere septem vicibus.* Reuersus ille, paruam septima vice vidit nubeculam: ex qua factus est magnus pluuiæ tumultus, qui terram totam inundauit, inebriauit, fœcundauit, copiosissiméque repleuit fructibus, & pascuis. Expectabant quondam Sancti Patres, sanctique Prophetæ fœlicissimum Filij Dei in terras aduentum, in modum pluuiæ, arentem vndique terram fœcundaturi: quem propterea tam anxij, quam indubij, sub pluuiæ specie intimis postulabant gemitibus, vt constat ex illis Isaiæ, *Vtinam diffrumperes cælos, & descenderes*: quod explicuit Dauid versiculo illo: *Descendet, sicut pluuia.* Prophetas omnes repræsentat Elias, vt notauit Glossa interl. in Matth. & magnus Albertus

Isa 64. 1. Psal. 78. 6. Glos. interli. in Matt. 18. Albert. magnus in 9. c. Lucæ.

Maria Dei para nubes expectatissima; ex qua cœlestis venit pluuia, Dei Filius.

Nubes ab Elia quæsita, & inuenta Mariam luculenter adumbrauit.

Christus expectatus quondam à Patribus; tanquam cœli pluuia.

Albertus super Lucam. Atque ita, expectata obnixè ab Elia nubecula, ardens illud, quo Dei Filium expectabant Patres, desiderium referebat. Illa autem Eliæ cæremonia, qua abscondens inter genua faciem, pronus sedit in terra, antiquorum mortem designauit Prophetarum, qui oculos ante aduentum Domini clauserunt, vt notauit Apostolus, quum scripsit: *Iuxta fidem defuncti sunt, non acceptis repromissionibus; sed à longe eas aspicientes, & salutantes;* sicut Elias à longe salutauit. Puer autem Eliæ Dominicum significat populum: quem pueri nomine ipse nuncupat Dominus, dicens Oseæ ore: *Puer Israel: & dilexi eum*; vbi nomine Israel intelligitur populus, vt liquet ex contextu, & legit Hieronymus. Populum ergo illum commonebant Prophetæ, esset vt intentissimus in spectatione illius nubis, ex qua expectatam exire pluuiam intuerentur, Dei Filium: cuius genitricem nomine nubis describit, dicens Isai. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem*; quam Dei matrem interpretantur omnes: Origenes præsertim, Euseb. Hieronym. Gazeus Procopius, & Anselmus. Hac de causa Christianus populus stat diebus his in flagrantissima Virginei partus expectatione: nempe nubis illius, quæ genitrix est; & Filij, qui est pluuia, Virgineo ab vtero expectata. Sed *Cogitabat illa, qualis esset ista salutatio*, quam à Deo ei attulit Gabriel: vos, auditores, cogitatis, quodnam sit hodiernæ festiuitatis mysteriũ? Quidnam sit partus expectatio? Dicam ego, quod arbitror. Si Dei populus puer ille est, quem, vt nubem, & pluuiam perspectaret, iussit Elias: inde quidem sequitur, vt septem illæ vices, quibus nubem quæritans puer ille circunspexit, sint dies hi septem, quibus Christi populus in deuota est expectatione, oculus quotidie conijciens circunspectione per diem vna; Hispanè *dando vna ojeada cada dia*, inuoluta interno cordis affectu, significato voce O, quæ desideriũ designat intimum. Ideo in quolibet ex septem his die vnum resonat alacriter O, ex Ecclesiæ affectu, atque fideliũ. Vnde etiam est, vt festum hoc vocetur expectatio; cò quòd sit circunspectans nostratũ attentio, qua nubem nostram vigilanter expectamus; appelletur etiam festiuitas O, ob affectum populi clamantis cum Propheta; O si disrumperes cœlos, & descenderes? Sed ardentius præ omnibus expectabat Ma-

Expectatio partus antiquo nubis Eliæ aspectu designata.

Hebr. 11. 13

Oseæ 11. 1. Hieron. ibid.

Isa. 19. 1. Origen. hom 3. in diuersos. Euseb. li. 6. de demõst. Euang. ca. 20. Hieron. in c. 19. Isai. Procop. ibid. Ansel. in c. 2. Matth.

ria ortum eius, qui suo iam habebat in vtero. Quapropter, cùm septem illæ vices, quibus puer perspectauit, sint septem hi dies, quibus nos cum Maria fœliciſſimum cunctis partum expectamus; debitum profecto est, vt deuotiſſimæ huius expectationis mysterium solemni celebretur initio. Id quod Hispana nostra (quæ pars Romanæ est) hodie facit Ecclesia, diem hunc Virgini festiuiſſimũ consecrans; vt qui septem horum, qui vsque ad natiuitatem currũt, dierum est initium. Copiosum hac propter vberrimæ gratiæ imbrẽ expectamus: quam quum ex Virginea prodierit nube, dabit pluuia ipsa, Dei Filius. Interim nihilominus ad expectandam pluuiam ipsam, & nubem, diuina quoque opus est gratia. Præbebit hanc nobis Dominus ipse, interueniente matre eius. Nam sicut pluuiam solent signa præcedere: ita temporalem in carne Domini aduentum præparans gratia ab eodem, spiritaliter præueniente, cœlitus impensa. Eò vel maximè, quòd tutelaris nostra, genitrix eius, plena ante partum gratia hodierno Euangelio nuncupatur: vt ex nunc iam eisdem eam verbis salutemus, quibus salutauit Angelus, dicens.

AVE MARIA.

Expectatio partus festũ est, quo Deus in terras veniens, sua in sarcina, atque vexillis præmittit insignia.

Deus veniẽs in terras corporaliter, insignia stẽmatum suorum in vexillis & sarcinis præmittit.

Christi Domini aduẽtum præcesserunt vexilla stemmatũ eius.

POtentiſſimi quique Reges, ac dynastæ, quum ad vrbem aliquam visitandam aduenium; suæ apparatum aulæ præmittunt, diuisis diuersas in sarcinas suppellectilium speciebus: vno tamen omnes notatas insigni, quod Regijs plumatum stemmatibus, in opertorijs sarcinarũ stragulis cunctis est vnum: eò quòd vna sit Regiæ nota dignitatis. Idem præterea Reges, alijque generales quique exercituum Duces, quoties ad bella procedunt, pompoſa ante se præmittũt vexilla; in quibus sua similiter insignia plumata sunt: Vsum istum ex antiqua illa putant aliqui ortum Prophetia, qua moribundus Iacob duodecim filijs futuras prædixit sortes; quasi tribui quique propria præscribens stemmata, iuxta originale cuiusque fundamentum. Fuerunt enim hæc illius verba *Ruben effusus es, sicut aqua*; ideo tribus Ruben aqueis quibusdam vndis vtebatur insigni. *Simeon, & Leui vasa ini-*

Paulus de Cartagena Burgensis Episcop. in scrutinio Scripturarum c. 10. Gen 49 3. Gen. 49. 5.

Reges, ac magni Duces procedẽtes ad bella, sua in vexillis, ac sarcinis stẽmata præmittunt.

quitatis: qua ratione in duabus his tribubus erat mos gerendi phialas insigne duas. *Catulus leonis Iuda*: propterea in Iudaicæ tribus vexillis erat insigne pictus leo. Sic reliquis tribubus sua cuique stemmata distincta sunt: ac cæteris deinceps gentium Principibus, ac Ducibus. Gothi Reges rufum deargentata in parma gerunt leonem: decus, ac insigne Hispaniarum: Mileuitani similiter Duces magnum in stemmatibus serpentem: quòd eorum proauus pestiferum serpentem interemerit: quod etiam fuit insigne Ægyptiorum. Plures huius generis commemorat Plinius; & Dion. Casio; alijque multi antiquitatum scriptores. Sed Romanis præsertim datum à Caio Mario insigne Aquila. Nec solum hoc: nam præter alias innumeras ferè stemmatum formas, plumabant in suis Romani scutis, ac vexillis, auream fortunam Virginem super rotundum, seu sphericum globum: quo & fortunæ rota indicatur varia, variusque orbis ipse vniuersus: & prospera Romanorum fortuna; qui totum pedibus orbem subiugarint.

Gen. 49.

Plin lib. 35. cap. 2. & 3. Dion. Casio lib. 40.

Tribus Israel acceptis à moribundo Patre Prophetiis, stemmata simul familiarum suarum acceperunt.

Stemmata varia Regũ ac Ducum.

Stemmata à tribubus Israel habuisse principium.

Fortuna aurea super rota antiquum insigne Romanorum.

O. insigne proprium Domini Iesu Christi.

Quidni supremus Regum omnium Rex, Dominantiúmque Dominus, quum terras visitaturus aduenit, quum infernis hostibus indictum inferre bellum, quum se victorem ostentare, consentanea glorię suæ stemmata; quę etiam matris suæ essent insignia, ante se præmittere curaret? Sed nunquid ideo dixerim hæc, quòd prædictam hanc fortunæ descriptionem proprium Deiparæ in hodierno festo insigne putem? Nunquid rota hæc, supra quam aurea fulget Virgo fortuna, existimabitur O istud, quo præsens festum *Fiesta de nuestra senora de la O.* appellamus Hispani? Nunquid O nostrum rota illa? Nunquid aurea illa Virgo, Virgo Deifera Maria? Altior multò hæc, ac excellentior. Fateor, super sphericam Virgo nostra sedet rotam; super vniuersi rotam orbis: aurea & (fateor) est Virgo: at non fortuna; sed gratia Dei cœlitus electa: *Aue gratia plena Dominus tecum: Spiritus sanctus superueniet in te: & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideo & quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei.* Affert quidem Maria insigne O: affert & Filius eius: cuius nomen, IESVS, intra fulgentem radijs circulum O, quum solemniter pingitur, includitur. Sed huius origo profundior est, quam Romani asse-

qui valuerint. Dicam, quam fidei luce adiutus, vtcunque arbitror; si gratiæ lux lumini fidei superuenerit.

Deum optimum max. A & O, esse, planè testatur ipse, dicens ad Ioannem: *Ego sum Alpha, & Omega; principium, & finis.* Quas litteras Deo absolutè, & absque vllo ad singulares personarum distinctiones respectu competere, an verò singulari alicui Trinitatis personæ; non omnino perspicuum videtur. Scimus vt ex Patribus docuit, imo & ex scripturis, Angelicus Thomas, perfectiones, quæ absolutæ sunt, Deo quatenus est personæ tres indistinctè conuenire omnes, non vni præ alijs personæ: tametsi quæ relatiuæ perfectiones sunt, aliæ alijs personis adscribantur. Nihilominus, & absoluta ipsa attributa, quæ videlicet, non quòd Pater est, aut quòd est Filius, sed quòd Deus est, propria sunt Deo, qualia sunt, sapientia, bonitas, potestas, pulchritudo, solent personæ ex tribus vni singulari quadam accommodatione adscribi, & applicari; vt potestas Patri, Filio sapientia, sancto Spiritui decor, & ornatus. Quapropter est nunc fundamentum dubitandi, quisnam sit hic, qui dicit, *Ego sum A, & O*: sitne Dominus Deus, prout est tres personæ; an potius sit ex personis vna, nempe solus Pater, aut solus sanctus Spiritus, aut Filius, ita, vt A, & O personæ vni attribuantur, quamuis tribus personis sint communia. Non desunt bona ad attribuendum Patri fundamenta: solidiora, vt Filio attribuantur: Sed cùm huiusmodi attributiones congruenti alicui innitantur fundamento, quo in vnam præ alijs videantur conuenire personam: fortè arridebit auditoribus, si auditis eis, quibus moueor ego incitamentis litteras duas duabus diuisim tribuamus personis, Patri vnam, Filio alteram, & Sancto coniunctionē Spiritui. Itaq; Deus Pater est A: O est Deus Filius: copula vero illa, & qua dicitur *Ego sum Alpha, & Omega*, est Spiritus sanctus.

Etenim eam, qua dicit ego sum A, & O, congruam valde rationem ipse explicat Deus, protinus subiungēs: Principium, & finis. Ego sum A, principium scilicet: & ego item O, sum videlicet finis. Quoniam littera A prima est Alphabeti: littera O vocalium vltima. Nam licet in Latino, & aliarum Alphabeto linguarum vocalis vltima ponatur V: in Græco tamen, cuius idiomate locutus est hæc Dominus

Apoc 1. 8.

S Thom. 1. par à quæst. 27. vsque ad 40.

Deus est A, & O.

A & O tribus diuinis personis cōpetant, an vni duntaxat tribuātur.

O est littera vltima Græci Alphabeti.

O & V nonnumquam pro eodem indifferenter vsurpantur.

ad Ioannem, O est littera extrema, vt Ribera notauit in propositum. Eò vel maximè, quòd in Latino etiam litteræ O, & u, sæpe sunt eadem, ita vt in vsu promiscuè soleant & scribi, & pronuntiari; vt ex ipso scriptorũ vsu collegit Quintilianus. Dixerunt quidam Hecoba pro Hecuba; alij per cõtrarium, pro Polixena Pulixena: aliqui notrice pro nutrice. Id quod & apud nos Hispanos frequentius est adhuc; cum dicant alij *Policia*, *pulicia* non pauci. Docti *Theologia*, *Theulugia* plebeij; vrbani *Muchacho*, *ciudad grunidor*, *entumido*; Rustici *entomido*, *gronidor ceodad*, *mochacho*. Quid quòd & apud Indos permutatio hæc magis est frequens? Dicunt hi tum *Mochani*, tum *Muchani*: *Monancu* alij, alij *Munancu*; *Coarca* hi, illi *cuarca*. Itaque A principium est; O est vltimus finis.

Ribera in Apoc. ca. 1. vers. 8.

Quintilian. cap. 4. lib. 1.

Trinitate in diuina Pater est principium.

Quæ cum ita se habent, dixerim ego Patrẽ vocari A; quoniam solus hic diuinarum est principium personarũ. Quamuis enim & Filius Sancti sit Spiritus principium, quatenus Pater simul & Filius Sancti Spiritus sunt principium vnum vt Lugdunensis Synodus definit; tamen cùm filius vnius sit personæ principium, omniũ principium solus Pater; competit ideo huic principio tam nomen, quàm proprietas, vt est in Concilio Syrmiensi; vtque explicant cum Diuo Thoma Theologi. Filius finis est, finis (inquam) omnium creaturarum. Quoniam cùm solus hic verus simul sit Deus, & homo verus; sunt ordinata ad eum omnia; eique dedicata, atque directa; adeo vt totus orbis propter vnius Christi creatus sit gloriam, & honorem. Est doctrina Cyrilli, ac Irenæi; quibus inter Latinos subscribit Augustinus. Solius dicam verba Ruperti: *Reuerenter est audiendum, quia propter hunc hominem gloria, & honore coronandum, Deus omnia creauit.* Imo & alia via finis est Christus; gratiæ nimirum nostræ, atque iustitiæ, vt ei sancti conformemur. Quod & proclamant sacræ litteræ; & Tridentina Synodus definit. Sanctus verò Spiritus arctissima est vtriusque copula personæ. Nam intensus ille, quo Pater, & filius copulantur, amor, Spiritus sanctus appellatur; qui quasi iugis quidam vtriusq; personæ arctus est nexus. Manet igitur liquidum Dominum Iesum Christum esse O, finem nostrum: atque adeo, cùm dicit, *Ego sum O*, nempe, *Ego sum finis*; qui loquitur hoc, Christus esse censetur. Vt hinc iam scire incipiamus, huius diei solemnita-

Cap. vnico de summa Trinit. ex Concilio gener. Lugdunẽsi.

Concil. Syrmiense canon. 23.

S. Tho. 1. p. q. 30. per totam.

Cyrill. li 5. Thesauri ca. 8. Ire. li. 3. c. 33. Aug. li 1. de nuptiis c. 21.

Ruper. li 3. in Matth. Et li. 13. de gloria Trinitatis & processionis Spiritus Sancti c. 21.

Concil. Trid. sess. 6. ca. 7.

Christus est finis rerum vniuersarũ.

Spiritus Sãctus nexus quidam est Patris & Filij.

tem inde vocari O, quòd nasciturum expectat Dei Filium. Ac ex consequenti, propria aduenientis ad visitandas terras Regis stemmata O, iure optimo assignari.

Cuius tunc eluceſcet magis excellentia, quum intentius nos perpenderimus, adeò esse mirabilem infiniti Dei maiestatem, & gloriam, vt in sui admirationem Angelorum mentes suspendat, & hominum, ita vt quippiam loqui penitùs nesciant. Nam & supremus ipse rerum ponderator Deus, dum Magni descripsit facta Alexandri, omnem rerũ gestarum admirationem ad solum retulit silentium, dicens. *Dei laudes simul sunt, præ admiratione, silentium, & voces.*

1. Macha. 1. 3. *Siluit terra in conspectu eius.* Certum est autem factam à Deo rerum ponderationem, certiorem esse, quàm Quinti Curtij, atque Plutarchi, qui Alexandri historiam scripsere. Quo quidem pertinet, vt illis Deus vtatur insignibus, quæ admirabile indicent silentium. Sed quid, si infinita eius sapientiæ talem aliquam excogitaret artem, qua silentium ipsum voces sit, sint voces silentium: vt expressa laus suspensio sit, & admiratio? Tales profecto esse Dei laudes, non obscurè indicant diuinæ litteræ, Psalmo præsertim quarto supra Sexagesimum, qui hoc incipit cantico. *Te decet Hymnus Deus in Sion.* Nam pro Vulgatæ editionis Hymno, *Silentium* vertit magnus Hieronymus. Mirabile dictu: quod Hymnum legerunt Septuaginta, hoc legit Hieronymus silentium: vt detur intelligi, diuinas laudes tales esse, vt sint & admiratione silentium; & altisonas voces expressione. Hac de causa edit sibi Deus litteras hasce duas A, & O, propria stemmata sua: quòd silentium vtraque, & vtraque sit admirandæ laudis decantatio. Sunt silentium A, & O, quippe quæ nihil proferunt: & tamen voces sunt exeuntes, & ab ore, & auribus perceptæ. *Laudes Dei silentium sunt simul, & locutio.*

Quintus Curtius de vita Alexãdri. Plut. in vita Alex. Mag. Psal. 64. 1.

Conuenit ergo. A. Specialiter Patri, quòd profunda sit in contemplando Patrem admiratio; quæ aggredientem laudes dicere vocem supprimat in silentium. Est elegans valde Ieremiæ testimonium; *A. A. A: Domine Deus: ecce nescio loqui.* Dic nobis Ieremia: si loqui nescis, quomodo dicis. A? Nam A est verè locutio. Hæc est immensa Dei abyssus. A, vox quidem est; at est silentium: quoniam & muti quique aperiunt os, ex quo resonat A: & tamen nil loquuntur, cùm sint muti. Resonat tribus vicibus. A, tum, vt personæ tres *A, littera cõsonit priè Deo Patri.*

Ieremi. 1. 6.

vnum esse noscantur, sicut tres A. A. A. sunt littera vna; tum vt Deo Patri singulariter competat, qui, cum principium sit, sicut A, est principium; exerit ter insigne suum A, pro trino egressu ab eodem patre. Horum primus internus est, quo æterna Filius generatione exit ab eo. In eo manens: cuius similis est egressus secundus, vt qui internus etiam; quo Sanctus Spiritus producitur ab eo, in eo similiter manens. Sed est tertius exterior; quo scilicet innumeros extra se producit effectus, Angelos, homines, mare, terram, cœlum, cæteraque in eis naturaliter facta. Quo respectu dicimus in Symbolo: Patrem omnipotentem, creatorem cœli, & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium. Hactenus de A.

Christi Domini septem egressiones.

O. nunc manet nobis suspiciendum; vt quod ad præsentem festiuitatem spectat, estque propriũ aduenientis Christi Regis insigne. Habet littera O significationes septem aptas vndecũque, quibus totidem Christi indicentur egressus. Est enim egressio illius prima, qua ante assumptã carnem, à mentali Patris egressus est vtero, de quo Micheas:

Verbi diuini æternus à paterno pectore egressus.

Egressus eius ab initio, à diebus æternitatis, quo iugiter à Patre exit, oritur, nascitur, procedit. In qua egressione gerit insigne O, quatenus littera hac vehemens denotatur desiderium. Hac quippe significatione dixit Vergilius: Mich. 5.2.

Quamquam O, si solitæ quicquam virtutis adesset?

Verbum diuinum genita sapientia.

Est namque homini cuique, mysterij huius aliquam fide habẽti notitiam, intimum desiderium videndi egressum hũc, quo à Patre procedit filius. Et quoniam filius hic, eò quòd Dei Verbum consequenter est Dei sapientia; Ideo insigne O, in magnificentissimis thesaurorum eius emicat sarcinis, qui proprij Sapeintiæ thesauri sunt; vt sæpe dicunt scripturæ multæ; præsertim in prouerbiis; & apud Ecclesiasticum vndecies. Idcirco prima ex septem his præsentis Hebdomadæ Antiphona est iucunda illa O *Sapientia*. Hæc prima resonat in choro in hodierni festi vesperis primis; vtpote, quæ videndi sapientiam genitam, æterna à Patre generatione egredientem, intimum repræsentat desiderium. Sunt in littera O multa diuino huic egressui conuenientia In ea enim, nec finis est, neque principium; imo siquis per litteræ huius ambulet circuũ, iugiter quidẽ ambulabit absq; termino aliquo, aliquove exitu, quo cursus ei⁹ finiatur. Eccl 1.26. 31.35 6.14. 20.32.30. 23.40.18. 41.50.17.

Verbum diuinum generatione sua est O.

Id quod Filij Dei solius est proprium: qui iugiter gignitur; egreditur iugiter à mentali Patris vtero; iugiter ab eo vnicus procedit, absque vlla generationis intermissione, vllone fine, siue termino. Est autem Sapientia Filius hic, eò quòd vnicum Dei Verbum, quo totum se Deus intelligit, agnoscit, comprehendit; vnicus, quem sui ipsius habet, conceptus; ac consequenter omnium rerum; cùm res vniuersæ, quæ factæ sunt, quæquè fieri possunt, in Deo sint eminentissimè; atque adeo in pleno sui conceptu, quod Verbũ eius est, eiusque integra Sapientia. Sic docuerunt Patres; expressius Gregor. Nyssen. Dion. Aug. Anselm. Angelicus Thomas, cum Theologis: & ratio ipsa consequens fidem persuadet. Conceptus autem hic, hęc Dei Sapientia, Dei Filius dicitur, estque verè Filius, quòd Patri Deo consubstantialis sit, eique omnino similis ea ipsa ratione, qua in quantum Verbum est procedit ab illo, atque adeo in quantum est Dei Sapientia. Non enim est accidens Deo sui habere conceptum, ac sapientiam: sed naturale omnino, & necessarium; eò quòd Deus non, sicut nos, accidens habeat intellectum, vt quandoque, vt nos, se concipiat intelligens, dormiat aliquando, aut à sui agnitione suspendatur: sed ipsemet Deus est intellectus, mens, ratio, vera intelligendi facultas. Cùm enim omnino sit purus, atque absque limite perfectus: est Deus ipse intellectus suus: imo est ipsum intelligere; vt docuerunt Patres, provt in Concilio Remensi definitur: & Theologi explicant cum B. Thoma multis in locis. Vbi palam constat, conceptum Dei hunc minimè quidem accidens, sed penitus esse necessarium, atque adeo substantiam, talem, vt consubstantialis sit Patri, ei coæternus, vt Augustinus luculenter explicuit, & cum diuo Thoma Doctores vniuersi. Non enim potest, vel instanti vno intelligere quis absque conceptu, nec esse, & non intelligere; cùm Deum ipsummet intellige esse, dixerimus. Et quoniam conceptus quiuis ei, cuius conceptus est, omnino est, & æqualis, & similis: ideo is, quẽ sui Deus habet, conceptus similis est prorsus concipienti; & absque vlla æqualis differentia, vt Damascenus cum reliquis Patribus, & cum vniuersa Thomas dixit Scola. Quid ergo deficit Verbo huic, vt sit verè Filius Dei, à quo semper concipitur, cùm & substantia sit, ab eo genita;

Verbum diuinum iugiter generatur.

Deus eminenter continet in se res vniuersas

Verbum diuinum est conceptus Dei, & rerũ consequenter vniuersarum.

Deus est intellectus, ac ipsum intelligere.

Verbum Dei substantia vera

Filius Dei consubstantialis est Patri.

Verbum Dei Filius est Patris.

Verbum Dei continet vniuersa.

Greg. Nyss. orat. quæ est inter translatas à Franzino.
Diony. de diuinis nomi. cap. 5.
Aug. li 1. in Ioan ca. 5.
Anselm. in Monolog. c. 33. & 34.
S. Tho. 1. p. q. 3. art. 4 & q. 14 art. 4. & q. 4. ar. 1. & 2.

Concil. Remense.
S. Tho. 1. p. q. 3. a. 4. & q. 4. a. 2 ad 2.
Aug. lib. 7. de Trinit. cap. 4.
S. Tho. 1. p. q. 27. art. 2. ad. 2.
Damasc. li 1 de fi de cap. 18.
S. Tho. 1. p. q. 27. art. 2. & q. 34.

Sapientia est Filius Dei.

genita; & similis omnino genitori? Igitur Dei Filius & Sapientia est, & omnia in se diuinitus continens. Est quidem Sapientia, quoniam completus veritatis conceptus: ideoque ab Ecclesiastico vocatum, *Fons Sapientiæ Verbum Dei:* Estque Sapientia continens omnia, eò quòd rerum omnium plenissimus conceptus sit, de quo ad Romanos Paulus: *In ipso sunt omnia.* Porrò, si omnia in filio sunt, & Filius ipse ipsa est Dei Sapientia; immensos esse Sapientiæ thesauros, plana consequentia est. Vnum ex illis, quos plures esse dixi referam textum, qui in ipsius Sapientiæ scribitur libro: *Sapientia infinitus thesaurus est.* Vndenam infinitus: nisi esset Sapientia æqualis Patri, mente eam concipienti? Comitantur ergo Dei Filium in hoc, quo à matre exit, egressu, sarcinæ thesaurorum infinitæ; auri, gemmarum, margaritorum, rerumque omnium pretiosarum, quarum comparatione visibiles omnes scoria squalidiores iudicat Paulus. Aurea sunt Iobi verba in propositum istud. *Sapientia vbi inuenitur? Nescit homo pretium eius. Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus; nec lapidi sardonyco pretiosissimo, vel sapphiro. Non adæquabitur ei aurum, vel vitrum; nec commutabuntur pro ea vasa auri. Non adæquabitur ei topazius de Æthiopia; nec tinctura mundissimæ componetur.* Pretiosiores his thesauri sunt Sapientiæ thesauri: in quo ergo subiecto posset pro egressu hoc sua Deus stemmata educere aptiori, quàm in elegantissimis harum opertoriis sarcinarum? In his igitur decuit, plumari hodie litteram O, quæ insigne Regis huius est vnicum. Sed numquid in supremis his Sapientiæ thesauris opertorium esse potest vllum: cum Sapientia nullum patiatur operculum? O Sapientia! ô Sapientia! ô thesauri Sapientiæ! Vtimur, in diuino hoc Filij Dei egressu, littera. O pro vt ardens insinuat desiderium: & compellimur obiter eadem vti littera, provt est admirationis exclamatio. Dico igitur, cum Apostolo exclamans; *O altitudo diuitiarum Sapientiæ, & scientiæ Dei!* Hæc diuitiarum, hæc thesaurorum altitudo; vt Dei Filius, qui Sapientia est, opertorium sibi apponat humanum, mundissima ex lana contextum, quo suorum sarcinas tegat

Verbum Dei fons Sapientiæ. Eccl. 1. 5.

Christus est Sapientia ipsa. Rom. 11. 36.

Christus in se continet omnia.

Sapientia thesauri infiniti. Sap 7. 4.

Verbum diuinum egredi ens à Patre, infinita thesaurorum sarcina comitantur. Iob. 28. 12.

Sapientia thesauri vniuersis præstantiores.

Thesauri omnes, quæ in Christo ratione absconditi sint.

Verbum diuinum generatione sua est O.

Rom. 11. 33.

thesaurorum. *Verbum caro factum est*; vt carnea Verbum pelle tegatur; lanea agni pelle, quoniam Verbum caro fa-
Ioan. 1. 14. Ioan. 1. 29. ctum, *Agnus est Dei, qui tollit peccata mundi.* Lanea quippe agni pellis elegantissimum quidem stragulum est, quo immensæ thesaurorum eius opertæ veniunt sarcinæ. Nec deficit textus, planè edisserens, quòd pro suauissima desiderantium hunc Dei egressum consolatione, veniens ille carne coopertus, hoc coopertas stragulo præmittat thesaurorum sarcinas suorum. Est textus hic scribentis ad Co-
Coloss. 2. 2. lossenses Apostoli; *Vt consolentur corda ipsorum instructi in charitate, & in omnes diuitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterij Dei Patris, & Christi Iesu; in quo sunt omnes thesauri Sapientiæ & scientiæ abscónditi.* Absconditi ergo ingrediuntur thesauri, coopertis humanæ pellis stragulo innumeris his thesaurorum sarcinis. Quod igitur aptius ad plumanda stemmata subiectum, quàm huiusmodi opertorium sarcinarum? In his ergo plumatum fulget insigne. O; insigne Sapientiæ, insigne vehementis terrigenarum desiderij. Audiamus iam qualiter in Ecclesiastico resonet choro insigne istud O in primis festi huius Vesperis. *O Sapientia! quæ ex ore altissimi prodijsti, attingens à fine vsque ad finem*
Antiph. 1. ex maioribus Hebdomadæ huius. *fortiter, suauiterque disponens omnia; veni ad docendum nos viam prudentiæ.* Tu, ô Dei Fili! quæ summa es Dei Sapientia, Deique Verbum vnicum, ex eius procedens ore, ore mentis eius expressum, qui beatissimus es intra pectus Patris tui, memento iam nostri; egredere ad has mortalium terras, vt carne indutus visibili, doceas nos exemplo veram viam, qua advidendum ex Patris sinu iugiter egredientem te, ouantes curramus; cum solus tu Sapientia sis vera, quæ sola potest, veram salutis viam indicare. Veni, ô Sapientia! vt viam ostendas: sed veni humana indutus carne, vt quam tu, ô Sapientia, ostendis viam, tu carne indutus aperias nobis ad currendum. Veni, ô Sapientia, ad docendos nos, mentes nostras tuo aperiens lumine: sed veni nobis similis homo; *Vt cognoscamus in terra viam tuam.* Veni, veni, ô genita Patris mente Sapientia, mentes nostras instruere, mentibus nostris illucere; sed veni in vterum Virgineum; vt ibi gignaris homo; tuoque amore accendas corda, quorum
Psal. 76. 3.

tu O Sapientia mente illuminas, ac dirigis. *Ecce*, O insigne Christi præcedens eum in prima hac, qua, è cœlis ad terras venit, egressione.

Christum ex matris vtero ducem nostrũ egressurum, præcedit in vexillo insigne O. Expectatio B Virginis.

Iam egressu secundo; quæ hodierna est expectationis festiuitas, egredientem ex vtero Regem præcedit insigne O validissimæ insigne fortitudinis, qua carne humana debilitatus, peruicturus est hostes, homines redempturus. *O Adonai, & dux domus Israel! Qui Moysi in rubi flamma apparuisti: Veni, ad redimendum nos in brachio extento.* Aduentus hic, quo tanquam dux procedit Dei Filius, egressio illa est, qua ex materno ventre exit in auras. Hoc enim egressu ducem futurum fuisse Dei Filium, Prophetauerat Micheas, dicens: *Tu, Bethlehem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda. Ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel; & egressus eius ab initio; à diebus æternitatis.* Vbi pro illo nomine, *Dominator*, scribit *Dux*, beatus Matthæus, *Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel.* Vtrisque verbis, & Prophetiæ nimirum, & Antiphonæ Deus ostenditur esse ille, qui dux nominatur potentissimus. Nam de duce hoc, qui à Bethlehem egressurus commendatur, dicitur ibidem: *Et egressus eius ab initio; à diebus æternitatis.* In Antiphona quoque ideo fit mentio admirandi rubi, in quo Dominus Deus ostendit se Moysi flammis circumdatum; vt hodiernum innuatur mysterium; quo circundatus Deus Virginis vtero, nulla aduritur flamma; nec Virgo ipsa, quæ rubus est, flamma illa incenditur libidinis, quæ prægnanti cuique, excepta vna hac, communis est semper. Sic interpretantur Patres omnes, imo & canit Ecclesia in alia Antiphona, quæ in Octauo à natiuitate die dulciter resonat his verbis: *Rubum, quem viderat Moyses incombustum conseruatam agnouimus tuam laudabilem virginitatem, Dei genitrix.* Et quoniam desiderium solet sequi Expectatio; ideo post insigne illud O quod in egressu primo intimum videndi egredientem à Patre Filium significauit desiderium, procedit hodie insigne ipsum O significans eam, quæ videndi egredientem iam à matris vtero ducem, vrget fidelium corda, Expectationem. Nihil enim proprius significari littera O, quàm ardentem Expectatio-

Antiph. 2. quæ in Expectationis festiuitate concinitur.

Christi diuinitas, & humanitas cõmendata à Micheæ.

Mich. 5. 2.

Matth. 2. 6.

Christus dux noster in Spirituali militia, in vexillo suo educit insigne O.

Virginitas Mariæ commendatur.

Maria integritas perpetua.

Antiph. 3. in Octau. natiuitatis Domini.

nis affectum; frequens ipse & scribentium indicat vsus, & loquentium. Sic Terentius,

Terent. in Eunuc. Act. 3. Scena 5. Vers. 12.

O festus dies, hominis amice,
Nemo est omnium, quem ego magis nunc cuperem, quàm te.

Hæc est hodierna partus expectatio, quem prægnans Virgo intimè cupit; optamus & nos, vt ducem nostrum videamus. Sed in quonam subiecto insigne O egressurum præcedit ducem? Nonne in vexillo? Vtique generalis ducum vsus sua in vexillis ostentat stemmata. Proprium Ducis nostri insigne est littera O nunc exiet ille tanquam dux: & tanquam dux expectatur hodie: gerit ergo in vexillo plumatum O illustre insigne suum. At quid est, quòd O tribuatur Mariæ? Festum siquidem præsens *Nuestra senora de la O*, institutione propria nũcupatur. Sanè, vbi egreditur dux: signifer præcat, necesse est. Est dux Filius Virginis: matri igitur ipsi ante ire signiferam incumbit. Nec enim inusitatum est fœminas esse signiferas: vt infra differamus. Producit ergo plumatum O vexillum Maria; quæ vt nos, ad expectandum ducem nostrum, inuitet, & excitet bombycinum ventilat signum; textum videlicet ex purissimo serico bombycis illius, qui de se testatur; *Ego sum vermis*, Dei Filius. Vexillum hoc, vt nos, ad expectandum, concitet, expectans & ipsa, hodie educit in auras. Dicit O intimis affectibus; vt & nos ardentibus præcordiis O eam secuti, conclamemus. O dicebat illa: O Fili mi! O Dei Fili! qui Dei cùm sis, meum te Filium fieri dignaris. Ecce, Fili mi, in tui sum expectatione; te ardentissimo expecto desiderio. Te expecto, dux mi; te, imperator mi, anhelanti expecto cordis affectu. Habet te meus vterus: sed desiderant oculi. Vnum te, Princeps mi, ardentissimè expecto; vt agnoscam, quem habeo: concipiã oculis, quem ventre concepi; fruar bono, quo fruor; gaudeam, quo gaudeo; adorem, quem adoro: & quæ vtero beata sum, sim etiam oculis beata. Expecto te; vt vberibus lactẽ, quem sanguine genui, sanguine humanaui, & alo sanguine. Sim vberibus fœlix; quę fœlix sum vtero. Expecto, vt nutrix sim, quæ sum tui genitrix. Seruiãt iam mea tibi alacriter omnia: cui seruit sanguis, seruiat & lac; & seruiant vbera, cui viscera seruiunt. Seruiant, seruiant omnia mea tibi: tibi omnia.

Maria Christi ducis signifera.

Christi ducis nostri vexillum bombycinum, in quo est insignе O.

Psal. 21. 7.

Expectatio partus quã intima fuerit in corde Virginis.

miniſtrent, blandiantur, exultent, mea omnia te mulceant, te delectent. Tibi, tibi, Rex mi, omnia miniſtrent, quæcunque ſunt mea; téque omnia fruantur, dum miniſtrent. Miniſtrent ſimul, & fruantur oculi videndo, labia oſculando, lingua colloquendo, fouendo gremium, manus infantilibus pannis inuoluendo, aures audiendo, vbera lactando. O fili mi! ô decus meum! ô Domine! ô Rex! ô gloria mea! Vnum te, fili, expecto, præter vnum te, nihil penitus volo, expecto nihil. Hæc dicebat ad Filium pia genitrix. His cum flammis expectabat. Vos ergo, auditores, quàm (rogo) obnixè expectatis Deum, veſtra vt veniat in corda? Venit ille iam in Mariæ ſinum corporaliter; veniet & ſpiritaliter in ſinum veſtrum, ſi affectiſſimi eum, imitati Mariam, expectetis. Si tantis Virgo inhiabat affectibus, vt cerneret oculis quem habebat in ſinu: quantis oportet vos, eundem expectare; vt quem fidei oculis ſuſpicitis, in ſinu habeatis amatorem? Expectabat Maria oblectatorem oculorum dilectum: nos ducem expectamus ex Maria. Ex hac ſiquidem Virgine exiet dux, qui regat populum; qui nos regat, nos ducat: inſtituat, ſoſpitet, defendat. Illa concepto filio tuta erat omnino: nos abſque duce hoc quales (rogo) erimus; niſi qualem ſe agnoſcebat Auguſtinus, cùm dicebat: *Quid enim ego mihi ſum ſine te, niſi dux in præceps?* Quid dicis ad hæc tu, qui me audis? Expectasne in te venturum Deum? Dicis (vt arbitror) expecto. At, in quo, an expectes, agnoſcemus? In quonam cognoſcitur in Regis ſui eſſe expectatione populus aliquis? Nonne decente in viarum præparatione, qua irrigat eas, verrit, complanat; læta fronde, iunco exornat, & floribus? In quo Pater familias magnum aliquem ducem ædes in ſuas expectare cognoſcitur? Nonne in exacta domus purificatione totius? in renouata dealbatione parietum? in exornato aulæis cubili? In fragrantibus intus odoramentis thymiamatis? Si tu, ô amice diligentia ſimili paratam habes, ad excipiendum ducem tuum, domum animæ tuæ, in ardenti te eſſe expectatione confitebimur. Sin minus præparatam videamus: nihil profecto erit, vnde, in ea te eſſe expectatione fateri, aut debeamus, aut poſſimus. Audi muſicum vatem: *Expecta Dominum, & cuſtodi viam eius; & exaltabit te.* Quænam eſt via Domini? Vates ipſe

Expectare noſtra in corda venturum Deũ, ſummè oportet omnes.

Diſpoſitio neceſſaria hũ, qui expectant Deũ.

Expectantes Deum, domũ ei præparant.

Viam præparet Deo quiſquis eũ in animam ſuam venturum expectat.

Auguſt in meditationibus.

Pſal. 36. 34.

explicat: imo explicat passim. *Beati immaculati in via; qui*
Psal. 118 1. *ambulant in lege Domini.* Domini ergo via custodia legis est, mandatorum custodia. Hæc qui verè custodierit: viam Dei custodire, viam Deo dicetur præparare. *Expecta Dominum, & custodi viam eius*: eius nimirum custodi mandata. Sed abstrusior adhuc forma loquendi. Quid est, *Custodi viam eius.* Atqui viam aliquam custodire, est prohibere, ne quis aut noxius transeat, aut immundus. Si ergo cura tanta Domini viam custodire iuberis: quanta tui ipsius pollere debes puritate, quanta honestate, atque iustitia, vt viam Domini custodire dicaris? *Expecta* ergo *Dominum*, ducem tuum, & *custodi viam eius*: & *exaltabit te.* Ducens te per viam, quam sollicitus ei custodieris, exaltabit te in præcelso viæ termino, cœlesti gloriæ fastigio.

Christum inuocabant antiqui Patres redemptorem.

Fuit egressio tertia illa, qua ex maternis tectis ad manifestandum se mundo, & alliciendas animas exiuit. In quo egressu præcessit Regem hunc veterum apparatus figurarum, prophetiarúmque; ex quorum numero illa fuit, vt ex Regia Iesse radice esset egressurus. Insigne O, habet in hoc egressu vocandi munus; quoniam scilicet vocabat Christum hominũ necessitas, vt ad eorum institutionẽ egrederetur, & exemplum. Hac significatione vsus est Poëta littera O, cum vocans Reginam dixit: *O Regina nouam, cui condere*
Vergil. 1. Æneid. *Iupiter orbem,* &c. Hæc tertia est hebdomadæ Antiphona:
Antiph. 3. *O radix Iesse, qui stas in signum populorum; veni ad liberandum*
Isa. 11. 1. *nos. Egredietur virga de radice Iesse; & flos de radice eius ascendet:* vt mundum doceret, & componeret. Sic enim prosequitur textus: *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ, & intellectus*, &c. quæ ad Christi vitam, ac prædicationem pertinebant. Ex hoc numero fuerunt multa eius miracula, quibus prædicationis firmabat veritatem. Nam & miracula ipsa insignia sunt, cùm prædicatæ veritatis sint
Ioan. 4. 48. signa, vt dixit Christus ipse: *Nisi signa, & prodigia videritis, non credetis.* Vnde ipsius miraculorum auctoris stemmata sunt miracula ipsa, propriáque insignia eius; quod nec ipsi Christi aduersarij diffiteri potuerunt, cùm in suo dixerint
Ioan. 11 47 concilio: *Hic homo multa signa facit: si dimittimus eum sic, omnes credent in eum.* Effert autem dux noster insigne O in scuto suo, quod exiens ad indictam cum infernis hostibus

O, littera inuocationi coniũgitur.

Inuocatio Christi coniuncta interiectioni O.

Miracula sunt stemmata Christi.

Scutũ stemmatũ Christi totum hominem circumdat, & tegit.

pugnam, ante se præmisit; vt suos eo asseclas defendat. Quo adimplet pollicitationem illam, dictam ore Prophetæ; *Scuto circundabit te veritas eius; non timebis.* Veritas illa, de qua dixit ad iudicem: *Ego in hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati.* Hoc enim testimonium perhibiturus tertio exiuit egressu, quoad hominum institutionem se manifestauit. Estque mirabile scutum hoc littera illa O, qua in forma O, ostensum est scutum. Sunt scuta aliqua rotunda quidem; at non circularia, ita vt hominem totum tanquam quædam O, vndecunque circundent. Solius quidem diuini est scuti eminentia, vt totum vndelibet circundet hominem, quasi intra O, clausum, ac circundatum. *Scuto circundabit te veritas eius.* Circundans certè scutum est; hominem circundat totum, totum in gyro protegit. Tegũt scuta pectus, tegunt caput; vnamve, seu alteram illius, cui applicantur, hominis partem; nullum præter scutum hoc, hominem totum in circuitu. *Scuto circundabit te veritas eius.* Quis non tam vtilem, tamque necessarium inuocans ducem, iugiter clamat: O veni, ad liberandum nos?

Pſal. 9. 5.

Ioan. 18 37.

Veritas Christi hominem totũ in circuitu defendit, tanquam orbitum scutum.

Est & aliud litteræ O significatum admiratio, sic Iuuenalis.

Iuuenalis.

O qualis facies! & quali digna tabella!

O significat admirationem.

Insigne hoc præcedit ducem nostrum in egressu illo, quo anima eius exiuit à corpore. Summa profecto hominum admiratio, & Angelorum: imo horum maior: vt qui, cum Regem suum, gloriæ agnoscant Regem, videntes eum mori, vehementiùs obstupescunt. Præmittit ergo diuinus hic Rex insigne O, tanquam annulum clauis, qua morte sua cœlos reserauit: crucis videlicet; quam, dum in ea moriens pependit, cœlestium portarum fecit clauem. Hæc est 4. Antiphona. *O clauis Dauid, & sceptrum domus Israel, qui aperis, & nemo claudit; claudis, & nemo aperit; veni, & educ vinctum de domo carceris.* Illustrissimũ plenè insigne O, quod in generalis hominum redemptionis apparatu elegantissimè plumatum est à diebus antiquis figurarum, quibus humana prænuntiabatur redemptio: Tunc enim promittens Deus clauem istam Eliacimo, Helciæ filio, dixerat per Isaiã: *Dabo clauem Dauid super humerum eius: & aperiet, & non erit, qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat.* Introductum his

Antiph 4.

Isa. 22. 22.

Christi mors stupendam admirationem incussit.

Christus mortis sua grandia admirationis gerit stemmata.

Christus clauis Dauid, promissa Eliacimo.

Clauis Dauid insigne Christi in obitu suo.

verbis in persona Christi Eliacimum, explicuit Deus ipse, verbis Ioannis: *Hæc dicit, qui habet clauem Dauid, qui aperit,* Apoc. 3. 7. *& nemo claudit; claudit, & nemo aperit.*

Deinde die quinta intrat splendidissimus elegantiæ, ac pulchritudinis Regis, Regaliúmque vestium, ac pretiosissimorum ornamentorum apparatus. Ad aspectum hunc conuocat omnem terram, omnesque cœlestes, dicens Zacha- Zachar. 6. 12. rias: *Ecce vir oriens nomen eius.* Quo nomine Sole candi- Psal. 103. 2. diorem ostendit Dei Filium; Solisque radijs collucentem; cui dixerat Rex vates: *Confessionem, & decorem induisti, amictus lumine, sicut vestimento.* Quænam egressio existimari potest hæc, nisi gloriosa illa, qua & à sinu Abrahæ candidissima anima, & corpus à sepulchro exiuit fulgentissimum? Illa profecto die verè, ac propriè Oriens vir appellatus est Christus, quippe, qui Oriens à sepulchro, terram vniuersam illustrauit, & cœlos. Est igitur O, magnificis indumentorũ sarcinis superpositum, in significationem vniuersalis gaudij, atque lætitiæ, qua totus orbis hilarescit. Nulla quippe proprior significatio litteræ O, quàm exultationis Cicero pro Milone. significatio. Sic Tullius: *O, terram beatam; quæ illum excepe-* Antiph. 5. *rit?* Iuxta significatum hoc resonat 5. Antiphona. *O, Oriens splendor lucis æternæ, & sol iustitiæ? Veni, & illumina sedentes in tenebris, & in umbra mortis.*

Resurrectione sua fuit oriens vir Dominus Christus.

Indumentorum Christi apparatus grandis, signatus stemmatibus in die Resurrectionis.

Fuit egressus sextus ille, quo à terris exiuit in cœlum vt dixit Christus ipse; *Exiui à Patre, & veni in mundum: Iterum* Ioan. 16. 28 *relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Quo egressu ascendit, tanquàm Rex; qui & terras, cùm libet, visitat, & cælos. Huic tanquam Regi vnico, patefacta est cœlestis ianua, dicentibus mutuo ianitoribus: *Attollite portas, Principes vestras: &* Psal. 23 7. *introibit Rex gloriæ.* Et quoniam solent Reges in annuli lapide gestare stemmata, vt de Assuero legimus. *Litteræ signatæ* Ester. 3. 12. Dan 14. 13. ipsius annulo. & de Nabuchodonosor: *Signantes annulo Regis, abierunt*, ideo insigne O, sculptum est in lapide, Christo, 1. Pet 2. 6. quem nuncupat Petrus. *Lapidem electum pretiosum*: eò quòd Dei Verbum insigne est eius perfectissimum. Lapidem autem humanitati insertum, tanquam annulo. Litteræ autem O munus in die illa exclamantium fuit munus: nam & exTerent. in Adelph. Act. 1. scena 3. clamationẽ indicat littera hæc, vt est apud Terent. *O frater! frater, quid ego nunc te laudem?* Antiphona ergo diei sexti sic exclamat

Ascensione sua præmisit Christus in Regio stemmata apparatu.

Stemmata Regum in annulis. Simile.

Annulis in Regijs stemmata cudunter. Verbum diuinum insigne stemmatum Dei.

exclamat in choro: *O Rex gentium, & desideratus earum, lapisque angularis: Veni, & salua hominem, quem de limo formasti.* Antiph. 6.

Christus lapis annuli, in quo sunt Dei stemmata.

Lapis stemmatum Dei insertus annulo est Christus.

Estque tam propria festiuæ Ascensionis Regia Christi conditio, lætáque omnium exclamatio, vt in ipsomet Ascensionis die concinat Ecclesia: *O Rex gloriæ, Domine virtutum, qui triumphator hodie super omnes cœlos ascendisti: ne derelinquas nos orphanos.*

Iudicio finali exibit iudex Christus afferens stemmata mœroris & gaudij.

Restat egressus vltimus, quo à cœlis rursus, ad iudicandum homines exibit. Veniet tanquam iudex illa die, atque adeò proprium iudicis præmittit insigne. Quidnam significabit insigne O, in egressu illo? Atqui extrema litteræ O significatio intimum indicat dolorem.

O miseras hominum curas! ô pectora cæca! Lucretius libro 3.

O significat dolorem.

Dixit Lucretius. Erit vehemens dolor eorum, qui ad rationem reddendam malè parati sunt. Sed quoniam & exultationem significat O, erit hoc tunc adeo mirabile insigne, vt dolorem simul designet, & gaudium. Lætitiam eorum, qui rationem sui satis benè compositam habuerint, mœstissimam cæterorum afflictionem. Erit autem insigne O, in aurea iudicis corona: imo corona ipsa erit ipsum O. *Ecce nubem candidam; & super nubem sedentem similem filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam: quia venit hora, vt metatur.* Apoc. 14 14

Iudicij finalis die mœrebunt perditi; iusti lætabuntur.

Quantus tremor est futurus, quando iudex est venturus, cuncta strictè discussurus? *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua, & congregabuntur ante eum omnes gentes: & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis: tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt; Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum: Discedite à me, maledicti, in ignem æternum: qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.* Matt. 25. 31.

Iudicium ad finale veniet Christus, tanquam legifer, & iudex.

Christus legislator iudex.

Vbi vt finem exordio accommodemus, sciendum est proprium hodierni diei nomen, Expectatio videlicet, illius quoque diei extremi esse nomen proprium. Sic enim vocat illum iudex ipse, dicens: *Erunt signa in Sole, Luna, & Stellis, & in terris pressura gentium, arescentibus hominibus, præ timore, & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi.* Luc. 21. 25. Ecce diei illius erit expectatio. Audiamus nunc, qualiter insigne O, in Christi apparatu, quatenus iudicis apparatus est, appositissimè fulgebit. *O*

Antiph. 7. *Emanuel Rex, & legifer noſter, expectatio gentium: veni ad ſaluandum nos.* Veniet enim Chriſtus die illa: tanquam legiſlator, ſimul, & iudex, vt dixit Iſai. *Dominus legifer noſter: Dominus iudex noſter.* Iſa. 33. 22.

Cæterùm, cùm lætiſſimam B. Mariæ expectationem hodie celebremus; Valde expediet omnibus perpendere, litteram O, quatenus B. Virginis inſigne, firmiſſimum nobis & in vita, & in morte, fore præſidium ſperamus: præſidium, inquam, in forma O, vt confugientes ad eam circumuallet omnes, ac defendat. Ideo enim vocatur *nueſtra ſegnora de la O.* Quod conſiderans, dixit S. Bernardus: *Per te, Virgo ſancta, cælum repletum eſt: infernus euacuatus.* Sed ſpeciali patrocinio proteguntur illi, qui in magnifica hac congregatione eius adſcripti ſunt. Congregatio enim O quodam eſt; intra quod pij homines conueniunt. Quod non pro ſola hac congregatione noſtra; ſed pro quauis alia, quæ ſub eadem Virgine militat, confraternitate, dixerimus. Ratione hac, omnes congregationis huius profeſſores meritò inſigniri ſtemmate O facilè apparet; ſed eſt & alia fortè elegantior cauſa gerendi tale ſtemma. Etenim quum cogunt pecus armentarij, nempe quum ex innumeris, qui in paſcuis permiſti ſunt diuerſorum boues dominorum, ſcire quiſque vult, quænam ſuæ, quæ alienæ ſint vaccæ: luſtralem tunc pratorum amplum faciunt ambitum, ſeu gyrum, quaſi quoddam O, quod Hiſpani dicimus *Hazer rodeo*, quo ex congregatis intra circulum pecoribus, ſua quiſque ex proprio dignoſcat charactere; nouóſque vitulos proprio inurat ferro. Qua nota carent pecora illa, quæ extra ambitum illum excluſæ manent. Eſt autem, vt vidi, contingens, vt alicuius Domini rubrica, ſeu character ſit O, quo inſigniti dignoſcuntur tauri, atque nouelli. Ille igitur Dominus Ieſus, qui ab hædis ſeparaturus eſt agnos, quos die illa agnoſcet ſuos, ſimilem prædictæ faciet luſtrationem, vt ſuas ex nota pecudes diſcernat. Præclariſſimus eſt Ezechielis textus in propoſitum: *Saluabo gregem meum; & non erit vltra in rapinam: & iudicabo inter pecus, & pecus, & ſuſcitabo ſuper eos paſtorem vnum.* Ecce verbo illo, Iudicabo inter pecus & pecus, armenti luſtrationem pollicetur. Quæ ergo po-

Bernar. ſer. 98. in cantica.

Ezech. 34. 22.

Maria Deipara magnũ & in vita nobis præſidium, & in morte.

Congregatio B. Virginis Mariæ fœliciſſimæ.

Simile.

Congregatio Mariæ eſt O.

Congregatio Mariæ eſt ambitus quidam, in quem armenti Dominus cogit pecus.

O eſt character fratrum congregationis Deiparæ Virginis.

tiori iure vocatur congregatio, quàm campestris hæc, qua circulo congregantur armenta? Vt planè nouerimus, hanc B. Mariæ congregationem verè esse circulum, seu O, quod ipsius Virginis proprium est insigne. Non agimus nunc de vniuersali Pastoris nostri Christi congregatione, nec de proprio eius charactere; cùm proprius Domini character Sacramentum sit; eiusque circuitus sit Catholica Ecclesia: sed de B. Virginis insigni, quod est O, atque adeo tutissimus circuitus, vallúmque firmissimum; in quod quicumq; congregantur, multò magis defensi, magisque tuti sunt; vt qui duplici causa fulgentissimo Mariæ insigni notati; tum, quòd intra O protecti sunt valde: tum, quòd eodem insigni O, tanquam proprio Mariæ charactere insigniti. Non quòd eos, qui intra sodalitium Deiparæ non militant, alienos à diuino pastore censeamus; nam & ex his, quæ propria sunt armentarij pecudibus, multæ manent extra ambitum: sed quòd congregati intra Mariæ O, intra Mariæ gyrum, ambitum, circuitum; intra Mariæ dico congregationem, eiusque O notati, ac insigniti, peculiari quadam arctissima gaudeant protectione.

Maria tenacissima vexilli signifera.

Præsertim, cùm ipsa sit ducis nostri signifera, ferens in vexillo insigne O, proprium Filij sui, & suum proprium stemma. Hoc quippe munere præfecta, nunquam dimittet vexillum suum, nec eorum, qui sub eo degunt protectionem. Non enim erit minor vexilliferæ nostræ fortitudo, quàm memorandi illius Tudertini signiferi, qui in cruento illo, quod inter Caroli Galliæ Regis exercitum, aciesque Hispani Regis Ferdinandi ferbuit Berosæ prælio mirabilem valde se exhibuit. Cum enim vexillum manibus tenere non posset, eò quod ei ab aduersarijs, vt vel sic deponeret, abscinderentur; tenuit dentibus illud; nec dimittit prius, quàm ademptam vulneribus vitam. Facinus grande, & tale à Paulo Iouio commendatum. quidnam pro nobis faciet Virgo signifera? An quòd fœmina est, erit minùs strenua? Est quidem mulier: sed Deipara Virgo. Nec peregrinum in fœminis munus. Nam ingruente apud Septentrionalem plagam inter Gothos, & Danos ardentissimo bello, erat signifera illustrissima fœmina E cuius

Tudertinus signifer.

Paulus Iouius lib. 4. c. 8.

Fœmina in bellis signifera.

manibus cum vexillum hostes conarentur eripere, eámque vt illis cederet, percuterēt, minimè quidem valuerunt, donec dexteram eius amputarunt. Qui historiam scripsit, præsens bello fuit, & facti huius testis, Olaus magnus Vpsalensis Archiepiscopus. O signifera nostra! ô Virgo diuina! merito tibi dicimus nos, qui in O tuo sumus congregati, quod dicebat Ephrem; *Tu captiuorum redemptio, & omnium salus.* O mater nostra! ô signifera nostra! custodi nos intra O patrocinij tui. Epiloga.

Fœmina memorabile facinus.

Olaus magnus Archiepiscopus Vpsalensis in historia.

Ephrem oratio ad Virginem Mariam.

IN EADEM EXPECTATIONE PARTVS B. V. MARIAE.

SERMO II.

Cogitabat, qualis esset ista salutatio. Luc. 1, 29.

SALVTATIO, quam B. Virgo cogitabat, illa quidem fuit, qua nuntius nasciturí ex eius vtero Filij Angelus Gabriel eam Dei nomine salutauit tribus illis celeberrimis verbis: *Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Habet salutatio hæc proprium festum diem, in quo Dei Filius in vtero Virginis celebratur conceptus: quam festiuitatem sequitur hodierna, quæ nostrarum est propria Hispaniarum, nomine expectatio partus: illa nimirum expectatio, qua diuina Virgo conceptum iam Filium suo ex ventre expectabat nasciturum. Cui expectationi nulla in Euangelio congrua magis inuenio verba, quàm proposita hæc, *Cogitabat, qualis esset ista salutatio.* Quoniam profecto cogitatio hæc continuata fuit illo Expectati partus tempore toto: non quidem qualis esset; sed quòd talis esset salutatio. Quam vt reuerenter expendamus; prægnans Virgo ipsa apprimè salutanda est linguæ verbis, & cordis reuerentia. Sed quibusnam verbis? Nam salutatio hodie è cœlis facta venit, quin nos aliud quippiam adijciamus. In concionibus cunctis Virginem hanc salutaturi facimus nostra ex parte nonnihil, dum ad hodiernum Euangelium, pro sumenda salutatione confu-

gimus: hodie adest ad manum salutatio: est facta nostro in Euangelio, vt nihil nobis restet faciendum; sed eam, vt est facta, Virgini expectanti proponamus. Verùm talia video hominum genia, talia placita, vt deficientem notent hominem quemque, qui quod factum est, quantumcumque perfectum, offert, quale reperit, nihil ex proprio adiciens Marte. Accedis tu ad mercatoris officinam, multiformem ad elegantes caligas materiam empturus: cui elegantissimas caligas, perfectas iam, & absolutas venditor offert multo minoris, quàm impensurus es pretij, si materiam, & operam diuisim emeris: & tamen perfectas illas omnino reiicis, ex eò dumtaxat, quòd factæ iam sint, nec tua dispositæ industria. Quid, quòd & pulcherrimum pomum, quod sub arbore deciduum vides, sumere despiciens, excutis arborem, vt pomum ex ea propriis manibus capias; cùm multa videas immatura poma cum vno, quod maturum deiicis, excidere? Vndenam labor hic? nisi ex hac eadem origine, quòd factis iam rebus vti homines sæpe dedignentur? Cadet in terram diuinus fructus Virginea ex arbore; *Ex Virga Iesse*, purissima Virgine Maria: cadet in terram, nascens ex ea, ab hinc diebus Octo: quidnam agemus hodie hi, qui eum expectamus? Num excutiemus arborem? Estne expectatio arboris excussio; vt fructum iam nobis decerpamus? Habet proprium fructus iste diem: nunc prægnantem Virginem adimus, auxilij gratiam decerpturi; in qua non solum adminiculum, sed Angelicam etiam, qua eidem Dominæ loquamur, salutationē inuenimus factam: quid faciemus? Omittemus factam salutationem, vt per ambages aliam disquiramus? Vtique si per ambages eundum est, adest hodie O, quod propriè ad ambages spectat; imo ire per ambages, nihil aliud est, quàm O in gyrum circuire. Adest, inquam, nūc O quoniam præsens festū, *Nuestra senora de la O* appellatur Hispanis. Per hoc igitur O circumeundum est nobis ad salutationem inueniendam. At, cum littera O talis figuræ sit, vt, qui ab vno eius puncto incipit iter, ad idem tandem punctum redeat: Ideo quoties litteram hanc percurrerimus, ad idem toties reuertemur punctum, in quo est ea ipsa Gabrielis salutatio. Consultum ergo erit, si antequàm

Curiositas superflua hominum.

Simile.

Isa 11.1.

O celeberrimum in festo expectationis partus B.V.

O concione percurramus; auxiliatricem Virginem salutemus eisdem, quibus Angelus verbis salutauit, dicens:

AVE MARIA.

Israeliticus populus in duo diuisus Regna Idololatria Israelis turpissima. O festiuitas B. Virginis de la O.

FRat quondam in duo diuisus Regna Israeliticus populus; ex quo Ieroboam descisens à Proprio Israelis Rege Roboamo, tulit post se ex duodecim tribubus decem, super quas regnauit in Samaria, Roboamo Ierosolymis duarum tribuum dominatore. Ex illo tempore, cùm Dei templum esset Ierosolymis; Samaria idolorum cultui incumbebat omnis; sola diuino cultui Iudæa. Imo neque ista prorsus erat pura. Nam Dei cultui cum inseruiret in publico; erant nihilominus aliqua in nemoribus idolorum latibula, vbi dissimulantibus nonnullis ex Regibus, multi idola gentium adorabant. Accidit, vt vno regnarent tempore, in Samaria Ioram, Ochosias in Iudæa: qui, quòd Iorami esset cognatus, non parum mali ex ea contraxit cognatione. Eò vel maximè, quòd Iezabel, Iorami mater, pessima esset fœminarum, deditaque præ cunctis, superstitiosæ veneficiorum arti, atque præstigiis. Fuerunt itaque sceleratissimi Reges ambo, vt legimus in 4. Regum libro: de Ioram in ca. 3. & c. 4. de Ochozia. Quapropter constituit Dominus Deus, Regem vtrumque penitus delere. Quòd vt faceret, Iussit Iehu, in Regem vngi in loco remoto ab illa Samariæ vrbe, vbi vterque Rex, Ioram, & Ochosias fortè aderant simul. Congregata igitur citissimè, quàm maximam potuit, hominum multitudine, properauit Iesu in Iezrahel, vbi ægrotans Ioram, ab Ochosia inuisebatur. Quem exercitum cùm cerneret vrbis speculator, clamans è turri dixit, *Video ergo globum*. Nouum etenim Regem cingebat multitudo, ferens cum medium in modum coronæ; quam appellauit globum speculator. Quo audito, egressi Reges illi duo in curribus suis in occursum Iehu inuenerunt eum in agro Naboth Iezrahelititæ. Ibi cùm Ioramus cominus videret Iehu, dixit ad eum. *Pax est Iehu? At ille respondit: Quæ pax? Adhuc fornicationes Iezabel, matris tuæ, & veneficia eius multa vigent.*

3 Reg. 21. 20.

3 Reg. 12. 26. 3. Reg. 15. 12.

3. Reg. 15. 12.

Reges priuat Deus Regnis, & vita: quum perperam vtuntur potestate.

4. Reg. 3. 1. 4 Reg 8. 25.

4 Reg. 9. 1.

Globus cingens electum Regem Iehu, symbolum litteræ O celeberrimæ in festo expectationis partus.

4 Reg 9. 17.

4 Reg. 9. 22.

Conuertit tunc Ioram currum, & ait: *Insidiæ, Ochozia.* Porro Iehu tetendit arcum manu, & percussit Ioram inter scapulas, & egressa est sagitta per cor eius: statimque corruit in curru suo. Quo mortuo, fugit pernicissimus Ochozias: frustranea tamen celeritate, nam & ipse similiter percussus interiit. Quam victoriam, cùm persecutus nouus ille Rex, vrbem introiisset, videretque in ea respicientem in fenestra Iezabelem; hanc etiam præcipitari iussit. Vix deiectam Reginam equorum vngulæ conculcauerunt; sed & concurrentes canes deuorauerunt carnes eius, nudis cum caluaria, ossibus relictis.

Videt hodierna die hostilis globum speculator; & eundem ego globum video. Quid est O nisi globus? quid autem est hodierna festiuitas, nisi O? Est quidem O celebritas præsens: sed videt à longè hodiernum O speculator ille, qui ad tam lætum O prohibetur accedere; Clamatque præ dolore, O, O, O. Nam cùm littera O sit interiectio, aliquando exultantis (vt mox videbimus, quum gaudia nostra expanderimus) est quandoque etiam & indignantis, & dolentis, sicut apud Comicum: *O audaciam! Etiam me vltro accusatum aduenit.* Non tamen tantæ illi mœstitiæ, quantæ nobis est alacritati; qui cùm O cominus cernamus, agnoscimus globi dignitatem; nostrasque læti prosternimus vestes in aduenientis thronum Regis, atque Reginæ, quæ Regis est globus. Nemo, ne vestes cum corde offerat, prope esse recusetur: nam, cùm festi huius institutum sit O intra ipsum O ambulare concionem, penitus oportet; nisi extra propositum pergere velimus. Imo propius adhuc, accedendum est, ad dispiciẽdum, quidnam in festiuitate hac significet O, quidue sit O ipsum, quo lætamur. Non enim constat, quidnam sit O in hodierna celebritate; cùm sit omnino extra Euangelium: propriaque sit nostrarum adinuentio Hispaniarum. Oportet autem, originalem festorum nosse institutionem: cùm ordinatarũ à Deo celebritatum iusserit ipse, notas fieri causas omni populo. *Quum dixerint vobis filij vestri, quæ est ista religio? dicetis eis: Victima transitus Domini est.* Cogitabat Maria, qualis esset ista salutatio: cogitatis & vos, quale sit festum hoc, quod sub nomine O ouantes celebramus. Præsertim cùm solemnitas hæc alio præterea nomine signetur;

Ieremi. in Phor.

Exod 12. 26.

Festorum institutum expendendum coram populo.

signetur; expectatio videlicet partus. Mirum, quòd duplici celebretur titulo; cùm nullus sit in Euangelio. Verùm enimverò, mirum potiùs esset, si vltra impositum festiuitati huic titulum O non adderetur titulus alius, quo ipsum O repleatur; cùm circulus sit, est sua vacuum conditione. Vtique O littera est: in nulla autem Dei solemnitate, vacua Spiritu admittitur littera: sed Spiritu plena: *Ita vt seruatamus in nouitate Spiritus, & non in vetustate litteræ.* Rom.7.6. Ideirco prouidentissimus Deus duobus voluit nominibus festum celebrari, & littera O & partus expectatione; vt littera O repleatur Spiritu, qui est ipsa expectatio copiosissimus. Est (inquam) Spiritus expectatio; vt quæ intimus videndi natum Deum affectus, desiderium ardens, purus amor, Spiritu hoc repletur littera: littera O repletur Spiritu; partus nempe futuri expectatione. Quò progredior? Imo ipsum O cùm littera sit, est & verè Spiritus; quatenus ex interna Spiritus vi corda intimè vrgente in vocem O prorumpunt corda ipsa. Est siquidem O & affectus expressio, & intimi index desiderij.

Litterales scripturarũ sensus Spiritu repleti.

Spiritus replet vacuitatem litterarum diuinæ scripturæ.

Expectatio partus festiuitas Spiritu plenissima.

O ardentem significat affectum.

O mihi præteritos referat si Iupiter annos! Vergil 8. Æneid.
O si vrnam argenti fors quæ mihi monstret! Hora. 2. serm. Satyra 6.
Otinam tunc, cùm Lacedemona classe petebat. Ouid. epist. Penelop.
Obrutus insanis esset adulter aquis.

Intimiori videndi natum filium affectu dicebat O sanctissima genitrix. Quo, eam imitatus, dicit septies O in Hebdomada hac Ecclesiasticus chorus septem his Antiphonis, quibus per septem Hebdomadæ dies ardens insinuat desiderium. O Sapientia! quæ sola Dei Sapientia es! veni, veni iam, mentes nostra à tetris tenebris educere. O Adonai! O Deus omnipotens! ô dux populi tui, qui Israeliticum populum à seruitutis iugo liberasti, veni ad liberandum nos ex grauiori peccati iugo. O Radix Iesse, qui stas in signum populorum! appare in terra nostra: quoniam sicut à radice pendent rami, ita nos à te, qui dicis nobis; *Ego sum vitis, vos palmites.* Ioan.15.5. O Clauis Dauid: veni educere vinctos ex ergastulo. O Sol iustitiæ oriens rectis corde! veni illuminare his, qui in vmbra sedent mortis. O Rex gentium, & omnium Dominator! veni ad regendos nos, ac protegendos. O Emanuel Rex, & legifer noster! veni ad du-

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

cendos nos per viam iustitiæ ad fœliciſſimum illum vitæ huius terminum, qui in tui viſione conſiſtit. Eſt igitur expectatio partus incluſa in O, & in O incluſus Spiritus; in O Antiphonæ omnes; concio præſens in O; & in O feſtum totum. Quinetiam & hanc B. Virginis congregationem intra ipſum O commodè includam, & ſimiliter omnes congregatos.

Omnia igitur hæc intra noſtrum iam O læti colligamus. Quod vt concinnè fiat, per litteram O, tanquam per circulum gyrare oportebit. Imo, quoniam orbis terrarum, & cœlorum orbis eſt O; per cœlos nunc gradiemur, & terras. Greſſus autem, quibus proficiſci conducit, diuinarum ſunt greſſus litterarum; quibus O noſtrum tuti circuibimus.

Maria prægnans circumdedit perfectum virum.

Eſt primus ad propoſitum locus percelebris ille Ieremiæ, *Fœmina circundabit virum.* Quæ verba ex prægnante Dei genitrice intelliguntur ad litteram. Ita namque Patres acceperunt ferè omnes, Sophron. Cypr. Aug. Bernar. Hier. Iſidor. Hugo. S. Tho. Diony. Lyra. Vatablus; eſtque communis fermè Eccleſiæ intellectus. Imo & Rabbenu Hakkados, & Rabbi Hunna; & conuerſus ad fidem Iudæus medicus Hieronymus, qui in libris, quos cõtra Iudæos ſcripſit, probat his Ieremię verbis, naſciturum ex Virgine Meſſiam. Suntque manifeſta fundamẽta. Imprimis nomen fœminæ, quod in Hebręo eſt, *Nekebah*, ſignificat fœminam non allegoricè, ſed animatam, veramque mulierem. Nomen item viri, Hebraicè, *Gaber*, perfectum deſignat virtute virum, roboreque præſtantem, ad hæc & ſtrenuum ducem ac Dominum; quod in ſolum conuenit Chriſtum. Nullus quippe alius, dum in matris eſt vtero, vir perfectus eſt, fortis, potẽs, dux, ac Dominator. Verbum item circundabit, Hebraicè *Ieſobeb*, eſt propriè vallare, atque circundare. Sed illud apprimè aperit Prophetæ mentem, quod verbis his præmiſit: *Creauit Dominus nouum ſuper terram; fœmina circundabit virum.* Nihil enim aliud adeo eſſet nouum, vt apparatu tanto diceret vates, *Creauit Dominus nouum ſuper terram*, præter vnum hoc, quòd Virgo ventre circundaret virum perfectiſſimum, virum ducem, virum Dominatorem, fortem conſummatum; virum Deum. Maximè cùm præmittat Ie-

Iere 31. 22. Soph. ſerm. de Aſſump. Virg. Cypria. ſer. de Natiuit. Domi. Aug. ſer. 9. de tempo. & ſerm. 5. de natiuit. Ber hom 2. in Miſſus eſt. Hier. in Iere 31. 22. Iſidor ibi. Hugo ibi. S. Th ibid Dion ibi Lyran. ibi. Vatabl. ibid. Rabbenu Hakkados. ibid. Rabbi Hũna ibi. Hier medicus lib. 1. contra Iudæos ca. 4. Hebræa.

remias ipse: *Reuertere, Virgo Israel, reuertere ad ciuitates tuas istas. Vsq; quo delicijs dissolueris, filia vaga? quia creauit Dominus nouum super terram: fœmina circundabit virum.* Tunc perfectæ erunt deliciæ tuæ: tunc internæ deliciæ; deliciæ Spiritus; deliciæ perfectæ, vtiles, diuinæ. Fœmina igitur Maria iuxta Prophetiam hanc, circundat virum, nempe ventre circundat; quoniam prægnantis venter propriè circulus est, & valli circulus. Sūt appositissima illa, quæ obstetrix dixit verba ad nascentem ex Thamare Phares, videns, quòd cùm filij duo essent in vtero, relicto Zatamo, Phares exiret prior. *Quare diuisa est propter te maceria?* id est, venter, in rotundæ maceriæ modum, filios circumuallans. Est igitur prægnantis vterus rotundus, quasi O; & ideo festū illud, quod prægnantem celebrat Dei genitricē, O iure optimo appellatur.

Vterus prægnantis vallum infantis est.

Gen. 38 29.

Ad cœlum iam ascendat concio. Illud enim, cùm Sphericum sit; perfectum est O; vndecumque perspectum. Cœlum igitur hoc sedem suam Dominus elegit, vt testatur ipse his Isaiæ verbis: *Cœlum sedes mea.* Qua, rogo, causa, sedem sibi Deus elegit sphericam? Congruam oportet causam confiteri; cùm Sapientissimus artifex eiusmodi formæ sibi fecerit sedem. Quòd si congrua præ omnibus ratione sedem Dei decet esse rotundam; sanè cùm sedem sibi fecit in terris, eam fuisse O, congruum fuit, atque conueniens. Talis quidem fuit Mariæ venter; perfectum O; quo genitum à se circundedit Deum. Eò vel maximè, quòd diuina Maria, eò quòd Dei sedes sit, cœlum est perfectissimum; quod in Apocalypsi videns Ioannes, dixit: *Vidi cœlum nouum.* Quod cœlum Deiparam Virginem intelligunt Patres, præsertim Petrus Damianus, dum ait, *Quid ergo vitij in eius mente, vel corpore vendicare sibi potuit locum, quæ ad instar cœli, plenitudinis totius diuinitatis meruit esse sacrarium?* Cœlum profecto est Maria nostra: sed est dignior, quæ intensiori adhuc consideratione notetur sphetica hæc Domini sedes; si rationem eius indigemus. Etenim quisquis pro asseruando prætiosissimo auri vase, seu monili elegantem facit ei capsellam; eam quidem ad eiusdem vasis mensuram, & ad eiusdem etiam facit normam. Itaque qui pectoralem gerit crucem Episcopus, prætiosissimis baccatam margaritis ac gemmis; iubet ad custodiam

Cœlum cur sedes Dei.

Isa. 66.

Maria cœlū cœlis omnibus præstans in eo quod Dei sedes est.

Apoc. 21 1.

Petrus Dam. ser. 3. de nat. Mariæ.

Simile.

Maria adificata ad Dei normā.

eius fieri capsulam in formam item crucis eiusdem normæ, atque mensuræ. Similiter pro asseruanda ænea Astrologus sphera, seu argentea; sphericum item ex ligno, aut corio iubet fieri globum, spheram vndique ambientem. Quid est Dominus Christus? Nonne perfectum O? Talem se quidem nominat ipse: *Ego sum Alpha, & Omega*: quę verba ipsius sunt Christi; vt ex textu ipso palam constat. *Ego sum Alpha, & Omega; principium & finis, dicit Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotens.* Estque acceptus Patribus intellectus, Gregorio imprimis Nazianzeno, Athanasio, Epiphanio, Augustino, Ruffin. Idacio, Aggenno; Oppositus nemini. Si ergo est O Mariæ Filius, ipsaque in id formata, vt filium hunc vtero gigneret, & gereret, congruum quidem fuit, vt, ad conformandum vterum genito, esset vterus O, sicut est O genitus ipse. Ea quippe ratione cœlum, quòd filij huius sedes sit, sphericum etiam construxit Altissimus. Imo cœlo cuique est mensura, ac forma omnino conforme cœlum illud à quo continetur, & circundatur. Quanto conformiorem filio suo existimandus est Deus formauisse Mariam, quam, vt filium ipsum prægnans circundaret, construxit? ô diuinum! ô diuina Virgo! Quam scitè, ac eleganter appellat te! ô Hispania nostra, quam filio tuo, qui perfectissimum est O, vndecumque conformem, & ad mensuram eius intuetur?

Virgo, Dei genitrix, quem totus non capit orbis:
In tua se clausit viscera, factus homo.

Quem cœli, nec cœli cœlorum capere potuerunt, tuo diuinitus vtero clausisti. Conformior ergo es tu Domino Deo, quã cœli ipsi infinita vniformitatis excellentia. Conformis Deo cognitionibus; conformis volũtate, puritate cõformis. Conformis affectibus, propensione, virtutibus, operibus, in omnibus tu vndecũq; cõformis, sicut illud O, quod aliud O circundat, & cõtinet, est illi penitus conforme. *Factor hominũ, vt homo fieret nasciturus de homine, talẽ sibi ex omnibus debuit deligere, imo condere matrẽ, qualẽ & se decere sciebat, & sibi nouerat placituram*, ait: S. Bernar. Construendi sibi templi terrestris dedit Deus ipse mensuram fabris, gerente calamum Angelo ad omnes templi partes metiendas. *Funiculus lineus*

Christus est O

O perfectissimum est Christus.

Apoc. 1. 8.

Greg. Naz. orat. 35. Athanas. in Matth. 11. 27. Epiph. in Apoc. 1. 8. Aug. ibi. Idacius li. 3. contra Vanimãdrum. Aggen li. 3. contra Arrianos.

Bern. hom. 2. super Missus est.

Maria templum Dei, factum ad Dei normã & mensurã.

in manu eius, & calamus mensuræ in manu eius. Quinetiam & lapides pro Salomonis templo quadrari iussit: *Lapides pretiosos in fundamentum templi, & quadrarent eos:* quanto impensior credenda est exhibita cura, vt ad mensuram gerendi vtero filij fabrefieret Virgo illa, quæ viuum eius templum est; imo & eius vterus verum est templum, vt Ecclesia canit: *Magnum hæreditatis mysterium: templum Dei factus est vterus, nesciens virum.* Ezec. 40. 3. 3. Reg 5 17. Antiphona in officio Circunci-sionis.

Est oppositum valde Hieroglyphicum illud, ostensum à Deo Ezechieli. *Nubes magna, & ignis involuens, & splendor in circuitu eius: & de medio eius quasi species electri. & similitudo quatuor animalium; & hic aspectus eorum. Quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni. Duæ pennæ singulorum iungebantur, & duæ tegebant corpora eorum; & vnumquodque ante faciem suam ambulabat. Cumq; aspicerem animalia, apparuit rota vna super terram, & aspectus rotarum, & opus earum quasi visio maris; & aspectus earum, & opera, quasi sit rota in medio rotæ.* Visio Ezechielis hæc glorioſa fuit rota; visio nempe currus gloriæ Dei; nam hæ rotæ sunt currus, quem quatuor hæc animalia gloriabunda ferunt. Sic testatus est Ecclesiasticus, dicens: *Ezechiel, qui vidit conspectum gloriæ, quam ostendit illi in curru Cherubim.* Currus autem hic ortodoxa est Ecclesia, de qua Vates musicus; *Currus Dei decem millibus multiplex: millia lætantium Dominus in eis, in Sina, in Sancto.* Ducitur autem Cherubinis quatuor, qui in animalium specie apparuisse dicuntur; cùm descripta ibi animalium forma propriam Cherubinorum referat figuram. Id, quod Ezechiel ipse decimo latius explicuit capite. Cùm enim de his animalibus primo capite dixisset, quòd & pennata essent, & hominum habentia faciem; ad hæc. *Et super firmamentum, quod erat imminens capiti eorum, quasi aspectus lapidis sapphiri similitudo throni:* dixit capite decimo: *Ecce in firmamento, quod erat super caput Cherubim, quasi lapis Sapphirus, quasi species similitudinis solij, & dixit ad virum, qui indutus erat lineis, ingredere in medio rotarum.* Videamus nunc, quænam sint mirabiles hæ glorioſissimi currus rotæ, adeò peregrina arte fabrefactæ, *quasi rota sit in medio rotæ.* Magnum semper faceſſit Doctoribus negotium vera huius currus explicatio. Fortè voluit diuinus faber, vt rotis his ad nostra vsque curreret

Ecclesia est currus gloria Dei, ductus mirabilibus rotis.

Ecclesiast. 49. 10.

Psal. 67. 18.

Ezech. 1. 26

Ezech. 10. 1.

Rota in medio rotæ apud Ezechielem 1.

Maria, & Christus rota in medio rotæ.

tempora, vt ad hodiernam festiuitatem perueniens, comi- *Allegoria.*
Gregor.l.1. in Ezech hom.6. nus à nobis cerneretur. Non possum non & approbare omnino, & merito laudare B. Gregorij interpretationem; qui rotam, quæ est in medio rotæ, Euangelium in medio testamenti veteris intelligit. Itaque diuina Scriptura rota quidem est, quæ tutum Ecclesiæ ducit currum: in cuius rotæ medio est Euangelium, quasi rota in medio rotæ. Nam quemadmodum quæuis currus rota, rota vna cum sit, duas continet rotas, circulum nempe rotæ maiorem, eum, qui terram tangit, & minorem alium, tympanum nempe, seu modiolum, qui in centro rotæ est, quem *Vaçe* dicimus Hispani: sic rota currus sanctæ Ecclesiæ ex vtraque componitur rota, veteri, & nouo testamento; quibus mystica hæc rota compacta est, atque connexa. Radij etenim rotæ, quibus vterque coniungitur circulus in hac Ecclesiæ rota sensus sunt litterales, quibus testamenta duo connexa sunt, atque compacta, sicut ligneis radijs duo rotæ circuli vniuntur. Est
Psal.76.19. appositus ex psalmis textus. *Vox tonitrui tui in rota.* Nam *Similc.*
Dei vox in diuinis resonat scripturis. Accedit, quòd maior illerotæ circulus à parte exteriori terram tangit; à concaua parte tympanum respicit, minimè tangens terram; quam nullatenus tangit media ipsa rotula; quod scripturarũ proprium est magis. Vetus namque testamentum à parte exteriori terram tangit, agens de rebus ad humanam, prout in terra degitur, vitam pertinentibus, temporalibus Dei promissionibus, vitáque super terram componenda: at à parte interna respicit gratiæ legem, quæ nullo terram tangit modo, sed cœlestis est tota; atque adeo vetus ipsa lex, qua parte noua compingitur lege, cœlestis est, ac spiritalis. Quid quod extremus rotæ circulus ferratus est vndique; media rotula minimè ferrata, nec tamen ideo minus fortis, ac solida? Propria mysticæ huius rotæ conditio. Nam vetus lex *Similc.*
Act.15.10. multo erat ferro circundata: ferro asperitatis, & grauaminis, de quo Petrus, *Quod nec patres nostri, nec nos portare potuimus*: suauis, ac lenis noua lex; nec minus propterea solida, ac firma. Nec omittendum quòd rota currus vna sit rotæ: quod non aliter in testamentis his se habere conspicimus. Vetus enim scriptura, & scriptura noua, vna scriptura sunt; vna Ecclesiæ rota, qua in vnum tempus, non in diuer-

Scriptura sacra ex duobus integra testamentis rota est in medio rotæ. Testamenta duo circuli rotæ.

Testamentũ vetus à parte exteriori tãgebat terram, res nimirum temporaneas, sed respiciebat intrinsecus diuinas.

Lex vetus dura grauis, ferrata: suauis noua lex. Simile.

fos tendit fines. Aliam præterea rotæ huius expositionem inuenio, cui etiam subscribo libens, tum quòd Ruperti auctoris, tum quòd Gregorianæ huic multum est similis. Ait doctor hic, exteriorem rotæ circulum sensum esse scripturæ litteralem; spiritalem sensum rotulam mediam. Nihilominus, non parum iucundam fore arbitror, si nostro congruam instituto expositionem rotæ proferamus. Est ergo rota in medio rotæ Christus in medio Virginis Mariæ: currus etenim rota perfectum est O Christus est O perfectum; *Ego sum A, & O*, mater eius est O: *Sancta Maria de la O*: est igitur rota in medio rotæ. Eò vel maximè; quod vox vnica Dei est Christus ipse; vt qui vnicum eius Verbum sempiternum. Ac ex consequenti diuina illa vox de qua vates Rex. *Vox tonitrui tui in rota.* Christus ipse est, qui in Virgineo vtero, tanquam in propria est rota, in O perfectissimo Maria.

Ruper. li 1. in Ezech. c. 11.

Scriptura sensus plures vnam ordinatissimam componunt rotam.

Sensus scripturarum inter se connexi, sicut rota in medio rota.

Psal. 76. 19.

Est in hoc mirabilis valde Ezechielis visio, quod rotæ quatuor duæ sint rotæ: eo quod rota sit in medio rotæ. *Vna similitudo ipsarum quatuor: & aspectus earum, & opera, quasi sit rota in medio rotæ.* Propriæ quidem, ac veræ currus rotæ. Hæ namque in quolibet curru duæ sunt; at ex quatuor compositæ; cùm rota sit in medio rotæ, vt explicuimus. Quænam rotæ hæ? Planè, quæ mysticum Ecclesiæ currum ferunt, duæ sunt rotæ Christus Iesus, & Vicarius eius. Cùm enim Christus Ecclesiæ sit rota, vt qui firmum eius fundamentum, dicente Paulo: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, Christus Iesus*: Est nihilominus fundamentalis Ecclesiæ Petra, Pontifex summus, vt ipsimet Petro fecit notum Christus ipse dicens: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Itaque Christus & Petrus duæ sunt currus huius rotæ. Et quoniam rotã vnam in medio rotæ alterius esse oportet: ideo in curru hoc rota quidem est in medio rotæ. Nam ex B. Perro, eiúsque successore, Romano Pontifice, rota vna fit: in cuius centro adest Petrus; Pontifex summus in circuitu eius: Rota alia sunt Christus, & Maria: ille paruulus factus in ventre eius, quasi paruula rota: grandis rota Maria tenens in medio sui paruam, sed firmam penitus rotam. Eleganter vates: *Deus in medio eius.* Nec obstat, quòd addit, *non commouebitur*: nam

Romanus Pontifex rota currus Ecclesiæ.

Petrus Apostolus rota currus Ecclesiæ.

1. Cor. 3. 11.

Matt. 16. 18.

Psal. 47. 3.

quanquam tota pariter mouetur rota, illa tamen rotula, quę in medio circuli est, scilicet tympanum, minimè ab eo dimouetur. Facit præterea, quòd apparuit rota vna super terram. Super terram namque apparuit Maria; è terra quidem facta: sed tamen in terra super terram. Omni profecto terra valde superior. Facit necnon, quod *aspectus rotarum quasi visio maris*: nomen quippe Mariæ, Hebraicè Mir-iam, mare interpretatur; inde Maria magnum est mare: vt explicant Epiphan. Hieronym. Magnus Albertus, Damascen. Bonauent. & Antonin. Nec minus facit, quòd *Apparuit rota vna super terram iuxta animalia, habens quatuor facies*: quas quidem minimè explicat textus: sicut quatuor cuiusque animalis facies explicuit. *Quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni. Facies hominis, & facies leonis à dextris ipsorum quatuor: facies autem bouis à sinistris ipsorum quatuor: & facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.* Ecce vnumquodque habet à parte dextera faciem leonis, & hominis; faciem bouis à sinistra; & super caput, faciem aquilæ. At vero rotæ primæ cùm facies quatuor numerentur, nulla earum explicatur, quænam, & qualis facies sit. Quid mysterij? Sanè animalium facies, etiam cum tanto sint plena mysterio, vt simul & animalia sint, & Cherubin, possunt proprijs explicari nominibus: at rotæ primæ, quæ Maria est, nullatenus possunt facies quatuor explicari; cùm quatuor distinctæ numerentur. *Maria interpretatur mare*, ait Dionysius Carthusianus: *quia sicut nullus valet, guttas maris dinumerare: sic gratiæ excellentiam, gloriamq; Mariæ nullus valet exprimere.* Cùm ergo Maria, eo quod mare sit, nullatenus explicari possit, & rota hęc sit visio Maris; planè sequitur, nec rotam hanc explicari posse: cùm facies eius quatuor omnem naturæ ordinem excedant. Sunt enim quatuor facies hæ, maritatæ facies à sinistris, à dextris facies matris, & Virginis facies: facies super caput admirabilis: nempe genitricis creatoris sui. Quis tam impossibiles naturaliter facies aut explicare posset, aut rimari? Quis vnquam vidit enixæ faciem, quæ vere facies esset Virginis? Quis faciem genitricis, quæ faciem habeat filiæ geniti sui. Sola in Maria facies hæ simul vniuntur. Sola facies hæ in rota prima: nam aliarum non numerantur quatuor facies rotarum. Est ergo Maria rota illa prima, quæ apparuit

Maria mare magnum.

Maria Deipara facies quatuor.

Epiphan. orat. de laudibus Virg. Hier. lib. de nominibus Hebr. in Exodū. Albert. magnus super Missus est. Damascen. orat. 1. de dormitione Deiparę. Bonauent. in speculo c. 3. Anton. 4 p. tit 15. c. 14. §. 2.

Dionys. Carth. li. 3. de laudib. Virg. art. 30

paruit super terram, atque adeo est rota, in cuius medio est rota: rota vera Christus in medio rotæ matris suę: inclusum O vnum, in O alio Christus in medio alterius O, quod est Maria, mater eius.

Christus veniens in terrâ destruxit tres animæ hostes.

Peruenit iam dum per O gyrat, concio ad punctum illud, vnde sumpsit initium. Ad illam nempe Regum historiam, quæ ab electo Iehu duos narrat Reges interfectos, & Reginam cum eis vnam. Quorum omnium mystica interpretatio festiuitati nostrę non parùm idonea iudicabitur. Tres etenim illi inimicos totidem animarum significant nostrarum, Dęmonem, mundum, & carnem. Dęmonem Ioram Samarię Rex: propterea quòd in regno eius publicè coleretur in aureis Dęmon idolis; essętque Rex ille inimicus Dei manifestus. Secundus Rex designat mundum: nempe Rex Ochozias: quippe qui non manifestus Dei hostis, hostis tamen. Quoniam cum Dei cultum profiteretur, & honorem; parum, aut minimè incumbebat ei, imo perditis prorsus erat moribus. Ille vero Dęmonem repręsentat, qui ex professo inimicus est, vt ex communi constat locutione, qua Dæmon appellatur Satan, quod Hebræum nomen Latinè est inimicus, vt Hieronymus est interpretatus. Constatque ex verbis illis libri Paralip. primi, *Consurrexit autem Satan contra Israel*, id est; consurrexit inimicus. Nam mundus licet sit inimicus, se dissimulat hostem, sed verè hostis est, vt ait Christus ipse: *Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit.* Carnem denique repræsentauit Iezabel: quòd affectibus carnis esset intenta; quod profanis vestibus ornata: quòd fucata facie; quòd depictis stibio oculis: quòd amica fenestræ: quòd incumbens turpiter luxuriæ; quòd pacem populi perturbans, quæ propria est carnalium conditio fœminarum, vt dixit ad Darium Zorobabel. *Multi perierunt, & iugulati sunt, & peccauerunt propter mulieres.* Talis quidem describitur perdita illa Regina Iezabel: imo & incumbens maleficijs; quod proprium est perditissimarum vbique mulierum. *Iezabel pinxit oculos suos stibio, & ornauit caput suum, & respexit per fenestram.* Quod pacem quoque perturbarit, constat ex verbis ipsis Iehu, qui dixit ad Ioram filium eius: *Quæ pax? Adhuc fornicationes Iezabel, matris tuæ, & veneficia eius multa*

Maria circundedit vtero virum, qui inde iã profligare cæpit hostes, postea destruendos.

Inimici animæ tres designati mystice duobus Regibus, & vna Israelitica Regina.

Dæmones hostes manifesti.

Mundus inimicus dissimulatus.

Carnis vitium designatum Iezabela.

Hieron. in epist. ad Ephes. c. 4. 1. Paral. 21. Ioan. 15 18. 3. Esd. 4 27. 4. Reg. 9. 30 4 Reg. 9 12

vigent. Vnctus autem Iehu figura fuit Christi, ad quem
Psal. 44. 9. Psaltes Rex: *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*: & id quidem ad
Psal. 44. 4. destruendos Dei aduersarios: *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.* Nomen enim Christi Hebraicè vnctus interpretatur: quem ad bellandos Dei inimicos aduenisse, constat ex vniuerso scripturarum volumine. In vigesim. prim. Numerorum capite libri nescio cuius mentio fit,
Num. 21. 14 qui bellorum Dei liber nominatur: *Vnde dicitur in libro bellorum Domini, sicut fecit in mari rubro, sic faciet in torrentibus.* Quisnam liber hic? Nulli ibi talis repertus est liber? Totum veteris testamenti volumen bellorum Domini librum appellari sensit Rupertus, propterea quòd inferendum
Ruper. lib. 2 de victoria Verbi Dei c. 18. à Christo hostibus bellum ostendebat. Quid moror? Eadem, quæ dixit verba Iehu. *Quæ pax esse potest?* dixit Chri-
Matt. 10. 34 stus ipse, *non veni pacem mittere, sed gladium.* Hunc cùm in terras aduenientem viderunt mundus, & Diabolus, non secus circa eum dubitauerunt ambigui, nec secus, quisnam ille esset perquisierunt, ac duo illi Reges Ioram, & Ochozias aduenientè Iehu, exierunt dubij, vt agnoscerent eum, aduentúmque eius, essetne hostilis, an pacificus. Dæ-
Ambr. in c. 4. Lucæ. mones enim perplexos circa Christum, essetne Messias, es-
Aug. lib. 9. de ciuit. Dei c. 21. Chrysost. in 1. Matt. cap. Hieron. in c. 4. Matth. setne Deus, diu vacillasse, multis ex scripturæ locis collegerunt Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Hieronymus, & alij: Quæ eadem mundo perplexitas fuit: cùm dicerent alij, *quia bonus est: alij non, sed seducit turbas*, vt commemorat Ioannes: & intelligunt Patres, ac scholastici Doctores. Vnctus igitur Christus, fecit apparitione sua prima terga
Ioan. 7. 12. vertere Diabolum, ac mundum cum curribus suis, non aliter, atque Iehu, vbi primum apparuit, compulit terga vertere in curribus suis Ioram, & Ochoziam. Nam re vera cùm primum apparuit Christus in præsepio, cœpit exanimari
Caiet. 3 p. q. 47 art. 5. Medina 3. p. q. 4 art. 1. dub. 2. Diabolus, canentibus Angelis. *Gloria in altissimis Deo: & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*; visisque multis præterea
Luc. 2. 14. signis, quæ longum esset numerare. Sunt autem proprij dies hisce Christi victorijs designati. In die passionis celebratur parta contra Diabolum: de qua dixit ad Christus
Ioan. 12. 31. ipse: *nunc Princeps mundi huius eijcietur foras.* Illa autem, qua mundum superauit, resurrectionis habet proprium diem.

Liber bellorum Domini Scriptura sacra.

Sacra Scriptura liber bellorum Dei nominatur.

Christum videntes varij nimis fuerunt dæmones circa eius personam.

Mundus perplexus fuit in Christi cognitione, quum venit in mundũ.

Passionis Christi dies seua victoria eius cõtra Diabolum dies commendatur.

Resurrectionis Christi dies, dies victoria est, qua vicit mundum.

Est enim dies ille proprius fidei dies, dicente Paulo, *Si Christus non resurrexit, inanis est fides vestra*: quæ autem vincit mundum, fides Christi est, vt Ioannes testatur verbis illis: *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* Verè in die illa victus est mundus: cùm ignominia, ludibria, opprobria, irrisiones, dolores, & flagella, quibus contemptus à mundo Dei Filius, mundum contempsit ipsum in Resurrectionis die exaltata sint, vt mundi pompa ostenderetur contemptibilis. Carnis mortificatio proprium celebritatis habet diem illum, quo Dei Filius victorem carnis misit Spiritum. *Caro enim concupiscit aduersus Spiritum: Spiritus autem aduersus carnem.* Restat ergo applicandum proposito nostro mysterium illud, quo videns circundatum Regem Iehu speculator, dixit è turri: *Video ego globum.* Quinam globus est hic? nisi prægnans genitrix eius, & quænam globo huic celebris dies, nisi hodierna, in qua Mariæ O, eiusque celebratur expectatio. Si enim acies illa, quæ cingebat Iehu, ideo erat globus, quòd in coronæ modum ordinata cingeret eum; sanè & Virgo hæc dum diuinum Regem cingebat vtero, acies erat summo ordine disposita. In tantum, vt non terrestri è turri, sed è turri cœlesti clament speculatores: *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens; pulchra, vt Luna; electa, vt Sol; terribilis, vt castrorum acies ordinata?* Respondeant Bernardus, quidnam respondet: *Non sic timent hostes visibiles copiosam quasi castrorum multitudinem; sicut aëreæ potestates Mariæ vocabulum, patrocinium, exemplum. Fluunt, & pereunt, sicut cera à facie ignis, vbicumque inueniunt huius nominis recordationem, deuotam inuocationem, solicitam imitationem.* Hæc Virgo est verus ille globus, in cuius medio veniebat electus à Deo Rex, inimicos suos deuicturus: quoniam fœmina circundabat virum, virum Ducem, virum Regem. Congruum igitur est, vt in die, qua talis mundo apparet globus, qua prægnans apparet Dei genitrix Virgo, proprium ei festum celebretur; festum prægnantis vteri Virginis: festum expectationis, qua veniens muliere circundatus Rex noster, alacriter spectatur, & qua ab eadem genitrice expectatur festum O, quod est globus ille, qui Regem circundat, vterus scilicet, qui factus O, circundat eum. Hæc igitur est iucundissima diei ho-

1. Corin. 15. 14.

1. Ioan. 12. 31.

Pentecostes dies festiuitas est, qua celebratur victoria spiritus aduersus carnem.

Galat. 5. 17.

Maria acies castrorum ordinata.

Expectationis festiuitas celebrat prægnātis Virginis vterū.

Cant. 6. 9.

Bernard. cuius verba repetit Bonauent. in speculo cap. 3.

dierni celebritas. Dies, in quo Romana Ecclesia, ad excipiendum Regem præparata, mittit nuntios suos, vt venientem in virginea Regem lectica spectent, & salutent. Mos generalis hominum est, vt cum Rex in vrbem aliquam venit, non solum tota, ad excipiendum illum, ciuitas præparetur; sed mittas etiam nobilem aliquem legatum, qui vrbis nomine & salutet Regem, & ei subijciat ciuitatem. Diebus his intenta est Romana Ecclesia debitæ, ad excipiendum venientem Regem suũ præparationi eis ornamentis, quæ Regi Deo digna videantur: Quem cùm lætissimo expectet affectu, aspicit lucidissimis speculatorum suorum oculis viam, per quam gratissimus aduentat. Quæ omnia cùm adeo exactè perficiat, illud tandem non duxit omittendũ, vt fidelem aliquem, nobilémque præmitteret legatum, qui & globum hunc speculetur, & venientem Regem, matremq; eius suo nomine salutet. Nihil profectò prius facit Ecclesia diebus his; vt legenti cuique primum temporis huius respõsorium facilè patebit. *Aspiciens à longè, ecce video Dei potentiam venientem. I te obuiam ei, & dicite: nuntia nobis, situ es ipse, qui regnaturus es in populo Israel.* Fauore hoc Hispaniam nostram Romana honorat Ecclesia; quæ dum Regnũ hoc nostrum præsentem cõcedit festiuitatem celebrare; mittit profecto illud, vt venientem Regem salutet in via; salutet & piam genitricem, in cuius ille vtero, tanquam Regio globo, corona Regia circundatus venit. Hæc præsentis expectationis celebritas: hoc est alacre O, quo præsens festum O appellatur: hæc est prospera nostræ Hispaniæ fœlicitas, vt nomine sanctæ Romanæ Ecclesiæ ad excipiendum venientem Deum Regem festiuissima procedat.

Expectationis festiuitas illa quidem est, in qua Romana Ecclesia mittit Hispaniam legatam ad salutandum aduenientẽ Regem, & matrẽ eius.

Responsorium I. Dominicæ I. Aduentus.

Hispania Romana sedis legata ad salutandum venientem Regem in Virginis vtero in die expectationis.

Est & alia fœlicitas nostra: qua dùm propositum O, ordine circundamus; honorificam B. Virginis congregationem eodem O vallatã inuenimus. Quidnam congregationẽ designat propriùs, quàm rotundũ O? Sola enim littera O vna est vndecunq; nec vnde aperta, nec vnde vllũ prębẽs ingressum. Propria Ecclesiæ conditio; quæ cũ innumeris constet hominibus, est tamẽ prorsus vna, sicut O. *Vna est colũba mea, perfecta mea.* Merito quidem dicitur perfecta, quoniam littera O, litterarum est perfectissima cunctarum. Est perfecta

Congregatio B. Virginis celebrãs appositè festum expectationis partus.

Cant. 6. 8.

Congregatio B. Virginis est littera O.

figura; perfecta etiam fortitudine; propter quam ab sponso appellatur Ecclesia, *terribilis, vt castrorum acies ordinata.* Imitatur autem Ecclesiam congregatio in eò quòd, cùm generalis congregatio Ecclesiæ Christi sit; est matris eius cõgregatio pars quædã eiusdẽ vniuersalis Ecclesiæ, addito, quoad sanctas quasdam consuetudines, speciali quodam vinculo vnitatis. Nec modica inde vniuersali ipsi Ecclesię vtilitas, ob præclarissimas hominum virtutes, quas manifestè vbiq; experta, grandia congregationi huic sedes ipsa Apostolica cõcedit indulta. Præsertim ad id, quod ad propriam cõgregationis attinet conditionem, eximiũ profecto est emolumẽtum; nempe animorum coniunctionem, pacẽ amorem, vnitatem. Quã tanti in republica æstimabat Tullius, quãti indicant illa eius verba: *Quod si exemeris ex natura rerum beneuolentiæ coniũctionem; nec domus vlla, nec vrbs stare poterit; nec agri quidem cultus permanebit.* Et quòniã, cũ de O nostro agitur, in maris visione ostenditur rota textu illo; *Aspectus rotarum, & opus earum quasi visio maris*; Ideo nostrum O, quod rotam esse diximus, appositè considerabimus in mari. Sancta Ecclesia nauis quædam est, in Petri naui designata; ac consequenter specialis quæque congregatio nauicula est, vniuersali naui deseruiens, sicut paruæ scaphæ magno nauigio. In quo ergo consistit nauis gubernatio? Notatres est. In claui imprimis certo regimine; deinde in vocum vnitate, cum manuum vnitate coniuncta. Vocat ad leuãdum velum Rector, ad cuius iussum nautæ confestim concurrunt omnes ad suum quisque locum designatum: quanam arte leuant facile velum? Clamat Rector O, ęa: respondent omnes vna voce, O: clamat, O sancte Petre; respõdent omnes similiter O: clamat, O S. Maria; respondent omnes rursus O: & quoties ille dicit O, toties O respondent vniuersi. Quonam fine vtuntur voce O nautæ omnes? Vtiq;, vt dicẽtes O vno pariter ore, omnes vires suas vno ad leuandum velum applicẽt impetu. Alioquin, nisi voce vna dicerent O, diuerso quisq; tempore vires suas leuando applicaret carbaso; quibus nullo magis puncto eueheret illum, quã si vnus solus esset nauta. Propria Congregationis excellẽtia Ideo enim vos clarissimi viri, proprium congregationis vestræ insigne assumitis O, vt in vnum cõgregati, vnũ dicatis omnes, Pauli doctrinæ

Cicero de amicitia.

Congregatio B. Virginis vtilissima vniuersæ Ecclesiæ.

Ezech. 1 16.

Congregatio B. Virginis vnio est strictissima animorum.

Simile.

2. Cor 13. 11. obtemperantes: *Idem sapite; pacem habete.* Quam adeo in vobis perfectam video; vt minime possim non agnoscere, matrem congregationis esse Mariam. Erant ex patre vno Esau, & Iacob, & magna tamen dissensione discordes; vos ex diuersis genitricibus, concordes prorsus, penitus vnanimes; vndenam in vobis concordia tanta; nisi ex vna omnes essetis matre, ex partu magis vno, quàm ille Rebeccæ vnus Gen. 25 22. fuit partus? Ex illo enim, cùm vnus esset, filius alter prior natus est altero; ex Maria vos pariter nati omnes, vna Mariæ nati voce, vocatione vna, & ad eius O alacres nimis respondentes. Sed quid esset, si respondentes O nauitę omnes, tacitas haberent manus? Id est, manus eorum nihil agerent? Sanè certus nautarum in conclamando O, finis est vnicus, manus suas simul mouere cum lingua; vt dum dicunt O, restem pariter contrahant; sicque cum antenna carbasus leuetur. Bona est (fateor) concordia; laudabilis pax, vtilis vnanimitas; sed multo quidem minùs pretiosa esset, si manus cum voce ad opera sancta non concurrerent. Littera quippe O intimum designat desiderium vt à principio concionis audistis; ac consequenter, si quis solo sisteret desiderio virtutum, esset quidem ille ex cōgregatione, quoad nomen dumtaxat, contętus voce O; at non esset verè ex congregatione; cuius vocale O ad sancta opera dirigitur. *Pulsemus desiderando; & quæramus laborando*, dixit benè Eusebius Emissenus. In quo ego multò magis laudo congregationis matrem, matrisq; filium, congregationis auctorem; quòd virtutum fructus in congregatione hac adeo sint conspicui, adeo manifesti, adeo noti, vt multò minus sufficiat dicere nostra commendatio, quàm quod omni populo notorium est, & in confesso.

Opera bona respondere debent bonæ professioni.

Eusebius Emissen. hom. 3. ad Monachos.

Sed nūquid à contubernio Virginis Deiparæ alienæ sunt fœminæ? Suntne extraneæ ab hac expectatione? Excluse ab O, quod circundat Virginis sodales? Imo est propria magis fœminarū festiuitas; cùm pertineat hæc ad infantiliū nascituri Christi præparationem. Amplectitur quidē intra O suū fœminas Maria; si tales sint, quales intra purissimum Deiparæ cœtū admitti decet: si vitā suā ita disponant, vt facta ad mensuram litteræ O, ab eadē O aptè capiatur. Alioquin extra O se esse nouerint, quotquot dissipata aberant vita. Sed

Fœmina honesta tutissimo Mariæ vallo circumsepta.

quid, si & degeneres à Mariæ honestate, ipsemet O esse comprobentur? Appositа verba enucleemus. *Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra, & fatua.* Videtur ænigma: & tale quidem est. Fierine potest, vt in naribus suis sit circulus mulier? Congruitne, vt aureus circulus sit, quæ fatua est simul, ac speciosa? Absit, vt quispiam dubitet verum. Deus est, qui testatur: videat, qui voluerit, vndecimũ prouerbiorũ caput; ibi inueniet verba, sicut refero. Nec mirum, quòd intricatum videatur enigma; quodlibet quippe verbum eius singulari eget expensione. Circulus aureus mulier pulchra. Aureo imprimis circulo pulchritudo pulchrè designatur, tam ratione formæ, quàm materiæ. Nam quoad extremam hanc, nihil pulchrius auro: ex formis etiam circularis est speciosissima; vt Aristoteles, & Euclides latè probauerunt. Deinde circulus hic in naribus ponitur; cùm nulla sit hominis pars ad monile aliquod inepta magis, quàm nasus. Quapropter nemo apponit circulum naso ad pulchritudinem; sed ad capturam, cohibitionemq; in frænum scilicet, & camum, vt constat ex vsu, quo Elephantes traiectis circulo naribus tenentur. Qua ratione dixit Deus ad Iob; *Numquid pones circulum in naribus eius?* Behemoch videlicet quẽ Elephantem interpretantur Hebręi, quos sequuntur Vatablus, Forsterus, Eugubinus, Osorius, Tygurinus, & Pineda: quæ & videtur S. Chrysost. sententia. Id quod in thesauris scripsit Marinus, Pererius in Danielem, in Apoc. Blasius Viegas. verba hæc; *Ponam circulum in naribus tuis, & frænum in labijs tuis.* Iam nomen fatuæ mulieris examinandũ est. Non enim dicitur fatua illa, quæ & litteris est prorsus destituta, & in negotiis parum gnara; sed illa tantum, quæ saluationis suæ mediis vti negligit. Imo sola hæc tam quoad viros, quã quoad fœminas, fatuitas vocatur in scripturis. Sufficiant verba Seruatoris, de virginibus decem afferentis: *Quinque ex eis erant fatuæ, quæ non sumpserunt oleũ secum.* Tãdem nomẽ illud, suis, nempe circulus aureus in naribus suis, Latinè ambiguũ videtur; vt scilicet significare possit proprias mulieris nares; vel nares porci, qui sus Latina lingua nũcupatur. Extremus hic sensus legitimus est; extra omnẽ primus congruitatem. Itaq; dicit Sapiens, idem penitus esse in fatua muliere decorem, atq; aureum in porci naribus circulum. Estq; ita

Fœmina fatua vallum sibi statuit pulchritudinem.

Fœminarũ sollicita custodia.

Auro pulchritudo designatur.

Pulchritudinis symbolum aurum.

Elephantes tenentur circulo naribus traiecto.

Stultitia vnica legem Dei relinquere.

Prou 11. 22.

Aristot. Euclides.

Iob. 40. 21. Vatablus. Forsterus. Eugubinus. Osorius. Tygurina. Pineda in 40. ca. Iob. Chry ibid. Marin. in thesauris. Pererius in Dan. c 3. Viegas in Apo. ca. 12. sect. 21. Isa 37 29. Matth 25 3.

Hebræa. in Hebræo originali. Quòd si cui arrideat sensus primus: in turpissimum vterq; sensus talis fœminæ vergit vituperium. Iuxta primum igitur intellectum pulchra quæuis mulier, si fatua est, ita splendescit pulchritudine sua, ac si aureum à naso circulum gereret pendentem. Mirabile dictu. Vix est fœminę pars, cui, exceptis naribus, circulus aureus non conueniat. Capiti aptus est sertorum circulus, circulusque coronæ. Annulli facti sunt ad mensuram digitorum; & sunt circuli aurei. Ab auribus pendent aurei circuli, quibus inaures incertæ sunt. Torquis est aureus circulus; & est aptissimum colli ornamentum. Si agilibus vult, seu brachialibus aureos attemperare circulos fœmina; sunt appositæ armillę. Si aureum assequitur cinctorium; circulus quoque est huiusmodi cingulum. Imo & iuxta pedes ponere circulum, si velit; ad id quoque adinuenit fœminea curiositas funiculatæ Cycladis artem, qua in talaris fimbriam vestis sparteum circulum adaptat, vt vestis illa rotunda fit; quam Hispani dicunt *Verdugado*. Solus est aurei circuli incapax nasus; qui tali circulo vltra modum quidem esset deformis. Quæ ergo mulier soli loco huic, qui circuli est incapax, aureum applicat circulum: nonne fatua meritò appellatur? Multis profecto de causis est fatua. Sufficeret sanè horrenda deformitas, quam mulier ipsa ex auro suo sibi sedula facit. Omnes fatuam vltro confitemini; sed dicitis omnes, nullam vnquam à vobis tam stultam mulierem repertam, quæ aureum naso composuerit circulum. At vtinam ne pleræque sint, ex adstãtibus dixerim, pleræq; huiusmodi sibi deformitatẽ commẽtę. Dicã, quis sit aureus fœminæ circulus: forte & agnoscatur stultitia multarum. Est supremum aurum naturalis hominum speciositas: debet ergo, tanquam pretiosissimum aurum custodiri, ne rapiatur à latronibus. Heu quot vbiq; sunt fœminæ raptores pulchritudinis! quot formosarũ fures fœminarum? Quàm igitur sedulò, quàm vigilanter, quàm sollicitè debet fœmina pulchra custodiri? Quonã custodietur? Vtique circulari custodia opus est; ne quà pateat aditus latronibus. At quænam est circularis ista custodia? Nullam sanè alium arbitror circularem, præter vnam hanc, sanctam fœminę prudentiam circunspectionem, discretionem. Quid si mulier aliqua in circuitu sui poneret pulchritudinem?

Fatuus cum multa idonea inueniat, illud dumtaxat eligit, quod vnicè ineptũ est.

Fœminarũ ornamenta.

Fucus fœminarum fatuitas.

Mulierum vestes elegãtes camus sunt, quo tanquam belua tenentur.

tudinem ? Nonne aureum hæc pulchritudinem suam circulum faceret? Et quotnam sunt, quæ ponunt sibi huiusmodi circulum? Imo quotnam sunt, quæ talem sibi circulum non ponunt? Quonam modo circundat se pulchritudine sua fœmina speciosa? Dicite vos, quanam ex materia muros vestrarum facitis ciuitatum ? nonne ex albo gypso ? Nonne ex permista lateribus calce ? Ergo quæ faciem mulier gypso circundat, seu mista laterario puluere calce, albo nimirum permisto rubro colore : sola faciem vallat pulchritudine sua : imo & non sua pulchritudine. Quid diuersum facit, quæ auro circundat caput suum, dum sulphure comam, cæterisque id genus deaurat curiosissima pigmentis? Quis auream mitram multis collucentem margaritis, ac gemmis circulum aureum diffitebitur ? Ponit igitur sibi huiusmodi fœmina circularem capiti coronam, ponit & mitram, ponit serta super deauratam sulphure comam. Ponit circularem pectori torquem : armillas brachiis circulares; circulares item annulos digitis : & cinctorium lumbis circulare: nonne fœmina hæc circulum sibi ponit pulchritudinem? Nonne circulum aureum: cum aurum sit ipsa pulchritudo ? Cùm ergo mulieris formositas solidissimo debeat circulo vallari, ac custodiri ; nonne pulchritudinis peruertit ordinem quæcumque mulier circulum ponit pulchritudinem ? Nonne pulchritudo ineptior est, quæ in circulum fœminæ ponatur, quàm nasus eius, vt aureus ab eo circulus pendeat ? Rogo te, fœmina pudica; quisnam est finis formæ in fœmina honesta circularis ? Nonne finis est, vt te circunuallans, defendat à latronibus? Vide ergo contrarium fini huic effectum, dum te circundas pulchritudine. Nam in solo quidem positus naso, totam circulus destruit defensionem ; cum circulo illo capiaris, non secùs ac capitur circulo elephantus, & circulo aper naribus traiecto. Itaque eam, quam intra circulum debes speciositatem custodire ; facis circulum aureum, vnde à furibus ipsa capiaris. Nonne peruersio hæc fatuitas est, ac insipientia ? Dicite vos ipsæ, quæ me audistis: si intraret modo templum hoc pulchra satis fœmina, ac ornata, pendulum gerens naribus circulum ; nonne vos ipsæ, tam horrendum videntes monstrum, stuperetis ; territosque tali aspectu infantes, ipso eius adspectu ablactaretis ? Nonne generalis au-

diretur cachinnus? Mulier hæc es tu ipsa; si in circuitu tui tuam statuis pulchritudinem: Deus est, qui testatur: *Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra & fatua.* Fatua, & insipiens supra modum; quæ datam à Deo, ad glorificandum eum, pulchritudinem circulum facis, quo callidus quisque pulchritudinis fur te arripiat, ferat, fœdet, ac præcipitet. Legimus in 4. Regum libro dixisse Dominum ad superbientem Senacherib. *Ponam itaque circulum in naribus tuis; & camum in labijs tuis.* Summa cohibitio; bestiarum propria: camo tenentur labia, nares circulo; vt bestia subiecta sit penitus. Scitote vos Dominæ auditrices, nomine cami, & vinculum labij, & muliebre etiam significari ornamentum, ac cultum. Quid hoc? Mirabile dictu. Fatua mulier, & pulchritudine sua tanquam circulo, & tanquam camo tenetur ornamento, subdens se viro cuique, tenere eam cupienti.

4. Reg. 19. 28.

Camus, fœmineum ornamentum, vinculum, quo illicitur fœmina.

Sed non minor fœminæ fatuitas in legitimo Prouerbij huius intellectu. Circulus aureus in naribus porci, mulier pulchra, & fatua. Nempe pulchritudinem suam circulum facit aureum, quo carnales viros, atque adeo sues, naribus tenet. Proprium porcorum est, fastidioso narium rumore incessanter olfacere. Quid minus facit lasciuus homo? Numquam desinit iste, carnis odorem solicitus quærere: vt vbicumque carnalem subodorauerit fœminam, illuc ocyus accurrat. Fertur ergo homo iste fœminæ specie, tanquam circulo, quo naribus tenetur, & subijcitur. Dic mihi Domina, quanam ratione diceret Deus, te, si fatua es, esse in naribus apri: nisi carnalem tui, quo accurrat sus, odorem exhalares? & tu, Domine, dicito, quidnam sibi dicit Dominus Deus, nisi porcum te esse, si pulchræ mulieris specie teneri te pateris, ac subdi. Turpis homo! qui fœminæ specie instar apri se ferri, patitur, & gaudet. Fatua mulier! quæ candido manu Dei splendore donata candorem totum in naribus porci locari gaudet, & procurat. Quænam mulier talem candoris sui pateretur iniuriam, nisi pulchra, & fatua? Nam quæ speciosa, & prudens est, circulo vallat pulchritudinem, ne vlli carnis præbeat odorem; atque adeo ne immundo cuipiam sit naribus circulus; nec naribus propriis se ipsam circulum

Fœmina impudica collocat se ipsam in naribus porci.

Simile.

Lasciuus vir olfacit semper putris carnis odorem instar porci.

apponat, quo illecta turpiter subdatur. Quæ vero fatua, atque deformis illa quidem nec circulus est in naribus propriis, nec in porci naribus; quoniam nec quispiam eam feret, nec se ab ea ferri patietur. Sola igitur mulier pulchra, & fatua circulus est in suis ipsa naribus, & immundi naribus suis. Nulla est litterarum tam clausa sicut O; nec tam apta ad clausuram relinquendam. Est omnino clausa, quatenus nec vnde cuipiam præbens aditum. Talis est prudens mulier. Circularem hæc suæ vallum ponit pulchritudini, honori suo, domui suæ; omnes vitio, dedecori diuinæ offensioni aditus præcludens. Hanc si vaguus vir, nulla interueniente notæ causa vtilitatis, inuisere attentat; domus eius clausam videns ianuam, surdamque ad voces fœminam; desistit; atque ita reuertitur, qua venerat. Mittit ad eam plenum promissionibus, ac blandiciis scriptum: sed quid illa? Timens eius illecebas, dicit ad nuntium: non est domus hæc, ad quam tu mitteris. Sic dimittit eum; ne manu quidem tangit scriptum. Ecce quomodo pulchra, & prudens, illecebram nullam circulum esse vult, quo feratur ab aliquo; nedum propriam sui pulchritudinem. At pulchra, & fatua, non vtitur quidem littera O, tanquam debita clausura: sed tanquam circulo, quo trahatur, & trahat. Si impertinens vir pulsat ex domus foribus vnam; aperit ipsa valuas duas. Si scribit ad eam; ipsa protinus rescribit. Si nec scribit, nec pulsat: exit ipsamet leuis ad fenestram, nulloque accepto scribit scripto: quid inde sperari potest; nisi à volente quolibet tanquam belua domita feratur? Est ergo circulus aureus in naribus suis mulier pulchra, & fatua.

Ad vos, prudentes fœminæ, sermonem conuerto: nam quæ fatuę sunt, minimè intelligent. Sed obsecro adstantes omnes, nequa iam fatua esse velit. Erit autem verè prudens fœmina illa, quæ B. Virginem Mariam ante oculos sibi speculum statuens, imitari studuerit semper. Aureum est O Maria nostra; quam fœminæ illæ verè imitabuntur, quæ suam vallo honestatem seruantes, nulli vnquam aditum concesserint vitio. Imitabuntur perfectiùs adhuc illæ, quæ non sola hac honestate contentæ, fuerint diebus his in iugi diuini sponsi expectatione, dicentes: ô Sa-

pientia! ô Sapientia vera! Veni, veni iam, Sapientia Dei Patris. Veni, veni; nequa mulier in tantæ Sapientiæ conſpectu fatua iam ſit; ſed omnes ſint diſertæ, atque prudentes. Sint prudentes omnes in his, in quibus vera prudentia, verus conſiſtit intellectus. Hortus concluſus eſt Maria; *Hortus*
Cant. 4 12. *concluſus*, *fons ſignatus*, Concluſus circulari vndique vallo; ſignatus ſumma honeſtatis clauſura. Quapropter, cùm hortus amœniſſimus ſit; exhalat diebus his ſuauiſſimam cordis ſui fragrantiam, ardentiſſimis affectibus canes; O Sapientia mea! ô bonum meum! ô Fili mi! ô Deus meus! Vtroque igitur, & clauſura nimirum, & affectu Virginem hanc adſtantes omnes imitentur; imitentur & noſtræ congregationis ſodales; omneſque adſtantes imitentur in ijs, quæ iuxta ſuam quiſque poterit conditionem, ac ſtatum. Epiloga.

IN EADEM

EXPECTATIONE

PARTVS B. V. MARIAE.

SERMO III.

Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Nazareth ad Virginem desponsatam viro. Luc. 1. 26.

Expectatio partus festiui est, quo Hispana nobilitas ab Ecclesia legata exit excipere aduenientem Regem, & Reginam.

HODIERNA festiuitas non est historiale aliquod vitæ Saluatoris, eiusve genitricis mysterium, aut encomium: sed voluntaria quædam Hispanæ nobilitatis iubilatio, prægnantem Dei matrem celebrantis. Festi titulus est Expectatio partus: in cuius expectatione consideramus prægnantem Virginem, nascituro infantilia genito parantem; linteamina, pannos, fasciam; Quod Hispanæ fœminæ dicunt; *aparejar la canastica.* Cæterum, quoniam huiusmodi expectatio grauidæ ipsius Virginis fuit propria; arbitror ego aliquid præterea nostris hodie in Ecclesijs celebrari. Est vrbana vbique consuetudo, vt ciuitas quæque à Principe suo visitanda, non in solo introitus die lætam se exhibeat, ac iucundam, procedentibus ad vrbis fores Rectoribus cunctis, ac dynastis, Principem suum excepturis; sed iubilantium etiam iuuenum choreas præmittat extra muros, qui exultantis populi gaudium manifestent, Regique debitam pro visitatione gratitudinem. Imo & puellarum consueuere aliquando exire choreæ: quod de Israëlitico legimus populo, electum Regem nondum coronatum Dauidem excipiente. Illi enim de glorioſa Goliæ nece victori redeunti, *Egressæ*

Simile.

1. Reg. 18. 6 *sunt mulieres de vniuersis vrbibus Israel cantantes, choreasq; ducentes in tympanis lætitiæ, & in sistris.* Non secus Romana Ecclesia, quæ grandia, ad excipiendum Regem suum, Dei Filium, præparat ornamenta, quibus eum læta iuxta portas ciuitatis excipiat in eo, in quo nascetur diuersorio; hanc Hispaniæ nostræ concedit gratiam, grandi hoc eam honorat fauore, vt antequam ad muros perueniat Rex, exeat foras Hispania, facta iubilans chorea, ad concinendum ei O; O Sapientia, ô Adonai, ô Dux noster, ô clauis Dauid, ô Emanuel, ô Rex, ô bonum nostrum! Nam & chorea ipsa O perfectum est, saltantibus in gyro pueris, aut puellis. Ideo & vocatur O hodierna festiuitas. Ipsam matris Ecclesiæ conuocationem audiamus: *Egredimini, filiæ Sion, & videte*

Cant. 3. 11. *Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua in die desponsationis illius, & in die Lætitiæ cordis eius.* Quisnam est desponsationis iste dies, nisi ille, in quo Dei Filius Virgineo in ventre vnitus est humanæ naturæ? Diem enim illum desponsationis Christi proprium esse diem, intellexerunt S. Patres.

Hispania valde à Romana Ecclesia nobilitata festo expectationis partus Virginis Deiparæ.

Christus coronatus Rex in die Incarnationis.

Iuxta hæc, cùm choream hanc magnum sibi Hispania agnoscat honorem; instituit & specialem magis aliam: Hãc videlicet congregationem nostram B. Mariæ de la O, proprio titulo, propria deuotione dedicatam. Et quoniam moris est populo cuique, Regem sic excepturo, competentes ex communi ærario sumptus largiri eis, qui huiusmodi choreas ducunt ouantes: ideò Apostolica Christiani populi sedes similes ex sacro ærario congregationi huic largitur expensas, gratias nimirum multas, indulta magna spiritalia. At quod nam prædicanti datur suffragium, quo venientem Virginem, Regis portatricẽ dignis verbis salutet, & adoret? Sunt nobis hodie in auribus verba, quibus missus à Deo Paranymphus Gabriel diuinam salutat genitricem; quidnam ego, qui & nuntius sum, verba quæram alia, quàm quæ humilis ille dixit ad Virginem? In eis enim non solum idonea salutatio; sed idoneum etiam medium est, ad diuini auxilij gratiam consequendam, per eiusdem Mariæ interuentionem; quæ nobis certa est, si suauissimis ipsis Angeli verbis inuocauerimus eam, dicentes,

Congregatio B. Mariæ de la O.

AVE MARIA.

Arca testamenti dux Israelitici populi.

CVm Deus optimus maximus, eductum de Ægypto populum in promissam terram transferre voluit: dedit ei ducem sacram testamenti arcam, vt Iordanem præsertim transuaderent. *Ecce arca fœderis Domini omnis terræ antecedet vos per Iordanem.* Quonammodo antecedebat? Ibat in humeris sacerdotum, populo subsequente. Sic cum Iordanem flumen ingredi inciperet, aquæ substiterunt protinus, impetu penitus cohibito, factóque magno ex eis aggere, donec populus totus sicco post arcam pertransijt vestigio: *Steterunt aquæ descendentes in loco vno; & ad instar montis intumescentes, apparebant procul ab vrbe.* Constituti iam trans Iordanem Israëlitæ, de expugnanda proxima fluuio vrbe, nomine Ierico, quàm primum tractauerunt. Fuit verò is capturæ modus Ductori Iosue præscriptus à Deo. *Tulerunt Sacerdotes arcam Domini, & septem ex eis septem buccinas, quarum in iubileo vsus est; præcedebantq; arcam Domini ambulantes, atque clangentes; & armatus populus ibat ante eos; vulgus autem ante reliquum sequebatur arcam, & buccinis personabat. Circuieruntque ciuitatem secundo die semel; & reuersi sunt in castra. Sic fecerunt sex diebus. Die autem septimo diluculo surgentes circuierunt vrbem, sicut dispositum erat, septies. Cumq; septimo circuitu clangerent buccinis sacerdotes, dixit Iosue ad omnem Israel, vociferamini, tradidit enim vobis Dominus ciuitatem. Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis, muri illico corruerunt.* Stupenda planè miracula duo. Et fluidæ natura sua aquæ ad arcæ transitum muri solidi fiunt; & solidi muri, quasi fluida aqua diffunduntur, ad eiusdem arcæ circuitionem. Quis non perhorrescat; si vel ipsum, absque mysterio alio, factum contempletur? Quantò magis, si latentem medullam, profundáque arcana enucleemus? Venit Dei Filius, ad reconciliandos Deo filios hominum, destruendosque exitiales eorum hostes, carnem, mundum, & Diabolum; quos stationibus tribus vitæ suæ potissimis deuicit: carnem Incarnatione, mundum Natiuitate, Diabolum morte. Harum prima victoria ipso constat ex facto. Quæ enim illustrior carnalis appetentiæ destructio, quàm carnalis filij Conceptio ab omni pura carnis ardore; ita vt concipiens

Iosue 3. 11.

Iordanis aqua mutata ad arcæ transitum.

Aqua Iordanis exaggerata ad arcæ Dei transitum.

Iosue 3. 16.

Iosue 6. 12.

Ierichuntini muri ad arcæ præsentiã corruentes.

Muri Iericho ad præsentiam arcæ effusi.

Christus destruxit tres animarum hostes congressibus tribus; incarnatione, ortu, & interitu suo.

mater illæsa semper Virginitate præstiterit? Non minùs nota extrema victoria: quam adeptum cruce Dei Filium, scripturarum testimonia canunt multa. Illud inter alia *Nunc Princeps huius mundi ejicietur foras: & ego si exaltatus fuero* Ioan.12.31. *à terra, omnia traham ad meipsum.* Hoc autem dicebat, *significans qua morte esset moriturus.* Media autem victoria, qua mundum gloriosè profligauit, satis apertè fulsit in præsepio: in quo eam noscunt Sancti Patres, pij etiam quique tenere agnoscunt. Quænam glorioſior excogitari potuit mundi conculcatio, atque confusio, quàm contemptus hic, quo Dei Filius infimum, ad sui natiuitatem, contemptis mundi pompis, præsepium elegit inter pecora? Porrò si prima illa fœderis arca socia fuit ducis Iosue in fluminis trãsitu, in vrbis euersione, in hostium nece: nõne magis Christi socia Maria in tribus istis & congressionibus, & victoriis? Etenim sacra fœderis arca Virgo genitrix est; vt cum Damasceno Patres censuerunt. Habuit enim hæc intra seipsam illud ipsum Dei, quod cum hominibus pepigit, fœdus, indutum carne Filium suum vnicum. Quod Glossa etiam, & Aloysius adnotarunt. Imo ipsemet Christus notum fecit, cum dixit ad discipulos: *Hic Calix nouum testamentum est in meo sanguine.* Ideo arcam hanc, parentem suam, sociam sibi filius elegit in tribus his, quibus destruxit hostes, bellicis congressibus. In primo enim sacra arca hæc per fluminis alueum sicco transijt tramite in die, qua vtero concepit filiũ. Tunc enim fluminis aquæ cohibitæ sunt, ne per alueum currerent; per matrem scilicet, nam fluminis alueum matrem dicimus Hispani. Itaque naturalem humanæ generationis decursum magno Deus miraculo repressit, ne concipientem tangeret Mariam, diuini arcam testamenti, quæ sicco viam hanc transiuit pede, summa integritate permanente. Non minùs gloriosè fuit victoris socia in secundo congressu arca, genitrix eius. Si enim circumeunte muros arca, corruentes protinus vidit dux Iosue, & populus totus; certè ad diuini huius arcæ circuitionem mundi pergama proruunt, ac funduntur. Quia sicut arca illa Mariam; ita Iericho significat mundum. Est originalis Origene auctore interpretatio. Quam secutus noster Isidorus, Ierichuntinam istam euersionem præclarum destruendæ à Christo mundanæ

Maria concipiens Virgo illustrissimã de carne victoriam reportauit. Christus in cruce vicit Diabolum. Christus in præsepio vicit mundũ.

Maria socia ducis Christi tribus in congressibus, quibus animas hostes superauit.

Damascen. de dormitione Deiparæ. Glossa Exodi 25.1. moral. Luc.22.20.

Maria arca Testamenti.

Maria in Conceptione Virginitas luculenter indicatur.

Maria conturbernalis Christi in congressu, quo deuicit mundum.

Origenes hom.6.in Iosue. Isidor. in c.6. Iosue.

danæ vanitatis typum fuisse scitè colligit. Si ergo est mundus Iericho, arca vero est Deipara; consequens est, vt non minùs gloriosè, imo gloriosè magis deleuerit Maria mundi muros, quàm arca illa Ierichuntinos. Deleuit profecto funditùs adeo, vt pariens Virgo Dei Filium, non in murata pepererit vrbe, non in vallata parietibus domo; sed in patente solaribus radijs, ventisque stabulo rigẽtibus. Fuit necnon socia ducis nostri sacra hæc arca eius in tertio certamine; cùm Diabolum deuicit cruce. Prima etenim arca post euersos Ierichuntinos muros, in templo demum collocata, Idolum Dagon, in quo Diabolus colebatur à gentibus, sua tantum præsentia deiecit, & contriuit. *Tulerunt Philistijm arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon: & statuerunt eam iuxta Dagon. Cumq; surrexissent Azotij altera die, ecce Dagon iacebat pronus in terra ante arcam Domini; & tulerunt Dagon, & restituerunt eum in locum suum. Rursúmque mane die altera consurgentes inuenerunt Dagon iacentem super faciem suam in terra coram arca Domini; caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abscisse erant super limen.* Quid dicemus de arca nostra? *Stabat autem iuxta crucem Iesu Mater eius* eo tempore, quo destruebat ille Diabolum. Qui ad præsentiam diuinæ arcæ, filij sui sociæ, absciſſus est capite, iuxta antiquam illam Dei sententiam: *Ipsa conteret caput tuum*: manibus item absciſſus, ne eiusdem Virginis deuotos lædere valeat, nec attingere.

Maria aduersus diabolum victoria.

1. Reg. 5. 2.

Ioan. 19. 25.

Gen. 3. 15.

Ex congressionibus his, atque victorijs prima quidem proprium diem suum Incarnationis habet diem, sicut Passionis diem proprium habet extrema. Ad præsentem diem pertinet illa, quæ propria est contra mundum congressio, atque victoria. Cum enim hæc natalem Domini diem habeat proprium, sitque figurata Ierichuntinorum subuersione murorum; consequens est, vt sicut arca illa septima retro die cœpit, ad vrbis casum, circunduci; sic arca nostra à die hac; vt in extremo hebdomadis die muri proruant Ierichuntini.

Est circuitio rotundum quoddam O: est etiam O hodierna festiuitas; vt quæ *Nuestra Segnora de la O* appellatur Hispanis. Quare O? Nisi ex ea circuitione, qua mundi euertit vanitatem. Ideo septem his, quæ natalem Domini præce-

Expectationis aduentus festiuitas quæ.

dunt, diebus, septies canunt O Sacerdotes in choro, semel videlicet in Vesperis, sacram hanc Domini arcam humeris portantes, quam hodie incipiunt celebrare. Canunt profecto suauissimis vocibus, *O Sapientia, ô Adonai, ô Radix Iesse, ô clauis Dauid, ô Oriens splendor, ô Rex gentium! O Emanuel Rex, & legifer noster, expectatio gentium, & Saluator earum; veni ad saluandum nos, Domine Deus noster*! Quibus vocibus nascituram Filium celebrantes, consequenter celebrant & Virginem, cum parituram. Sacerdotes hos præcedunt alij buccinis clangentes, sicut in Ierichūtina euersione præcedebant.

August. ser. 106. de tẽpore.

Sed quinam sunt isti, qui nostrã sic præcedunt arcam, eiusque portitores? Nonne Prædicatores Sacerdotes? Hos quidem intellexit Augustinus: & meritò quidem; nam Prædicatores buccinis perstrepere, elegans scripturarum locutio est. *Clangite buccina in Gabaa*, ait Oseas; & rursus explicitè magis: *In gutture tuo sit tuba.* Quod septem his mirè congruit diebus: quatenus ad deijciendam mundi vanitatem, persuadendamque eam, quam Christus nascens in stabulo, humilitatem exercuit: necessaria est populo tantæ humilitatis Prædicatio. Illud hilares audient circunstantes, quod præcedens arcam armatorũ exercitus, nostra sit congregatio, B. Virgini dedicata. Nec ob id reliquus excluditur populus: sequitur hic congregationem, & Virginem, sicut populus ille armatos & arcam sequebantur. Ad sequẽdam enim B. Virginem, pia quidem populo aperitur via, si sodalitij huius fratres imitatus, eorũ egressus subsequantur. Ecce quod Reginæ mirabantur, cùm beatam te, ô cœli Regina, interrogabant, *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra, vt Luna, electa, vt Sol; terribilis, vt castrorum acies ordinata?* Nam dum tuam admirati claritatem, tui te armati sodales comitantur: es terribilis valde infernis hostibus: qui hac te videntes congregatione circundatam, contremunt meritò, tantam in se læsionem experti, quantam in vniuerso populo ex hac congregatione vtilitatem.

Oseæ 5 8. Oseæ 8.1.

Congregatio B. Virginis est armatus exercitus præcedens eam.

Cant. 6 9.

Sed O purissima arca nostra, aurea Dei arca? quidnam fuit, quòd post septemplicem primæ illius arcæ circuitionem, septem factam diebus, septimo ipso die septies iterum muros circuierit? *Die autem septima circuierunt vrbem septies.* Tenera quidem, corda, & intimè tangens circuitio. Cir-

Humilitatis exemplum Maria pariens in stabulo.

Iosue 6. 15.

Maria humilitate sua subuertit profana muros vanitatis.

cuisti tu, O arca diuina, Bethlehemiticam septies ciuitatem, quærens hospitij domum aliquam, vbi gloriæ Regem Virgineo ederes ex vtero; nec, post tot gressus, vnam inueniisti. *In propria venit, & sui eum non receperunt.* Fortissimi erant Ierichuntini muri: sed duriores Bethlehemitici; qui ad tui præsentiam, ad tui voces minimè molliuntur, cùm ad arcæ præsentiam, vocésque illi corruerint Sacerdotum. Sed & ferteæ tibi domorum valuæ; sicut ferrea corda inquilinorum. Magis tamen ferrea corda: quoniam nullum adeo durum posset ex terra ferrum educi, quod non molliretur creatore pulsante. At, sicut clausæ illius testamentum gerentis arcæ circuitu de foris facto, muri illi ceciderunt; sic dum tu, sacratior Dei arca, gerens intra te diuinũ testamentum, muros vrbis extrinsecùs circuis, cadunt superba mundi pergama, quibus suam defendit vanitatem. Cadant, cadant iam mundi mœnia; cadant, cadant munitiores, cadant turres. Ecce gloriæ Rex in abiectissimo nascitur stabulo, in quo vix paries sanus est vllus, vt mundi deijciat pompam, superbiam, apparatum. Tu, tu, arca diuina, profundissimo hoc humilitatis exemplo muratam mundi, atque turritam superbiam prorsus euertisti. Quænam superba gens, hinc iam non erubescat, alta, atque eminentia ad excellentiæ ostentationem, erigere ædificia; dum te, cœli Reginam in stabulo videt parientem; nascentem in stabulo orbis vniuersi creatorem?

Ioan. 1.11.

Iam sigillatim perspicienda sunt, quæ admiranda multa in Ierichuntinam concurrere ruinam; vt eadem omnia in nostra hac festiuitate mysticè adimpleta cognoscamus. Fuit ibi quidem valde mirabile, quòd ligneæ arcæ circunductione lapidei vrbis corruerint muri; & fuit etiam mirabile, quòd cadentibus muris, minimè fuerit læsa ipsa, quæ iuxta muros arca ducebatur. Admirabilis similiter fuit clangentium buccinis Sacerdotum harmonia; necnon præcedentis armatura exercitus, cuius milite nullo armis vllis vso, illustrissima enituit victoria. Illa etiam populi subita post silentium vociferatio non vllo caret admirationis fundamento. Imo & illud tandem non omittam inter mirabilia numerare: quòd cùm incolæ vrbis interfecti sint omnes, sola meretricis Rachab familia peruigili victorum

omnium studio immunis à generali internecione perstiterit.

Igitur quoad murorum attinet ruinam, sola arcæ præsentia, Sacerdotúmque buccinis nocte deiectorum miram videmus hodie artem, qua mundi deijcitur superbia ad præsentiam diuinæ arcæ, filium nocte media edentis ex vtero, vociferante tunc, non dicam Sacerdotum, non armatorum militum exercitu; sed cœlestium; quum scilicet *Facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum; & dicentium: gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Tunc generali profanæ celsitudinis excidio muros vanitatis excidisse, omnémque Principum corruisse superbiam, dixit egregius Doctor Adamus verbis illis: *In aduentu Iesu muri Iericho subuersi sunt: in aduentu Christi vincitur mundus.* Si potentium aspiciamus diademata; ille quidem, qui vnicè in orbe tunc dominabatur, Octauianus Imperator, itaut ad eius edictum vniuersus concurreret mundus, ille (inquam) potentissimus Princeps Sibillæ motus vaticinio, & fortè diuinitùs afflatus, Domini titulum sponte posuit, nati ex Virgine Principis ignarus; at numine intrinsecus instructus. Auctor Paulus Orosius. Consecratum Paci Deæ templum, quod æternum Romani existimabant, ipsa Virginei partus hora concidit dissolutum; vt Scholasticæ historiæ Magister scribit. Concidit pacis templum: quoniam nascebatur Princeps ille, qui ab Isaia appellabatur, *Princeps pacis*, cantantibus Angelis. *In terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Princeps pacis, qui templum est Dei, de quo Dominus ipse. *Soluite templum hoc; & in tribus diebus excitabo illud.* Quibus addit Ioannes: *Ille autem dicebat de templo corporis sui.* Non sunt digna, quæ in propositũ hoc omitti debeant Origenis verba de Ierichuntino afferentis excidio. *Oremus, vt veniat Dominus, & destruat mundum eum, qui in maligno positus est.* Opus est oratione, vt mundũ strenuè vincamus, deijciamus, cõculcemus. Orationi huic, vt feruẽter instemus, sunt signati ab Ecclesia septem hi dies, in quibus nascituri Regis, parituræ Reginæ humilitatem, mundiq; contemptum contemplemur. Septẽ mundum hunc gyris diebus septem mente circumeamus, canit Ecclesia antiphona prima in primis præsentis festi vesperis:

Mundana vanitatis ruina nascente ex Virgine Dei Filio.

Christus Natiuitate sua mundanam subuertit vanitatem.

Luc. 2. 14.

Adamus homil. 7 in Iosue.

Luc. 2. 1.

Paulus Orosius.

Magister historiarũ scholasticarum.

Isa. 9. 7.

Ioan. 2. 19.

Oratio, qua Christi humilitas, atq; paupertas consideratur.

Origen. homil. 6. in Iosue.

Paupertas Christi meditatio nostra.

O Sapientia, quæ ex ore Altissimi prodijsti! Contemplemur nos eam, quæ ex ore Altissimi, ex Altissimi nempe mentali vtero prodiit, Sapientiam, ex vtero matris exeuntem, carnis indutam vestimento. Cõtemplemur illum, de quo, eò quòd Dei Sapientia sit, ait B. Paulus. *In quo sunt omnes thesauri Sapientiæ, & scientiæ abscõditi*: linteaminibus inuolutum; non byssinis quidem, sed nato egeno ex matre consentaneis. Canit deinde, *O Adonai, & dux domus Israel*: contemplemur eum non purpureis inuolutum, sicut infantes Reges, pannis, ac palliolis, sed eis, quibus indutus existimandus est ille, qui natus iacebat in præsepio. Sequenti die canit Ecclesia: *O Radix Iesse, qui stas in signum populorum.* Contemplemur eum, qui à Regibus multis, à radice Iesse, Dauidis Regis genuina radice, oriundus est, Regem, stantem in signum populorum; signum humilitatis, signum paupertatis, signum patientiæ, mansuetudinis signum, vt puro eum imitemur affectu. Coloss. 2.3.

Mariæ Virginitas à nato eius custodita. Virginitas Deiparæ ab ipso nato eius custodita. Fœminas expugnatarum vrbiũ summa à victoribus custodiri diligentia, ne à quopiam suorum inuadantur. Victores vrbium nisi barbari sint, summa cauent cura, nequis suorũ militum iniurius sit fœminarum honestati.

Inter omnia hæc illud quoque apprimè considerandum, quòd muris corruentibus, arca perstet illæsa; diuina dico arca, Dei genitrix Virginitate perstet integerrima; arca iugiter clausa, cum diuinum illud ex se prodiderit thesaurũ, quo mundi pergama deiecta sunt. Nati quique alij solum, dum nascuntur, maternum destruunt murum; filius solus hic murum seruat maternum, nulla prorsus ex parte læsione contracta. Matrem ipsam loquentem audiamus: *Ego murus; & vbera mea sicut turris; ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.* Totam se murum dicit; atque ea, quæ post partum naturaliter solent esse debilia pectoris vbera, turrim in se fortissimam sentit Deipara. Pertinet ad exactam victorum ducum gloriam, vt nullam deuictæ vrbis fœminam, aut tenerent ipsi, aut à suis temerari permittant. In qua custodia glorioſam magis arbitrantur victoriam, quàm in hostili diruptione. Gloria hac hucusque fruitur Scipio; quòd inuentam in expugnata à se Hispana Cartagine pulchram nimis Virginem, non solùm custodiendam summo honore curauerit; sed proprio etiã tradiderit sponso, quem contrarij sibi exercitus ducem agnouit. Narrat Iulianus del Castillo in libris Gotthorum Hispaniæ Regum. Quid faceres tu, O Adonai! dux vnicè noster, cùm mundi Cant. 8. 10. Iulianus del Castillo lib. 2. Regum Gotthorũ, discursu 2.

muros subuertisti? Permitteresne, integritate minui Virginem illam, quæ est Virginum virgo, desponsata viro, minimè sibi aduerso, sed fidelissimo Ioseph? Si tale quid permittere tuam decebat pietatem; quantò minùs censendus es, ipse læsisse Virginem, dum ex ea es corporaliter natus? Absit à tua pietate. Maius aliquid, quàm Scipio, fecit hac in parte Christianus Marchion Pescarensis. Intrauit hic violenter Genuam ciuitatem, gubernatorem constituere Hieronymum Adorno, debita præcautione, ac diligentia, ne quis suorum fœminæ vllæ esset iniurius. Sed cùm nihilominus milites duos fœminam quandam non minus illustrem, quàm pudicam, opprimere attentasse, certa intelligeret probatione, iussos ad se adduci, manibus propriis interemit ambos. Scriptor est Villegas. Considerandum est, cur nam strenuissimus ille, ac pientissimus dux propriis putarit exequendam manibus debitam procacibus illis punitionem, non publici manibus tortoris. Forte fuit eius mēs, nullam debere quoad fœminas attinet differentiam permitti in tempore belli à pacis tempore, vt victoris causa, aut occasione iniuria vlla afficiatur. Quòd si tempore pacis illam quis attentaret oppressionem, non tortori vili, sed proprio coniugi supplicij esset committenda executio. Non ergo (ait Marchion) committam hanc tortori; sed ipse ego propriis manibus exequar, quod nobilis coniux suis secundum ius exequeretur. Quid dicemus de peruigili cura, qua victor dux, nobilissimus, pius, iustus, rectus, diuinus, custodiuit honorem, integritatem, pudicitiam Virginis, sponsæ, Deo consecratæ, matris suæ? Numquid pro accepta ex vtero eius humana conditione, eius pudicitiam imminueret? Imo inde puriſſima fuit, quòd Dei mater destinata: siquidē ad Dei Filium pertinebat, vt ex pura adeo virgine nascetur, qua purior nulla esse posset. Appositè Epiphanius; *Abrahamo impositum est epithetum amicus Dei, & non dissoluetur; Iacob vero, vt Israel vocetur, & non alterabitur: & sanctæ Mariæ Vox Virgo, & non mutabitur.*

Clangentes septem buccinis Sacerdotes considerabimus iam arcam præcedentes, vt Ierichuntini corruerent muri. *Tulerunt septem Sacerdotes septem buccinas, quarum in iubilæo vsus est.* Cur Iubilæi buccinas? Buccinas iubilationis & læ-

Scipionis honestas in custodiendis fœminis expugnatarū armis suis vrbium.

Marchion Pescarensis proprijs peremit manibus milites suos expugnatæ vrbis fœminis protectos.

Villegas lib 6. Historiæ Pontific c. 216. §. 1.

Epiph Hæresi 78.

Prædicatorū conuentio in prædicandis populo virtutibus auertendis vitijs summè necessaria.

Iosue 6. 13

titiæ? Vtique in huiusmodi buccinis concors harmonia est, cùm diuersæ sint, vt mox dicemus, voces, vna altior alia, alia inferior; mediæ reliquæ. Cur harmonicæ buccinæ ad tristem murorum subuersionem? Diximus supra ex scripturis, & (vt ibi audistis) ex B. August. buccinis illis prædicatores designari. Quod & Isaiæ verbis comprobatur; *Quasi tuba, exalta vocem tuam; & annuntia populo meo scelera eorum.* Imo & glossa in septem has, de quibus agimus, buccinas, eis signari notat prędicatores. Qui propterea statuũtur septem, quod septem debẽt prædicare virtutes: sin minùs vana prędicatio. Sunt autem connexæ inter se, conformesque virtutes, non secus, ac variæ in choro musicorum voces suauissimo aures concentu demulcentes. Alioqui non erunt integra perfectione virtutes, sicut nec perfecta absque pleno musica concentu. *Connexæ sibi sunt, concatenatæque virtutes,* dixit S. Ambrosius, Hier. *Hærent sibi, & inter se ita connexæ sunt, vt qui vna caruerit, omnibus careat:* Gregorius, *Neque enim vnaquæque virtus verè virtus est, si mixta alijs virtutibus non est.* Idem August. & Thomo & Philosophus ipse Aristoteles in Ethicis. Est ergo mirifica ars subuertendi superbos mundi muros, consumendique noxia eius omnia, concors hæc prędicatorum harmonia, qua vt septem subuertant vitia, septem prædicant virtutes, dissensione nulla, nulla discrepantia. O si concionatores septem confœderarentur in populo, non aliter, quàm septem in choro cantores, quum septem vocum componitur canticum! O (inquam) si sic conformarentur! sic vociferarentur! sic prædicarent! sic docerent! Quàm certa esset superborum subuersio mœniorum? Quàm harmonica vitę hominum harmonia? Quàm generalis exitialium rerum combustio, qualis fuit antiqua illa, qua omnis Ierichuntina supellex possessiones omnes exustę sunt, præterea, quæ consecrata sunt Domino metalla. *Beatus populus, qui scit iubilationem,* dixit chori præfectus. Dic nobis, Princeps musicorum, quando ex eo beatum dixisti populum, quòd iubilationis ignarus? Illum soles beatum appellare, qui in Dei semper viuit timore; non in iubilatione. *Beatus vir, qui timet Dominum. Beatus vir, qui non abyt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.* Necnon, *Beatus, qui intelligit super egenum,*

Prædicatores buccinis designari in scripturis.

Isa. 66 1.

Glossa in Iosue. 6. 13.

Similo. Virtutes omnes inter se connexæ.

Virtutum connexio harmonica musica.

Amb in id Luc. 6.

Beati pauperes.

Hier epist. ad Fabiolã manſione. 38.

Greg. lib. 1. Moral. ca. 39. & li. 22. cap. 1.

Aug. epist. 28.

S. Th. 1. 2. q 65. art. 1.

Arist. 6. Ethic c 12. & 13.

Psal. 88. 16.

Psal. 111. 1.

Psal. 1 1.

Psal. 40. 1.

& pauperem: non ille, qui scit iubilationem. Quid dicemus ad hæc? Vtique alia est singularis cuiusque iubilatio, alia generalis, quæ scilicet populus totus vna iubilatione; nempe cùm voces variæ sint, ita inter se concordant, vt variæ in choro voces musicorum. Licet in singulari cuiusque iubilatione, si spiritalis sit, possit etiam esse beatitudo: loquitur tamen Psaltes de illa, quæ in huiusmodi harmonia consistit. Quum talis est populi iubilatio: populus ille beatus est: beatus populus, qui scit iubilationem. Ecce ad subuertendos Ierichuntinos muros iubilationis buccinæ sumuntur; *Quarum in iubileo vsus est.* Quòd si iubilæi buccinis iubilationem designari, atque eas fuisse harmonicas buccinas, dubitet aliquis; sciat ille iam, originale nomẽ Hebræum, quod est Iobel, tam iubilationem, quàm Iubileum significare. Pagninus ait, à Iubal, primo musicorum instrumentorum inuentore, deriuatum nomen Iobel: vbi saltem constat, fuisse harmonicas buccinas. Sed ad iubilationem significandam, sufficeret, quod libertatem, quæ iubilæus dicitur, significat; vt exposuit Iosephus; cui consonus Beda, ait, vocari iubilæi diem illum, quo serui in libertatem mutarẽtur. Quibus addidere Rabbi Moses, Rabbi Gerundensis & Rabbi Bahaia, nomine iubilæi significari libertatem cum possessionum restitutione coniunctam. Omitto plura, quæ tradunt Abenezra, Aquila, Theodoret. Nazianz. Rupert. Abulensis: sufficiat nomine hoc significari idem, ac in libertatem adducere, sed cum ingenti gaudio, ac iubilatione, apud sacras præsertim litteras; ex quibus duodecim Serarius noster affert sentẽtias, in huius significati probationem. Quo à fundamentis constituto, repeto libens; *Beatus populus, qui scit iubilationem.* qui ex prædicatorum concordia iubilationem experitur ex eo, quòd muris mundanæ vanitatis subuersis manet populus ab illo liber iugo, quo, dum mundo inhæret, miserè tenetur.

Si autem resonante concorde hac prædicatorum harmonia, maneat adhuc quis fœlicis huius expers libertatis, expers iubilæi, superbię muris adhuc circumseptus; hunc equidem nequaquam dixerim beatum; tamen dixerim surdum; qui tam perstrepentem buccinarum clangorem non audierit. Dixerim, non beatum, sed miserabilem, sed infœ-

Hebræa. Iosue. 6.

Pagninus. ibi.

Gen 4. 21. Ioseph. li 3 antiq c 10. Beda hom. de Pentecostes. Rabbi Moses. Iudic. 6 13 Rabbi Gerun ibi. Rabbi Bahaia ibi. Abenezra. in. Leuit. 25. Aquila. ibi. Theod. q 35 in Leuit. Nazian. orat. de Pentecost. Ruper. li 2. in. Leui. c 41. Abulen. q. 6. in. cap. 6. Iosue. Serar. in c. 6 Iosue. q 5.

Buccinæ Iubilæi iubilationis esse buccinas.

Prædicationem parentes infœlices.

infœlicem, sed errantem; quòd cùm buccinæ istæ noxios mundi muros ab hominum animis deiiciant; ipse tamen manet mundo conformis, non vocationi buccinarum; cùm Apostolus prædicet: *Nolite conformari huic seculo.* Rom. 12.2.

Cooperatio hominis requiritur, quamuis, qui vincit animæ hostes, Deus ipse sit.

Post buccinatores Sacerdotes armatus exercitus considerandus est. Et profundè quidem considerandus. Quonam fine armatus arcam præcedit exercitus, si armati nullis vsuri sunt armis, solaque muri præsenti cadunt arca? Quis dum audit hæc, non animaduertat nostram, dum animi hostes superamus, victoriam, non nostris quidem armis, neque viribus partam; sed suprema Dei potestate, atque virtute? Sanè quum positus inter Deum, & armatum naturalibus virtutibus hominem murus peccatorum vergit, ac dissoluitur; Deus, non homo, murum subuertit. *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos; sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit.* Nam tametsi deletis iam peccatorum muris, gratus Deo, eique acceptus homo operibus propriis contra hostes vtatur armis, Dei adiutis auxilio, sicut Israëlitæ vsi sunt propriis contra Ierichuntinos ciues, postquam muri corruerunt; tamen ante peccatorum muri ruinam, diuinamque proinde gratiam inuentam, nihil, aut nihil ferè agunt arma peccatoris, ad tam pernicioſi muri destructionem. Dicunt vtrumque luculenter verba hæc sancti Pauli: *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt; sed potentia Deo, ad destructionem munitionum.* Quid est, arma nostra sunt potentia Deo? Perpendite, rogo, necessariam omnibus doctrinam. Sunt quidem potentia arma nostra hæc, bona scilicet opera; sed potentia Deo. Id est, potentia quidem sunt, quibus destruat Deus, non ipsi destruamus, munitiones dum armis his ipsi nos vtimur pugnantes. Itaque quamdiu aduersus extat murus, eò quòd homo nondum vlla fruitur victoria, sed perstet adhuc sub peccato; nihil profectò agit armis ipse suis, quantacumque gyrans, aclaborans, virtutum cohorte muniatur; tamen hominis arma vtilia sunt valdè, vt eis vincat Dominus hostes, licet homo ipse non magis vincat eos, quàm armati illi filii Israëlis subuerterunt muros armis suis. Est pulcher apud Lucam Christi textus: *Quum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus.* In his autem homini- Luc. 17.10.

Auxilio Dei vincuntur hostes animæ; sed cooperatio hominis exigitur.

Opera hominis bona exiguntur semper necessario; à peccatore, vt iustificetur; à iusto, vt in iustificatione permaneat, gloriaque comparet augmentum.

Tit. 3.4.

2. Cor. 10. 4.

bus, qui muro iam peccati deiecto, grati Deo sunt, atque dilecti: arma quidem hæc necessaria sunt item; vt homines ipsi, diuino adminiculo adiuti vincant strenuè Spiritales aduersarios, sicut Israelitæ armis suis fuderunt, ac interemerunt Ierichuntinos hostes; arca tamen adiuti præeunte, sed tunc quidem qui vincit, Deus est magis, quàm non ipsi. Cæterum, cum in Ierichuntino casu illa, quæ armatum Israelem victorem fecit, ipsa fuerit arca testamenti; magnum nobis, Deiparæ Filijs, præsertim his, qui congregationis sunt eius, solatium est, atque tripudium, quòd victoria illa illustrissimum extiterit symbolum partæ à nobis victoriæ, ideo à nobis partæ, quòd sacra Dei arca, Virgo Deipara, regimen nostrum sit in spiritali hac pugna, atque victoria. Hæc quidem arca est, cuius præsentia, cuius interuentu, cuius patrocinio & victoria hæc, & bona nobis conciliantur vniuersa. Hæc est, quæ in spiritali militia docet nos viam, qua in subuertendæ vrbis ambulemus circuitu, facta nobis socia, dux, instructio, *Virgo Regina ipsa est via, per quam Saluator aduenit. Tenentes ergo viam, studeamus & nos, dilectissimi, ad ipsum per eam ascendere, qui per ipsam ad nos descendit: per eam venire in gratiam ipsius, qui per eam in nostram miseriam venit*, ait S. Bernardus.

Maria Deipara Ductrix, & protectio nostra in spirituali, quo impetimur bello, illustrissimam nobis pariens victoriam.

Bernar ser. 2. in aduentu Domini de verbis Isa.

Sequitur armatum hunc exercitum, & arcam reliquus populus; eiusque post silentium vociferatio. Quidnam mysticè designauit vociferatio illa populi arcam subsequẽtis? Sanè, cùm inid illa facta sit, vt muri caderent aduersi? eas in vobis voces designauit, quibus per hosce præsentis Hebdomadæ dies, clamatis O, incipientes ab hodierna festiuitate; quæ ideo nuncupatur festum B. Mariæ de la O. Qui enim nascituro filio septies diebus his repetitum dicitis O, nempe. O Sapientia! ô Emanuel! ô dux & cætera vsque ad septem; dicitis similiter matri, ô dulcissima Virgo! ô immaculata! ô mater nostra! ô Regina! ô arca! ô ductrix! ô robur! ô victoria nostra! sic cadunt aduersi vobis muri. Apposita Zachariæ verba digna, quæ in propositum hoc læto auscultentur applausu. *Absque muro habitabitur Ierusalem, præ multitudine hominum: & ego ero ei murus ignis in circuitu, & in gloria. O, O: fugite de terra aquilonis. Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Ecce benignissimus Domi-

Deus murus hominibus fortissimus, eos in circuitu defendens.

Maria murus hominũ firmissimus.

Zach. 2 4.

Vitia fugiẽda; vt intra circularem Dei murum excipiantur.

nus murum se, sui vocat populi, & igneum quidem, & inexpugnabilem ostendat. Murum vrbis suę circularem, ne aditus pateat aduersariis. Propterea canit ipse O, O; tum ad indicandum se, quidem esse populo suo murum in forma O, qui clausus est vndique: tum lætificando corda suorum interiectione, O, quod in proposito hoc exultationem innuit, & lætitiam. Cui annexum est, vt de terra aquilonis sedulò fugiamus. Quisquis enim aquilonem, id est vitiorum fugiens conuenticulum, intra ambitum illum, quem Deus instar muri circumuallat, prudens se recipit, ac munit; is quidem omnino totus est, & ab omni periculo alienus. In tantum, vt ijs, qui ad circulare hoc præsidium confugiunt, dicat Deus ipse, *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Hoc est; ad meum attinet honorem, meæ conuenit prouidentiæ, vt his, quibus ego murus sum, tàm seruentur incolumes, vt non magis eos tangi patiar, quàm mei oculi pupillam. Quid dicemus his, quibus Dei ipsius mater circularis est murus? Quibus est lætum O, in gyrum constituta, ad certam eorum defensionem? O, O; fugite de terra aquilonis: de locis peccatorum; & ad diuinum hoc patrocinium properate. Custodiet enim vos, si vos ipsos eius committitis curæ, Virgo hæc sacratissima tutamine suo, vt non magis vos, quàm suorum pupillas oculorum, lædi patiatur.

Rahab meretrix fide, & pœnitentia respiciens, summis in Dei populo honoribus affecta, ac in matrimonium honorificè ducta.

Restat sola ex Ierichuntino casu Raab considerãda. Hæc, cũ inhærẽte muris domo sua à generali fuit sospes exterminio, summisq; honoribus à victore reduce, cunctisq; militibus affecta. Imo fidem eius, qua ab incunte populi in terrã illã transitu Deo credidit, laudat Apostolus, sic loquens: *Fide Rahab meretrix non periit, cũ incredulis, excipiens exploratores cũ pace:* Laudat & Chrysostomus, ob factam, post vrbis casum, pœnitentiam. Adeo honorata fuit, vt Salmon, vnus de Principibus Israelis, eam duceret vxorem. Venit Dei Filius mœnia mundanæ superbiæ disijcere, qui cum in nullius nobilis domum esset exceptus, solum inuenit vrbis muro inhærens diuersorium. Ibi exceptus est; ibi humiliter natus: ibi à Magis Regibus, & ab Angelis cultus. O præcelsa sublimitas! Erat diuersorium domus Rahab; vt quæ volentibus ingredi communis; & domus hæc, in

Heb. 11. 31.

Chry. hom. de pœni. tom. 5.

Matth. 1. 5.

qua excipitur Christus, diuersorium ; sic scribit Lucas;

Luc. 1. 7. *Non erat eis locus in diuersorio.* Diuersorium illud erat immundum, ac graueolens, ob meretricis fœditatem; immundum & hoc, ac fœtidum valdè beluarum fœtore, ac immunditia. Sed manet iam hoc diuini Principis hospicio honoratum magis, & glorioſum, quàm illud Rahab; cùm Regẽ in hoc adorẽt Reges, colãt Angeli; cecidit, cecidit superba vrbis mundi totius turris extollentiæ; cecidit, cecidit præsumptio; cecidit arrogantia: humile adoretur diuersorium. Perstet virgineus murus inconcussus: perster, perstet circumuallata vndique virginitas, vndecumque firmissima. *Circundate Sion, & complectimini eam: ponite corda vestra in virtute eius.* Eia Virginis Filij; circundate Sion, Virginem, Dei matrem, matrem vestram. Dies est festiuus O; O præsenti festo celebratur. Vndenam festum O? Nónne ex eo, quòd vos, Filij Mariæ, facti circularis, instar O, congregatio, corona, atque eam circuitis in gyro, eam complectimini, eam circundatis, vt parentem filioli? Circundate Sion: Sed quibusnam circundabitis? Ponite corda vestra in virtute eius. Vestris eam cordibus circuite; ne vel instanti vno circundare eam omittatis: ne discedatis, ne lassemini.

Psal. 47. 13.

Diuersoriũ, in quo Dei Filius natus est, suauissimi odoris, & gloriæ.

Verumenimuero, quamuis doctrina sit & vitis communis, & fœminis; volent fortè mulieres, festiuitatem hanc, vt quæ fœminæ est; ad eas propriùs, pertinere; atq; ac propriùs adeo dirigendam specialiter prædicationem ad mulieres. Sit ita sanè; imo ita est; fateor ingenuè, concionis culmen proprium esse assentior fœminarum.

Solemnitas præsens titulis est instituta duobus: alterum est O, alterum partus Expectatio. His prægnantem celebramus Virginem festiuitate hac, quæ inter diem, qua vtero concepit, & diem, qua peperit, est media. Quid ergo in prægnante celebrari potest, attenta ventris dumtaxat grauiditate? Vtique solam grauidis ego picam agnosco propriam, alio nomine malaciam. Quam & si in prægnante Virgine iuxta propriam nominis radicem, quæ est cibi fastidium, lassaque indispositio, non concedam: concedo nihilominùs, perspecta re ipsa, quę est vehemens quędam

Fœminarũ malacia grauidarũ.

Maria Virgo prægnans quidpiam ne appetierit ex malacia.

Malacia prægnantiũ, seu pica.

appetentia. Ille quippe, quo erat grauida filius, cùm in eius vtero naturæ nostræ factus fuerit particeps; *Debuit per omnia fratribus similari:* mater ergo ipsa prægnantibus alijs similis fuit in eo, quod fœtarum est proprium fœminarum, vehementi nimirum appetentia. Pica igitur hæc hodierno festo vt celebretur, nemo, vt arbitror, dignum non concedet; præsertim, si concurrentia in festum nomina duo, & nomen videlicet O, & Expectationis partus nomen conferatur. Vox etenim O, instantissimam præse fert auiditatem; in cibi præsertim, potusve appetitu. Satis planè indicauit illud Dauidis O, quo sitibundus nimis in vocem prorupit illam: *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethelehem?* Eundem affectum designat partus Expectatio.

Hebr. 2. 17.

2. Reg. 25. 15.

Prægnantiũ malacia fœminarum.

Video mihi iam videre adstantes fœminas tactas malacia hac, auiditate sciendi, quænam fuerit Deiparæ pica. Dic nobis, Pater, amore Virginis, quo fuerit illa huiusmodi affectu aliquando perducta? Nunquam enim hucvsque tale quippiam auidiuimus. Dicam libenter, quod vtcumque assequor. Imprimis illud, appetentiam hanc, quæcumque fuerit rei quidem licitæ, ac honestæ, non illicitæ, aut vanæ fuisse appetentiam. Quo supposito, examinandum est primùm, quinam licitus, quinam sit appetitus impertinens: vt Mariæ appetentia, quæ, & qualis fuerit appareat.

Malacia affectus multi decipientes.

Non sum omnino certus, an ab aliquo audierim, esse aliquas fœminas, quæ dicant, huiusmodi malaciam, non quidem ipsarum appetentiam esse fœminarum; sed inclusorum in earum vteris infantium. Fortè ita est; sed si verè est ita, mirandum est valde. Mirandum (inquam) quòd non solum cibum appetat infans; sed vestem etiam elegantem, cum adhuc sit in vtero matris. Dicit prægnans fœmina ad maritum: O quàm fulgidæ dedit vicinus noster vxori suæ telæ toracem! Videbitis prægnantis huius virum turbatum, turbatam matrem, omnésque domesticos turbatos: pica prægnantis est: pica est, dicunt omnes: prægnantem tetigit malacia: cauendũ est, ne accidat aborsus. Ematur ergo ei torax similis illi, quem vxori suæ dedit vicinus. Ecce contentus iam, ac quietus est infans; gratias Deo, non mouebitur.

Obijciet nimius aliquis rerum alienarum inculcator,

quomodo possit externas res videre latens in ventre infantulus? Non erit difficilis responsio, si originale nominis significatum expendamus. Hispanum festum est, hodierna solemnitas: ideo ad originale Hispanum nomen deuenien-dum est, vt explicetur præsens hæc prædicatio. Sciendum ergo est, Hispanum nomen, *antojos*, duo significare, tum vitrea oculorum specilla, tum prægnantium malaciam fœminarum. Dicimus etenim Hispani *Antojos de las personas cortas, o flacas de vista; Y tambien antojos de prenadas.* Itaque vox *antojos de prenadas* ab specillis deducta est, propterea quòd absconsus vtero infans, per ipsam genitricem, tanquam per specilla cernat, & agnoscat res, quæ sunt de foris.

Sed enim, siue malacia hæc infantis sit, siue ipsius prægnantis; id saltem prorsus certum est, non paucioribus picam subdi fallacijs, quàm vitrea oculorum specilla. Vereor, ne sæpe contingat huiusmodi deceptio, vt credatur vteri malacia, quæ pectoris malitia est. Ego equidem minimè assequor, vndenam possit ventris esse malacia appetitus ille, qua fœmina cupit, exire in prata, ad deambulandum, in fluminum ripas, in ludorum tumultus; ita, vt alioqui certus sit futurus vteri aborsus. Sed quid mirum? si nihil certius in specillis, quàm vt ex eis, quædam talia sint, vt res eis perfectæ appareant vt sunt, & forma, & quantitate; quædam autem talia, vt faciant apparere obiecta ipsa maiora longè, quàm verè sunt, siue minora. Quid mirum, si id ipsum fecerit malacia? Fateor, huiusmodi fœtarum appetentiam minimè fallacem, sed vrgentem; ita vt nisi appetita res porrigatur, optanti, certum aborsus periculum immineat. Tamen nonnunquam etiam esse fallacem; vt maius, quàm sit, videatur obiectum. Dum in cibis sistit appetentia; certa absque dubio malacia est; at illam, quam minimè participat infans, valde suspectam habeo, plus, minùsve, iuxta rei appetitæ qualitatem.

Quid si Satyricus aliquis pergat obijcere, nullius malaciæ fœtum esse participem, cùm fœminæ quædam multis post partum appetentijs huiusmodi afficiantur. Ex hoc numero sunt, quæ vehementi visitandi amicam aliquam malacia se teneri causantur, sub infallibili aborsus pœna. Cum tamen reuera non aborsus, sed peioris effectus

in domo illa lateat periculum. Et nihilominus conceditur fœminæ appetitus huius executio, ob facetum timorem, quòd fortè denuò grauida est. Si autem nullam post partum absque noua fœtura posse vrgere huiusmodi malaciam, concedatur; nulla profecto apparet ratio, ob quam pica hæc in fœtis sit magis, quàm in sterilibus. Hæc obijciunt satyrici. Quod si verum est; potest quidem similiter obijci, non deesse mulieres, quæ ante vllam penitus fœturam, pica se teneri prætendant, dicentes, O, intimo suspirio. Nam & viros quidem *Antojadizos* dicimus Hispani, quum appetunt res, quæ falsa imaginatione, seu specie veræ eis videntur. Quantò magis mulieres? Quisnam meminit picæ illius, qua vehementer affectam legimus Axam, filiam Caleb in ipso desponsationis tempore. Ibat illa ad nuptias cum sponso, & patre suo; *Quæ cum pergerent simul suspirauit.* Dixit O, O. *cui Caleb; Quid habes?* Quid est filia mea? Estne tibi malacia? *Antoja se te alguna cosa?* Maximè, dixit illa, Pater mi: ardens me quidem vrget pica. Est mihi intima appetentia viridantis agri, vt addas eum mihi in dotem. *Terram arentem dedisti mihi; unge & irriguam. Ha se me antojado el campo verde, y fertil,* ne deneges mihi, Pater mi. *Deditq; ei Caleb irriguum superius, & irriguum inferius.* Ne affligaris filia: ne affligaris. Ne propter hoc abortes. Tua sunt mea omnia. Posside tibi ex nunc bonis auibus non solam irriguam terræ partem: Sed *irriguum superius, & irriguum inferius.* Fortè sunt & hodie similes picæ affectus non pauci; si non viridis terræ in possessionem, saltem in recreationem. Cupit fœmina ire animi gratia in hortum, aut prædium voluptatis, vbi placidus est recreationis tumultus fœminarum simulet virorum: & nonnunquam per plures dies ac noctes; quid faciendum, vt voti huius expletio concedatur? Gestit illa, & insinuat, affectum hunc verè esse malaciam, quo, ne moueat filium non conceptum, mouet Patrem, vt concedat. Ios. 15. 18.

Maria prægnantis vehemens appetentia.

Hæc, & similia multa solent picæ genera vrgere prægnantes. Dicam iam, cuiusmodi fuerit in grauida Virgine appetentia. *Que se antojo ala Virgen prenada?* Fuit profecto vnicus in ea tunc appetitus, vnicum votum, vnicum desiderium, vt Deum suum in suis iam videret manibus natum: vt

ei feruenter miniſtraret, vt ei ſeruiret: vt oculis ſuis eum ab vtero ſuo natum cerneret: eo frueretur: eum flexis poplitibus adoraret. *Eſte fue el antojo de la ſoberana prenada virgen.* Si enim vehemens illa Dauidis appetentia bibendi aquam Bethlehemicæ ciſternæ *fue vn genero de antojo*, cum ad explendam ſitim, quælibet alia aqua ſufficeret, cur non & picam appellabimus ardentius bibendi diuinam, quæ Deus eſt, aquam, deſiderium? Ipſe quidem Dauid ardentiore ſe aquæ huius, quàm ciſternæ illius ſiti æſtuare, faſſus eſt, dicens: *Quemadmodum deſiderat ſeruus ad fontes aquarum; ita deſiderat anima mea ad te, Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Vbi quod Vulgatus, & Kaldæus legit *fortem viuum*, habet *fontem viuum* Græcus textus. Quæ, rogo, tam vehemẽtis in prẹgnante picæ ſignificatio eſſe poteſt: quàm Dauidica hæc, qua Deum ipſum, tanquam aquæ fontem appetebat? Quantò magis diuina Virgo, Dei genitrix, quæ Deum ipſum habebat in vtero? quàm intimum in ea habendi iam Deum in vlnis ſuis ardebat deſiderium? Quemadmodum, dicebat iugiter illa *deſiderat ſeruus ad fontes aquarum*, ita & multò quidem intentius *deſiderat anima mea ad te, Deus.* Ad te, fili mi: ad te, gloria mea; ad te, bonum vnicum meum. *Sitiuit*, & ſitit *anima mea ad te Deum, fontem viuum; quando*, non dico, *veniam*; ſed quando exibis tu ex vtero meo in manus meas; & apparebo ante faciem tuam, apparebis & tu ante faciem meam? Quando complebuntur dies illi, in quorum fine erunt beati oculi mei, ſicut eſt iam beatus oculus meus? O, ſi iam te viderem! Hoc eſt Mariæ O: O, ſi iam te viderem! Quando venies ex vtero in vlnas? Hæc eſt partus Expectatio; hæc eſt appetentia.

Maria vehemens deſiderium videndi filium ſuum in vlnis ſuis.

Pſal 41. 1.

Kaldæus. Græca.

O vtinam in adſtantibus cunctis vehemens hic arderet affectus, appetitus hic, hoc deſiderium! O ſi talis nos vrgeret pica! Nemini quidem vllum aborſus immineret periculum; cùm expetitus fons, qui eſt Deus ipſe, ſemper adſit ad manum omnibus eum appetentibus. Quis prohibet nos, quo minùs ſuauiſſimum hũc fontem appetamus; cùm ſummæ ſit ſcaturigo dulcedinis? Si fallax mundi decipit ſuauitas, ſi pompa, ſi ambitio, ſi ſuperbia: circumeamus mente totum mundi ambitum; vanam eius pompam, amaram experiemur

Appetitus fruendi Deo vehementiſſimus.

Contemplatio diuina dulcedinis tollata turpi vitiorum iucunditati, infinito ſuperat exceſſu.

periemur ſuauitatem. Mente (inquam) eum circumeamus ſeptemplici gyro, vt in vitijs ſeptem, ſeptem fellis fontes agnoſcamus. Fiat, fiat ſepties circuitio, vt muri cadant Ierichuntini, mœnia excidant mundi, vitia ſeptem peruincantur. Curramus omnes ſeptem hiſce diebus in mundi gyro; de foris tamen, concinentes, O, vt canebat Maria; intimum Deo oſtendentes affectum videndi eum, eique toto animo ſeruiendi. Dicamus omnes, O Sapientia! ô Adonai! ô Dux! ô Rex noſter! Veni, veni iam; apparere nobis! ô ſi venires! ô ſi appareres! ô ſi te videremus! O, O, O. Hoc eſt votum noſtrum; hoc deſiderium: hic affectus vnicus. Quemadmodum deſiderat ſeruus ad fontes aquarum: ita deſiderant animæ noſtræ ad te, Deus. Sitiunt ad te ſuauiſſimum fontem animæ noſtræ: quando venies? quando in nobis naſcêris? quando exibis? Eia, Domine, veni iam Domine, lætifica nos præſentia tua, dulcedine tua, adſpectu tuo: in quo ſita eſt æterna, poſt gratiam, beatitudo.

IN PVRIFICATIONE BEATÆ MARIÆ.

SERMO I.

Luc.2.22. *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt Jesum in Ierusalem, &c.*

SEDEBAM ego dudum cogitabundus, quodnam deuotis auditoribus spiritale possem in percelebri hac festiuitate pabulum ministrare: cui indagini intentus, cùm hac, illac mente discurrerem, tandem dixi intra me, qualisnam erit illius hominis angustia, qui filijs multis, ampláque circundatus familia totum orbis mente circuit ambitum, cogitans, vndenam vel necessarium victui quærat panem; cùm & tanta nunc in cura sim ego: qui vbi penetralibus mentis requisitis, eam sterilem inuenero: habeo ad manum subsidium multa patrum scripta, vberrimis scatentia refectionibus. Cui cogitationi exijt obuium illud, quod ei annexum est, à Dei filio ostensum solamen verbis illis: *Respicite volatilia cœli; quoniam non serunt, neque metunt; & Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Et de*
Matt.6.26. Luc.12.27. *vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico enim vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut vnum ex istis. Nolite ergo solliciti esse: scit enim Pater vester, quia his omnibus indi-*

getis. Verba profecto consolationis plena. Gaudet Pater noster, vt eum esse nobis verè Patrem agnoscamus: atque ideo solet sæpe vsque ad extremam nos agoniam relinquere; vt inuentum ex tempore inopinatum modum, ac remedium, non à nostro labore, sed à paternis illis videamus proficisci visceribus, bonorũ omnium promptuario; nõ secus, ac illud, quo altilia, & flores satiat alimentũ. Dum verò hac consideratione detentus, Dei prouidentiam mihi, vt aliàs sæpe, certam fore futuram, non ambigerem: vidi planè, & agnoui, magnam sermonis partem in ea ipsa cogitatione mihi iam in manibus esse: qui cœli volatilia, nempe turturum par, aut duos pullos columbarum locupletatos nimis, & fœlices hodierna die video; quatenus cum Dei vnigenito filio adducuntur in templum præsentandi. Lilia item candidissima, & amœna, quibus viæ solent ad processiones decorari: cùm ad quemlibet purissimæ Virginis gressum fragrantissimus flos exoriatur. Quis ergo dubitet, nec Salomonem in omni gloria sua iucundatum sicut vnum ex lilijs, aut passerculis istis? Quisnam fuit potissimæ dies gloriæ Salomonis, nisi dies ille, in quo magnificentissima templi fabrica consummata, testamenti arcam cum ipso simul templo magna iucunditate, pompáq; percelebri auctori Deo consecrauit? Quando cuncti prouinciarũ Principes, omnesq; Regni proceres, ac dynastæ, ad celebritatẽ confluxerũt. Quando exornatissimus tam viæ, qũàm personarũ apparatus omnes Cyri, Darij, Nini, Crœsi, Alexandri, Cæsarum, & Nabuchodonosoris põpas, ac triumphos superauit. Quando coopertam aurea lamina arcam Sacerdotes magni portabant humeris, circumcomitantibus Leuitis, innumera argenti, & auri vasa gerẽtibus, exquisito emblemate distincta, prętiosissimis margaritis ac gemmis exornata, suauissimis plena odoramentis, aquisque fragrantissimis imbuta. Quando opimas valde obtulit hostias, mactans die vna viginti duo boum millia, viginti supra centum millia ouium. Quando oblata altilia, nec turtures fuerunt, nec columbæ: sed duo Cherubini, peregrino ac mirabili opere fabrefacti, alis elegantissimis extensis. Tunc, inquam, non adeo exaltatus, non adeo fuit Rex ille glorioſus, atque auiculæ istæ, turtures, aut columbæ: quæ non tanquam præcedentes Christum figuræ,

Turtures fœlices, quòd oblatũ Patri comitantur Dei Filium.

Columbæ quòd Virginis Filium Patri Deo offerendum comitantur, fœliciſſimæ sunt.

3. Reg. 8. 1.

ſed ſimul cum ipſo Dei Filio, æterno Patri oblata ſunt: nec fuit adeo ſpecioſus, ac lilia iſta, quæ ex tangentibus terram plantis Mariæ alacriter erumpunt. Excedunt itaq; Salomonis ornamentũ, & gloriam *pennæ columbæ deargentatæ; & poſteriora dorſi eius in pallore auri*: cum priores pennæ, quæ in alis ſunt, ſcriptæ deſeruierint legi, vt eis lex illa ſcriberetur: poſteriores verò cùm ad legem Chriſti pertineant, ſint eius auro deauratæ. Vtræque tamen mira proportione; quatenus hodiernum complementum legi illi veteri reſpondet. Sed enim non ex ea ſola parte, qua à Deo ſunt. Tunc enim non adeo exaltatus, nõ adeo fuit Rex ille glorioſus in amœniſſimis illis odoramentis, & phialis, ſicut erumpentes hodie flores ex tacta puriſſimis Mariæ pedibus terra, dum proceſſione hac filium affert in templum; nec fuit in Cherubinis illis adeo glorioſus, ſicut auiculæ iſtæ, turtures, ſeu colũbæ, quæ non tanquam præcedẽtes; ſed ſimul cum ipſo Dei Filio, Patri eiuſdem Domini offerũtur. Erant quidem illæ veterum Cherubim *pennæ columbæ deargentatæ*, quibus vetus lex ſcripta fuit: Sed hodierna die *poſteriora dorſi eius in pallori auri*, propterea quòd, cũ Domino ipſo offeratur hodie Patri columba. Mira tamen vtræq; pennæ conueniunt connexione quatenus veteris illius legis perficitur hodie cõplementum. Veruntamen non ex ea ſolùm parte, qua oblatione hac nobilitantur, prædicationis ſunt materia columbæ; ſed ex illa etiam, qua ipſæmet ſunt prædicatorũ Symbolum multis de cauſis, quas contemplantur Cyprian. Heſiodor. Baſilius, & Eucherius. Quid moror? Nonne imitandum prædicatoribus exemplum dedit Deus columbas, dum diſcipulis dixit, *Eſtote ſimplices, ſicut columbæ*: Dicitis tamen vos: ob rationem hanc ſimplicitatis oblationi huic nequaquam interuenire columbas, quippe quę veniunt conſociatæ ſerpentibus, cum in relatis verbis habeatur: *Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes, & ſimplices, ſicut columbæ.* Eſt autem indecens ac indignum, vt in hodierna proceſſione cum columbis ſerpentes admittantur. Ego verò per contrarium reor, ad hodiernam proceſſionem priuſquam columbam, conuocatum aduenire ſerpentem: cum columbarum præſentatio præcepta ſit in lege Moyſi; ſerpentis, vt hodiernæ aſſiſtat proceſſioni citatio, facta à mundi principio, in tertio nimirum Ge-

Pſal. 67.14.

Matt. 10.16

Leuit. 12.6.

nesis cap. Sed inquiritis rursus: quonam modo? quo ordine? quo fine? At non oportet cum noxio nunc remorari serpente; ne proficuæ columbæ auolandi à nobis tempus concedamus. Aderit omni tempore serpens; paulatim reperit; non effugiet: vt quocumque sermonis, quocumque processionis tempore, ac situ eum inueniamus. Nunc quàm primum expedit captare columbam, quia volatrix est; & eius nos ope indigemus initio; cum Spiritus sancti sit repræsentatio; cuius ante omnia auxilium oportet inuocare.

AVE MARIA.

Institutum sermonis.

PErditionis humanæ quænam fuerit causa, atque principium, vobis omnibus constat, à primæua scientibus ætate, primos hominum patres Heuam, & Adamum contra Dei præceptum fructum arboris scientiæ comedisse: quo ipsi crimine correpti, nos, eorum posteros, miserè infecerunt. Ego verò duo in historia illa inuenio mala, quorum alterum fuit prædicta hæc fructus manducatio; alterum remissió illa, qua seipsos Deo cum suis omnibus bonis offerre pepercerunt. Etenim manifesta eorum duplex erat obligatio: in opere positiuo consistens prima, qua scilicet vtens quæque ratione creatura, totam se debet suo integrè tradere factori; omnia sua ei simul subiiciens; cùm ab eo cuncta munificè acceperit; secunda obligatio negatiui præcepti, qua ab omni illa, quã prohibet Deus, debet, actione, prorsus se abstinere. Vnde primorum parentum germinatus quidem defectus fuit; alter commissionis in rapienda re sibi prohibita; omissionis alter in non redenda re omnino debita factori. Et quod ad hoc extremum attinet. Satis manifestè hominis vilitas, ac ingratitudo in ipso creationis prodiit exordio: cùm tot, ac tantis manu Dei bonis cumulatus, ne verbum quidem, quod referat textus, in gratiarum protulerit actionem. O ingratissimi homines! ô belluini! ô vilissimi! Quidnam habuistis, quod à Deo benignè non recepissetis, adhuc vosmetipsos: vt ipsosmet vos cum cæteris rebus non redderetis largitori? Quidnam effetis; si ille

Ingratitudo hominis erga Deum.

Adam, & Heua ingratissimi creatori.

Parentes primi rudi agendi gratias creatori notantur omissione.

Gratiarum actio debita creatori.

Omissionis culpa negligentia in reddendis gratijs creatori.

Gen. 3.1.

vobis esse non dedisset? Quid haberetis: si tam paternam ille prouidentiam non haberet? Quidnam in causa fuit, vt in tam immensa bonorum, tum naturalium, tum supernorum affluentia constituti, solam terræ naturam saperetis? Cur pro vestrarum debita redditione personarum, vetitum fructum vsurpatis?

Oblatio Deo debita propria persona atque bonorum.

Verùm auerto ab ista consideratione vilitate; eamque in id deuoluo nunc totam, vt offensi Domini nobilitatem perpendam, qui vtriusque labis instaurationem ex tunc iam & hominibus proposuit, & verbis his insinuauit, asserens ad serpentem; *Inimicitias ponam inter te, & mulierem: semẽ tuum, & semen illius*: quibus verbis reparatores mali, fœminam, & virum est pollicitus. Hodie completa est pollicitationis executio. Venit mulier in templum: affert in gremio filium: quem Patri Deo secum integrè offerens, oblationis nostræ proponitur typus.

Maria typus offerentium se Deo.

Gen. 3. 15.

Principium ergo instaurationis in eo apprimè constituit Deus, vt se totum homo auctori offerat, & offerat purum. Tunc præterea offerat aliud quippiam in restitutionem fructus, quem furatus est: & hoc etiam, quidquid sit offerat purum. Quod vt insinuaret, animalia sibi tam terrestria, quàm pennata, dicari iussit in Leuitico: munda tamen: immundum quoduis penitus arceri. Inter ea, quę munda sunt, principem locum tenent agnus; quia immaculatus & mansuetus: columba; vt quæ intemeratam seruat fidem coniugi, vt Tertullianus commendauit: Turtur; vtpote quæ non in sola seruat fidem vita; sed etiam mortuo coniuge vidua, vt Basilius scribit, perseuerat.

Malum hominis est indigna præsentandi se Deo iactura.

Bonum hominis, offerre se totum Deo.

Tertul. in Monogamia.

Basil. apud Pier. li. 22. c de Turture. §. 2.

Insuper offerri illud Iussit; quod præcipuum est, hominem ipsum: cui, vt præ cunctis, mundus offerretur, illud quoque præcepit, vt non priùs ascenderet Dei templum, infantem natum oblatura mater, quàm dies à partu quadraginta transiissent; in quibus defœcata redderetur.

Exod. 13. 1.

Leuit. 11. 1.

Vnde fit, vt duo hæc sociata semper in Scripturis commendentur, oblatio, atque munditia, seu purgatio; eò quòd oblata, si munda non sint, valde displiceant creatori: tantum abest, vt placeant. Sic notum fecit Samuel vniuerso Dei populo verbis, & affectu. Sic etiam Dauid tanquam propriam hominum professionem commendat. Sic sanctus

Oblatio, & purificatio semper vniuntur in scripturis.

1 Reg 16. 5. Psal. 5. 4.

Iob, veritus, ne Filij sui in aliquod essent lapsi peccatum, *Offerebat holocausta pro singulis, & sanctificabat eos*: Vbi Septuaginta legunt, *Purificabat*. Sic in nouo Paulus testamento: *Vt fiat oblatio gentium accepta, & sanctificata in Spiritu sancto*: id est, *Purificata*. Iob 1.5. Septuag. Rom.15.16.

Oblatio Deo debita propria persona atque bonorum.

Ex duobus his quam sit congruum primum, Oblatio videlicet, qua cum suis omnibus se Deo totum tradit homo; nullus potest ambigere, qui mentis sit sanæ. Est quippe oblatio hæc summum hominis bonum; malum summum tanti debiti omissio. Malum (inquam est) hoc: cùm sit manifestum hominis furtum, quod sui ipsius facit Deo. Quisquis enim mancipium proprio surripit à domino: is quidem furtum prauè committit. Cum ergo tu homo Dei factura sis, & omni vndique iure seruus eius; certe nisi te totum ei integrè tradas, te ipsum furaris turpissimo omnium latrocinio. Quod mirificè ostendit ipse Dei Filius, dum requisitus, liceret ne tributum dari Cæsari? respondit; *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.* Quis nunc Domine, de impendendo tractat tributo, vt de soluendo penso responsum præbeas? In hoc est mirabilis responsio. Quasi dicat, vos homines de solis Regi debitis tributis, at de eo, quod primo Regi debetis, non video vos ita sollicitos. *Reddite ergo, quæ sunt Dei, Deo.* Malum igitur est, & magnum malum furtum hoc absurdissimum, qua parte homo defraudat Deum, tollens ab eo, quod est suum; sed est malum summum, qua parte homo defraudat se ipsum, manens summo bono destitutus. *Vide, quia malum; & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum, à seculo confregisti iugum meum; rupisti vincula mea; & dixisti, non seruiam.* E contrario oblatio ista summum est bonum. O quàm lætifera est homini dies illa, in qua à Rege admittitur in famulum: præsertim si tantæ est impar dignitati! Quanta munus hoc anxietate procurat! Quam se putat fœlicem Virgo illa; quę longè impar à magno in sponsam accipitur Principe! Quàm cogitabunda diebus illis animo pendet; si sors illa sibi elapsura est? Homines! Heus vos homines! estne in vobis mens! Viget integra ratio? Scitis, quidnam sit offerre vos Deo, ab ipsóque summo gloriæ Rege admitti, in seruos, in famulos, in optimates, in filios; & animas vestras in sponsas? qui enim homi-

Luc.20.25.

Malum hominis est indigna præsentandi se Deo incunia.

Iere.2.19.

Bonum hominis, offerre se totum Deo.

nes hoc calſent; impoſſibile reor, quin oblationem hanc vnicum habeant ſtudium, curam vnicam; adeo vt nullius præterea negotij recordentur, nullum appetant. Quàm ſe fœlicem exiſtimauit Anna, mater Samuelis, quàmque beatum filium ſuum, cùm ſtatim ablactatum, Deo obtulit in templo! Satis oſtendit lætitiam cordis eius camœna illa, in quam erumpens, ſic intonuit: *Exultauit cor meum in Domino: dilatatũ eſt os meum.* Vnde tanta lætitia? niſi ex eo, quòd eum integrum obtulerit; ne capillo capitis detracto? Quid eſt, quòd cùm eum intimis à Deo precibus petiuit, fecerit votum, dicens; *Dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius; & nouacula non aſcendet ſuper caput eius.* Quidam magnum eſt, ſi caput nunquam contingat nouacula; vt vnum hoc tãquam eximium Anna obtulerit donum? Dicetis eam fuiſſe Nazaræorum hominum, qui ſcilicet Deo conſecrabãtur, conditionem; quam 6. Numerorum cap. verbis his legimus. *Nouacula non tranſibit per caput eius vſque ad completum diem, quo Domino conſecratur. Sanctus erit, creſcente cæſarie capitis eius.* Qua ratione, de naſcituro Samſone dixit Angelus ad genitricem eius: *Paries filium, cuius non tanget caput nouacula: erit enim Nazaræus Dei.* Nil igitur intendit aliud mater Samuelis, quum filium ſuum nouacula dixit nunquam eſſe tangendum; niſi vnum hoc, quòd futurus eſſet Nazaræus: conſecrandus nimirum creatori. Scite (fateor) loquimini. Sed inſtat adhuc eadem curioſitas; cur illa in lege numquam tetigerit conſecratos Domino nouacula? Sanctæ (rogo) auſcultemus verba mulieris. *Dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ſuæ: & nouacula non tanget caput eius.* Quidnam intendit his? niſi apertè dicere numquam detrahetur capillus eius, quin omnes Domino offerantur. Ne vnus quidem euelletur capillus, vt integer totus abſque vnius munitione capilli ſuo offeratur creatori. At quidnam in hoc exuberat oblatio? Nonne dicit Deus noſter; *Capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt;* nec patiar quidem vel vnum vobis amputari? Quid ergo nimium eſt, ſi tam bono, tam prouido, tam ſuaui, tam tenero, tam dulci Domino, Regi, Deo, Patri, ſponſo, totum ſe dedat homo, nullo vel capillo reſeruato? Hæc cauſa fuit, & ſatis quidem legitima cauſa, qua, quòd conſecrandi eſſent Deo Nazaræi, nunquam tangerentur nouacula, vſque

1. Reg. 2. 1.

1. Reg. 1. 10.

Num. 6. 5.

Iud. 8. 5.

Luc 12. 7.

Nauacula cur non tangeret quondam Nazaræorum capita.

Capillus nullus detrahendus oblationi, quam ſui Deo quiſque debet facere.

Beatitudo viuentis in terra hominis illa vnita est, si se integrè Deo offerat totum.

vsque ad diem, quo rasi capitis capillos Deo offerebant omnes. Consideraui ego aliquoties, si forte possit homo præsenti hac vita esse beatus. Nam consummata beatitudo in aperta illa, qua in cœlis videt Deum homo, fruitione consistit, vt cum B. Thoma Augustinum secuto, probant Theologi. Et quidem illud habeo cordi penitus fixum; fœlicissimam esse, adhuc in hoc seculo, beatitudinẽ hominis illius, qui se totum omnino Deo & offert, & tradit, ne capillo vno reseruato. Quisnam verba sponsi sibi volunt, dicentis ad sponsam; *Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum; & in vno crine colli tui?* Quidnam habet vnus ille capillus, vt tanto sponsum liget amore? certè causam huius nullam aliam reor, quam quòd tunc Deus maximo ligatur amore, quùm sponsa eius anima dicit; ne vno me hercule capillo sponsum meum defraudabo. Ille quidem capillus est, qui vnus strictiùs Deum tenet. Nec capitis dicit capillum, sed colli; quia colli crines minutissimi sunt. Ne vnum ergo ex minutis istis dat cuipiam alij sponsa, nisi sponso, & in vno oculorũ; quia ne oculo vno ad res alias attendit, ita vt diuisa sit; sed oculum vtrumque intendit in Deum. Samson tradidit Dalidæ capillos capitis septem; qui mox oculo vtroque priuatus est; quoniam profecto pari gressu currunt crines, & oculi. Capilli septem capiti dempti, symbolum quidem sunt septem peccatorum capitalium, quibus commissis, manet destitutus viribus homo, mentis acie miserè obtusus; nempe oculis mentis: anima autem sancta non capitis solos seruat capillos, sed & colli etiam; ne vnum quidẽ Deo offerre omittens, vt alij cuipiam largiatur. Capillus ergo hic ligat Deum amore: nam vbi Vulgatus legit, *Vulnerasti cor meum*, legunt Septuaginta, *Excordiasti: cor meum cepisti.* Itaque vbicumque se negotium offerat, quo vnum sibi homo assumat capillum, vnumue præbeat alij, præter Deum; erit verè beatus, si firmiter dicat; moriar potiùs, quàm capillum hunc alibi locem, quàm in Deo.

S Th. 12. q. 3 a 4 & q. 4. art. 1. Aug. 1. de Trinit. ca. vlt.

Cant. 4 9.

Ambros. in Psal. 118. serm. 11. & 16.

Expendamus nunc, quidnam causæ est, qua Dominus iubet, offerri sibi tria hæc, hominem ipsum, agnum, columbas, atque turtures? Ea quidem facilè expeditur; quòd homo imprimis se ipsum debet tradere creatori; deinde greges omnes, agno designatas; domesticas aues designatas co-

Los que aman de ueras suelen beber vientos buscando los pasari tos; vuelan por los ayres pordar cõ tento alus amados.

lumbis; quo nondum contentus, debet prętrerea quærere plura, quam domi habeat; aëris passerculos, vt aiunt; quod bene amantes solent & dicere, & complere; vel ipsos volantes passeres quæram tibi sollicitus.

Purificatio iugis comes debita Domino oblationis.

Quòd si homo Deo offerendus est; sequiturne bene, quòd debeat se omnino purificare, vt tam purissimæ se offerat purum puritati? Quid probationibus opus est, vbi tam planè liquet turpissima, quæ in minùs pura oblatione esset audacia? Si animantia bruta, quòd immunda sint reijciuntur à Deo; quanto magis homines illi, qui immundi sunt, non natura, sed culpa? Ergo iure optimo duo hæc vbique coniungit scriptura sacra; & offerri Deo; & ante oblationem purificari.

Oblatio debet ante omnia fieri Deo.

Amplius adhuc pergendum est, vt oblatio hæc primo fiat mane; eò quòd res quæcumque offertur Deo, diligenter, maturè, & ante omnia offerri debeat. Qua de causa vult ille, vt agnus ei offeratur anniculus; & vix apertis infans oculis; frugumque omnium primitias. Perpendistisne aliquando, quænam fuerit causa, qua Deus Abelis acceptauit oblatum, respuit autem Cainis? Nullam præter hanc assignat Scriptura: *Post multos dies obtulit Cain de fructibus terræ munera Domino: Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui.* Quam vnicam Ambrosius causam notauit. In magnum nos, conscios Dei homines, submergit pudorem, quòd de gentium sollicitudine narrant Chronographi circa id, vt certatim accurrerent proceres, grandia Diis suis offerre munera; curans obnixè quisque primus accedere. Qua de causa Vlissem valde laudat Homerus verbis istis:

Gen. 4.3. Amb. lib. de Cain, & Abel. c 17.

Homerus lib 1. Odiss.

Qui semper sacra Deorum
Ante alios fecit, cumulans altaria donis.

Quapropter accersit Deus homines ore Amos vniuersos, obnixè clamitans; Offerte mane victimas vestras.

Amos. 4.4.

Vnde fit; vt cum oblatio mane debeat offerri, & purificatio præcedere oblationẽ; ablutio sit facienda diluculo, *Sic faciebat Iob per singulos dies, sanctificabat filios suos: consurgensque diluculo offerebat holocausta per singulos.* Quæ verba continenter sequitur encomium, quo Deus ipse excelsa Iobum laude commendat, conuocans omnes Angelos non cœlestes solos, sed etiam extorrem ipsum Dæmonem, vt

Iob 1.5.

Oblatio Deo exhibita cũ purificatione coniuncta.

eam audiãt, & mirentur. Sed quid mirum, si ditatus eximia à Deo virtute vir diluculo, ad tã iucundã oblationem, purificationẽq; consurgat; cũ rationis expers elephantus, quia hominis præ cæteris animantibus similitudinẽ participat, id ipsum suo modo accuratissimè exequatur? Hic enim quacũq; noctis hora appareat luna, protinus se circũspicit: vt si quas in se ipso videat sordes, mox se ab eis purificet. Quod sedulo vt faciat, currit velox ad aquas, quibus se abluit diligẽter. Vbi vero se se mundũ videt, à terra euulsas versus cœlum promuscide emittit herbas; quasi oblationem Deo ea, qua potest arte dedicans. Veretur nãq; ne oriens sol eũ deprehendat maculatum; sordidumq; prodat spectaculum.

Elephantus oblationem Deo facturus, diligentissimè ante solis ortum se purificat.

Pier. Valer. li 2 verbo, Pietas.

Tiene recelo no salgael sol, y le saque à la verquenza.

Purificatio animæ cito facienda ante ortum lucis.

Sed verè bellua hæc homines multos, ne dicã plerosque producit in auras, ad pudorem. quòd nimirum illa oblationem Deo auida offerat: quòd offerat eam prima luce: quòd ad oblationem se exactè purificet, & quod sciat cauere, ne labes suæ absterſæ non sint, cùm sol oritur mane. Et quoniã de tribus prioribus dictũ est; extremum hoc mirabile exẽplum esse debet; tum ad imitandum, tum ad erubescẽdum, cùm aliquam quis in se patitur labem, quam ante solis ortũ non eraserit. Certe illa vna est inter lucem solis, & lunæ lumen differentia; quòd lunæ fulgore, cominus res videmus; eminus non item: solis autẽ & è propinquo. Quapropter cũ homo sibi præ aliis propinquus sit, debet tunc proprias maculas abstergere, cũ prima apparet lux, qua eas solus videt, antequàm solis lumen oriatur, quo à cunctis perspicuè videantur. Auertat Deus, vt sol post commissa exeat crimina, nondũ expiata; certè sera profecto medicina est, quæcumq; ortis iam radiis, adhibetur, ne à populo palam cognoscantur. Nouerint ergo omnes, occultè se contaminantes, quia quãtũcumq; occulta sit labes, quantũuisq; insuper contendant ipsi, eam occultare; nihilominus absq; dubio exibit in auras, nisi tẽpestiuę pœnitentiæ lacrymis tollatur. Fœminę quæq; ad solẽnia festa hora missæ solemnis exituræ, surgũt diluculo, ad cõsiderandũ proprĩũ speculo vultum: vt si in facie puluis sit, maturè abstergant; si puluis desit, eum sibi ponant, antequam orto sole videantur ab aliis. Quidni se anima circunspiciat in speculo, ante solis ortum, vt si in ea sordium adsit puluis, statim abstergat, apponat, si desit puluis

Peccata simul ac sunt cõmissa, absque vlla mora abstergenda sunt.

Simile.

Examen cõscientiæ exactissimum, ac tempestiuum.

humilitatis? Alioquin maculas Deus latère non patitur, si ante ortam lucem non delentur. Sic Dauidi contigit, qui Vriæ vxorem Bethsabet in domum suam occultè adducēs, & sibi ipsi, & sordidam fœminæ intulit labem. Cumque operiendæ artem turpitudinis relinqueret nullam; dixit illi Dominus: *Tu fecisti abscondite; ego autem faciam in conspectu omnis Israel, & in conspectu solis.* Quare tanta pro occultissimo crimine publicitas? Ideo certè, quòd delinquentes hi minimè ad purificationem ante ortum currerint Solem. Ideo in solis conspectum eduntur maculæ. Perpēdite iam, qua intentauit via Rex ille maculas occultare; id tandem certum reperietis; quia cùm machinam vllam non omitteret; incidit in aptiorem, qui excogitari potuit, modum, vt ante tempus fœditas proderetur in auras. Fecit imprimis venire ex medio Vriam bello; vt dum is domi suæ requiesceret, vxoris partus ei tribueretur. Cumque iudicans ille turpem belli tempore requiem, domum suam ingredi renuerit: lauta misit Rex ad eum cibaria, vt vel sic ad ingrediendum domum incitaret. Nec tamen profuit. Vnde illo tandem vsus est medicamine, vt innoxius vir statueretur in eo prælij situ, vbi sagittis maneret expositus; soluſque ibi relinqueretur, vt periret; quod & ita factum est. Nonne ex hoc planè perpendetis, quàm turpiter erret contra propositum ipsum suum turbatus homo? Quod enim est aliud partus indicium nisi sanguis? Indicium ergo hoc, quod ex futuro Bethsabethæ partu erat emanaturum, lapsus Rex exhibuit ante partum, faciens exire Vriæ cruorem: quo & venter, & partus, & Regis, & fœminæ ad plateas exijt turpitudo. Tremendum certè exemplum, & supplicium; ne existimet quis illicitis se artibus eiusmodi lapsus operturū. Vera tegendæ labis ars vna illa erat; vt commisso peccato, continuo & Rex, & fœmina ante solis ortum ad ablutionem festinarent; lacrymis dico factam sordium ablutionem, quæ ita homines purificat, vt nascente sole, nullę iam sint, quæ maculæ compareant. Vnde errore suo, Deique magis instructus magisterio benignus ille Rex hanc postea regulam seruabat; quam fassus est ipse Psalmo illo; *Anticipauerunt vigilias oculi mei; & exercitabar, & scopebam spiritum meum.*

Dauid, & Bethsabet post infamiam ablati.

2 Reg. 11. 12.

Peccata propalantur in populos, nisi festina abstergantur ablutione.

Psal. 76. 5. 7.

Missa sacrificium matura praecedat animi oblatio.

Et vt nobis quoque ad nostrum doctrina hæc propositum liqueat, Scitote vos oblatione hac præcedenteque eam purificatione matura Sacrosanctum missæ sacrificium, & præcedentem peccatorum confessionem designari, qua à sordibus anima purificatur, & albescit. Vide ergo quanto diligentiùs, quantóque alacriùs ad oblationem hanc nos oportet concurrere, quæ pro infinita oblatione requiritur.

Confessio ante celebrationem missæ præmittendam.

Quanto vigilantiùs confessionis lauacro debemus præparari; cùm ad diuinum puritatis fontem accedamus? Vnde & illud efficitur, vt non sola anima purificetur intrinsecus; sed macula etiam, si qua denigrat foris, obtegatur; dum commissa culpa, ad confessionem protinus accurritur. Nam cùm sordes Deo detegantur; prouidet fidelissimus ille, vt maneant hominibus occultæ. Certè peccatorum confessio medicamen est, culpis præsentaneum; atque conditiones obseruat medicinæ. Earum autem potissima est, vt correpto ægritudine corpori idonea statim succurratur medela: alioqui, si serò venit medicina, quantumuis proficua sit, numquam plenè excutit damnum illud, quo corruptus humor per totum iam corpus errans, ac diffusus, in cutis maculas erupit. Non secùs accidit in animi malis, cùm Sacramentalis differtur confessio. Nam præter magnum illud mortis periculum, non temporalis, sed æternæ; vrget illud quoque irreparabile malum, quòd destruentes famæ splendorem foras prodeunt labes, & apparent absque vllo penitus remedio. Quapropter dico, & dico iterum, prudentissimam esse præcautionem, si vix commissa culpa, ad ardentem contritione fontem lacrymarum peccator protinus accurrat: ne sordes eius in oculos exeant ciuitatis.

Simile.

Oblationes nostræ sacra Christi oblatione comitata.

Verùmenimvero tametsi huiuscemodi præsentatio, qua præuia purum ablutione se cum omnibus suis offert Deo capax mentis homo, non contemnendum sit perditionis remedium, qua parte debitæ oblationi defecerunt Parentes illi primi; tamen illud aliud excidij initium, quod fuit iniusta fructus acceptio, neutiquam potuit instaurari, nisi scientiæ fructus perfecta in locum suum restitueretur redditione. Hanc autem quis posset hominum efficere? Quis pomum illud suoiterum posset ita surculo inserere, vt minimè

abesse videretur? Quod si restitutio hæc ab homine puro homini fieri non potuit; nunquam omnino valida fieri ab eo potuit oblatio, cùm solâ hâc, quæ solius est hominis, quamuis se tradat totum, Deus minimè acceptet ad beatitudinem, consortio illo destitutam, quo scientiæ ipse fructus æterno Patri præsentatur. Hæc vtique est Doctorum consensio, hominem purum satisfacere Deo ex iustitiæ rigore potuisse nullum, conclamantium. Quin imo nec oblationem vllam esse Deo acceptabilem, ad vitam æternam, nisi diuino hoc fructu sociatam. Sic affirmant Iren. Iust. Athan. Fulg. Lactan. Ansel. Basil. Amb. Augustin. & Pontifex Leo. Quod diuina saltem ex institutione constans est apud omnes. Fuit ergo præclarissima diuinæ prouidentiæ, pietatisque ars, vt sapientiæ fructus, imo sapientia ipsa, quæ Filius est Dei, Sapientia genita, offerentem se Deo hominem quemque socius comitaretur oblatione; ita vt cùm te Deo humilis offers, ille Deo tecum offeratur. Et quoniam Filius hic Deus est ipse, atque adeo dum Deo Deum offert homo, nullam ex parte sua solutionem impendit; ideo mira artis huius celsitudo consistit in hoc, vt diuinus hic Sapientiæ fructus, viridanti humanæ stirpis insertus sit ligno, vt fructus ipse ex duobus sic compositus fructibus, sicut in multis aliàs insertis adspicimus. Hac enim ratione reddimus Deo scientiæ fructum, qui filius est eius; simulque fructum arboris nostræ; vtpote humana ortum ex stirpe. Hoc est diuinum Incarnationis arcanum, qua in Virginis vtero, *Verbum caro factum est:* Vt Christus Filius Dei, ac Virginis Filius Deus simul & homo se Deo offerat nobiscum; quo integra fructus scientiæ fiat restitutio. Ideo offert se ille hodierna die Patri Deo: vt nos, cum eo oblati, accepti simus: fiatque plena debiti nostri satisfactio. Imo *Non sicut delictum, ita & donum:* nam cum crimen furati sit fructus; donum est scientiæ fructus, duabus constans fructuum naturis; & vtraque præstantissima. Quisnam est insertus hic fructus? Vidi sæpenumero, præsertim in Peruensi vrbe Arequipa, insertum amygdalo persicum, in quo nucleus & os dulcis est amygdala, persica exterior caro. Talis est Christus: amygdalum intùs persica exteriùs caro. Nempe caro extrinsecùs huma-

Solus Christus, potuit Deo plenè soluere debitum.

Christus fructus insertus ex persico, & amygdala.

Hypostatica vnio.

Satisfactio Christi vberior debito.

Simile. Persicum amygdalo insertum.

Ire lib 3. cap. 22. Iust. in expositione fidei de vera confessione. Atha. li. de Incarnat. pag 4 & orat. ad Max. Fulgen. li. 1. ad Trasimundum. Lact li. 4. inst cap 24. & 25. Ansel li. 1. Cur Deus homo c. 5. Basil. in Psal. 48. Amb. in Psal. 48. Aug in Enchiri. c 108. & lib. de consensu Euang. c. 35. Leo ser. 2. de nat. Ioan. 1. 14. Rom 5. 15.

Amygdalũ insertum Persico.

na: intùs Amygdalum, cuius os est diuinum Verbum; natura nucleus diuina. Caro etenim Christi substantiæ adhæret verbi; eaque sustinetur, sicut persicum osse, tanta in supposito vno distinctione, quantam inter persici naturam, & naturam amigdalæ, etiam in vno coniunctas fructu, licet intueri. Et vt amplius adhuc donum sit; offeruntur Deo hodie fructus simul, & arbor, quæ eum germinauit: Christus, & Maria: genitrix, & conceptus; fœtus, & enixa, Deipara, & Deus. Quid est, quòd tibi (inquit Maria) debent filij Adæ, Domine Deus? Debentne plusquàm semetipsos, & ablatum à te quondam fructum scientiæ? Ecce reddo tibi scientiæ fructum; reddo hominem Deum; reddo cum fructu arborem, me ipsam; & cum arbore, & fructu offero ipsos debitores. Ecce *non sicut delictum, ita & donum.* Delictum fuit pomi vnius furtum; non ita & donum, quod ego tibi hodie donum præsento. *Nam multo magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit.* Rom 5. 15.

Inserta arbores symbolum incarnati verbi.

Similo.

Maria offert Deo nobiscum filiũ suum, ac se ipsam, & nos ipsos cũ filio, & secũ offert Deo.

Maria absq; Purificationis necessitate legem adimplet.

Sic & offert nos secum, ac cum filio suo Virgo diuina; docetque artem, qua nosmetipsos cum eadem Maria, & Filio eius, Dei Filio, eidem Deo Patri vtiliter, & placide offeramus. *Propter nos sistitur* (ait Athanasius) *Vt discamus, Deo præsentare nos ipsos.* Quoniam igitur instruere nos intendit Maria; communem etiam Purificationis complet legem, cùm nihil in se, à quo purificetur, habeat impurum. *Erat Virgo à legali iure immunis*, ait Beda, *nec enim suscepto semine peperit. Sed vt Christus, ita & ipsa legi est sponte subiecta.* Athanas. in cap. 2. Luc. Beda Luc. 2.

Exemplum Purificationis præbuit nobis Virgo Deipara.

Maria pregnans immunis fuit ab veteri sordibus aliarũ pregnantiũ

Perpendite (rogo) quàm exactè cum Purificatione oblationem coniungat. Videns Mariæ sponsus circundatam puritate oblationem hanc eius: accipit eam, tanquam frumenti aceruum, qui Christus est, oblatum sibi hodie, candidissimis pudicitię liliis circumseptũ. Quapropter, adamãs eam, ait: *Venter tuus, sicut aceruus tritici, vallatus liliis.* Fateor textui adhærentem, quam Theodoretus expositionem adinuenit: at non ad hodiernæ festiuitatis institutum. Quoniam ventrem ille mentem interpretatur humanam; aceruum tritici sapientiam: exeuntem ex ea fragrantiam lilia. Cant. 7. 2. Theod. ibi.

Rupert.ibi. Aliter Rupertus; vt qui cantica ad Deiparam refert omnia. At ego aceruũ tritici in Mariæ vtero liliis circundatum, Christum quidem intelligo suauissima ibi circundatum puritate. Frumentum enim Christus est; qui de se ipso dicit: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit; multum fructum affert.* Ideo Dominus ipse in vtero Virginis aceruus est tritici; vt B. Aug. & post eum Beda, & glossa interpretantur. Lilia autem elegans suauissimæ fragrantiæ, ac puritatis sunt symbolum. Itaque Christus in Virginis vtero mundissima est circundatus fragrantia, ac puritate: in qua hominibus reliquis valde dissimilis comperitur. Cæteri enim dum in materno sunt vtero, impura, sordibusque plena circumamicti sunt tunica. Christus autem pro communi illo hominum tegmine, candidissimis fuit circundatus liliis; cùm Virgineus esset vterus ille, & aucta filio ipso puritas matris. Maximi quique Reges, à patria, quoad paternam genealogiam oriundi, diuersa ab eo regno, in quo, relicta patria, dominantur, & habitant, prætoria solent vallari cohorte, adducta ex propria illa, à qua oriundi sunt patria. Est iuge experimentum in Augustissimi Regis nostri custodia: qui cùm Hispano in Regno dominetur, & habitet; cohorte tamen ex Germania adducta circundatur domi; eò quòd paterna linea, Austriaca à domo ducat genus. Quid faceret supremus terræ, atque cœlorum Imperator? Est quidem hic materna ex parte homo terregena; sed à cœlo oriundus, quoad Patrem: qua ergo cohorte eum circundari deceret? Nonne illa, quæ propria est cœlestis patriæ? In superna autem regione illa nullæ quidem sunt sordes, nullæ maculæ; imo *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* Germina enim illius propria ciuitatis illa quidem sunt, quæ in ea vrbe vidit Ioannes: *In medio plateæ eius ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructuum suum; & folia ligni ad sanitatem.* Cum ergo illud vitæ lignum, quod Filius est Dei, Virginea in terra transplantatum virorem semper conseruaret: nonne existimandum est salutiferis illis circundatum foliis, quibus virens in cœlo perhibetur?

Aug. Tract. 51. in Ioan. Beda in 12. cap. Ioan. Glossa ibi.

Ioan. 12. 24.

Apoc. 21. 27.

Apoc. 22. 2.

Simile.

Christus viuens in terra circundatus erat prætoria cohorte, ex cœlestibus adducta.

Maria vterus circundatus floribus ex cœlesti regione adductis.

perhibetur? Nonne illis circundatum liliis, quæ inter ligna illa, in cœlestis illius fluminis ripa, semel orta, nunquam marcescunt? Attulit quidem supremus hic Rex cœlicam cohortem, qua ministraretur in terris; nonne afferret, & eam, qua circundaretur in vtero, custodiam liliorum? *Vidi cœlum apertum, & equus albus; & qui sedebat super eum vocabatur fidelis, & in capite eius diademata multa; & vocabatur nomen eius Verbum Dei. Et exercitus, qui sunt in cœlo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo, & mundo.* Apoc. 19 11. Ecce cœlestis cohors suum sequitur Regem; vt regnantem in terra circundet, & cingat, vestimentis albis, ac mundis induti omnes: pari ergo ratione in matris vtero circundatus liliis censendus est; propriis cœlestis illius patriæ liliis. Nullis enim eum impuris circundatum sanguinibus, asserunt concordes Patres, Greg. Nazian. Epiph. Sophro. Cypri. Aug. Cyril. Alexan. Ansel. & Bernardus. Quin nec interiori illo palliolo, quo in maternis vteris obuoluuntur infantes, circundatus fuit diuinus hic puer; vt consenserunt Patres in Trullo, approbati in 7. Synodo.

Greg. Naz. in Tragœd. Christus patiens columna. 10. & 11. Epiph li. 3. contra hæreses in fine. Soph. in epist. refertur in 6. Syno. Act 11. Cyp. ser de nat. Christi Aug. 29. contra Faust. c. 3. & 4. & li. de quinque hæresibus cap. 5. Cyril Alex. lib. 2. de fide ad Reginos. Ansel. in cap. 2. Luc. Bern. ser 3. de purificat In Trullo approbato. 7. Synodo Act 7. Cant. 1. Cant. 2. 10

Christus materno in vtero non fuit inclusus pallio illo, quo infantes omnes obuoluuntur.

Sunt applausu digna illa sponsi verba, quibus accersit sponsam, dicens; *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Flores apparuerunt in terra nostra; tempus putationis aduenit; Vox turturis audita est in terra nostra.* Etenim, sicut pendente fructu necessarij sunt palmites, necessaria & folia, quæ, sublato illo, protinus cadunt, superfluique palmites putantur; ita post natum ventris fructum, putantur ea omnia, quæ ad talis fructus protectionem, dum in ventre fuit, prouiderat natura. Fit autem primo vere putatio, quando iam flores incipiunt oboriri, audiri turtures cantantes. At quum diuinus fructus virgineo exiit ex vtero, dixit Virginis sponsus. Vox quidem turturis audita est; eius scilicet turturis, qui cum oblato puero oblatus est hodie: dixit similiter flores apparuerunt in terra nostra; quos videlicet enixa Virgo flores ex se produxit: at de putatione cùm diceret tempus putationis instare, quo in aliis enixis solet fieri putatio: nihil tamen dixit esse putandum, esseve quippiam, quod vtero à virgineo putaretur: sicut dixit flores apparuerunt in terra nostra. His coronatum

offert Patri infantem. His ornatum cereum, qui infans ipse
Luc. 2. 32. est, vt canit senex Simeon *Lumen ad reuelationem gentium: & gloriam plebis tuæ.*

Hunc gerens Virgo manibus cereum; Filium Dei, ac eiusdem Virginis Filium, ordinata diuinitus in templum venit processione. Exit obuius serpens, quem à sermonis exordio processionem hanc expectantem proposuimus. Turbatur tanta oculis luce; matrisque calcaneo insidiatur. Expendamus iam pro concionis calce, cur calcaneo fœminæ insidietur serpens, iuxta propositam illam Dei commination̄e;
Gen. 3. 15. *Ipsa conteret caput tuum; & tu insidiaberis calcaneo eius.* Certa vtique insidiandi causa illa vna fuit, vt gressibus fœminæ intelligeret, quænam illa sit, quis & ab ea natus, Iesus Christus. Quibus serpens insidiis in hodierna est vsus processione; in qua ambulantem matrem notauit ex gressibus. Notent interim adstantes auditores, tria in fructuum cultu tẽpora distingui; plãtandi primum; messis secundum, seu fructus percipiendi; tertium putandi superfluos à vitibus palmites, agrumque à superfluis collecti grani reliquiis, paleis nimirum, purificandi. Eadem in hominum, qui fructus sunt ventris, generatione tempora currunt. Primum genituræ; partus secundum; tertium, quo enixæ purificantur ab illis partus reliquiis, quæ cùm fructui in ventre deseruierint, superfluæ iam sunt, ac emittendæ. Pro qua purificatione de-
Leuit. 12. 1. signati erãt veteri lege dies quadraginta, si masculinus erat partus; si verò fœminæ dies duplicati; Octoginta videlicet dies. In Virgineo igitur Marię conceptu, Virgineo & partu, aliter, ac in fœminis aliis longè sese res habuit. Quam cũ tam nouo ordine factam fortè videret tabificus serpẽs; valde ex primo tempore admirans, ac stupens, nimis curiosus indagabat sequentia. Itaque in eo, quod primum est, genitura videlicet, nullum in virginali terra sulcũ vidit, nullum vomeris signum, nec aratri. Integer perstitit virgineus vẽter in conceptu, quoniam *Intacta nesciens virum, Virgo concepit filium.* Hinc vigilabat serpens valde solicitus, vt ex secundo rem deprehẽderet tempore: ex partu nimirum, fructus perceptione. Sed neque siccum tunc, aut marcescens videt folium vllum, vt solent, collecto ab arbore fructu, folia marcescere, ac siccari. Imo omnia vidit florentissima, integerri-

Maria puritatem admirãs Diabolus, insidiatus est calcaneo eius.

Simile.

Maria Virgo ante partum, in partu, & post partum.

moque virginitatis digna virore. Nam *Virgo concepit; Virgo peperit.* Quid restabat iam, quod callidus serpens indagaret? Nisi vltimum tempus, in quo partus reliquiæ partim cadere, partim verò solent amputari, quod purificatio nuncupatur. Accessit ergo serpens ad hodiernam processionem, in qua Mariæ gressus solerter obseruans, calcaneo eius insidiabatur, si forte vllum esset impuritatis, superfluitatisque vestigium. Sed quid vidit. Flores apparuerunt in terra nostra. Ideo confracto discessit capite, rediitque vlulans, dum turtures dulces decantabant. Abeat, nec reuertatur. Relinquamus hunc, vt offerentis Deo Patri Filium suum verba Virginis Matris audiamus. Faciat concionator oblationem hanc accommodatis sibi verbis.

IN EADEM PVRIFICATIONE BEATÆ MARIÆ.

SERMO II.

Luc. 2. 22. *Tulerunt illum in Ieruſalem, vt ſiſterent cum Domino.*

Maria quousque dilatur purificatione ſua.

ASCENDENS hodie templum puerpera naturalem patris ſuumque naturalem filium Patri præſentare, noſtris ambiguitatem videtur præſentare iudiciis circa ſuam, non dico puritatem, quæ indubia eſt, ſed Purificationem oblatum munus præcedentem. Hac namque vſam fuiſſe ſanctiſſimam enixã, inſinuat ſcriptor, dum refert, eam, ad ingrediendum templum quadraginta expectauiſſe dies, lege taxatos, vt à reliquiis partus mundarentur enixæ; ſicque decenti templum introirent puritate. Quod ipſa naturæ confirmat neceſſitas, quæ parientes non patitur à talibus immunes manere reſtilibus. Hiſpane *Raſtrojos*. Ex alia autem conſideratione, ipſamet virginalis puritas virginalem videtur ſecuta conditionem; quam partus non minuit, nec textus obliuiſcitur, quippe qui dies purificationis Mariæ completos dicit ſecundum legem Moyſi, inſinuans, non ſecundum neceſſitatem fuiſſe completos. Et multò clariùs ex eo, quod lex illa apponat conditionem, ſi ſuſcepto ſemine, vt non includat virginem hanc, quæ nihil à viro participãs peperit, vt notarũt Origenes, & Bernardus.

Purificatione an vſa fuerit Maria.

Leuit. 12. 2. Orig hom. 8. in leui. tom 1. B. Bernar. ſerm 3. de purificatione.

Ego igitur in puerpera hac partus reliquias concedo, & non concedo. Non concedo eas iuxta communem indigentiam enixarum: at concedo iuxta singularis partus conditionem. Ingressa enim templum ad hanc infantis oblationem enixa Virgine, accepit eum de manibus eius suis manibus Simeon senex sanctissimus in id muneris à Deo vsque ad diem hunc ex professo seruatus: qui obortis præ gaudio lacrymis, in illud prorupit canticum; Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum. Quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel. Vbi perpendendum est infantem tunc, salutare, & lumen à sene nũcupari. Nomine namq; salutaris. Verus designatur Deus & homo; qualis futurus erat promissus Abrahamo, ac Dauidi saluator: nomine autẽ luminis exprimitur Deus, qui solus est lumen adeo, vt nomine lucis cognouerit Samuel esse verè Deum, dicente Ecclesiastico: *Vidit Deum lucis, & inuocauit Dominum omnipotentem.* Vnde fit, vt, cùm vnio humanitatis ad Verbum sit vnio humanitatis ad lucem, humanitas ipsa cera fit, cui diuinum lumen, quod Deus est ipse, mira vnitum est arte. Ecce omnes hodie comitamur Mariam, gerentes manibus candelas, sicut illa gerit præsentandam templo lucernam nitidissimam. Quam putatis lucernam? Non vtique aliam quàm natum ipsum puerum, de quo Ioannes: *Cœlestis ciuitas non eget sole, neque luna: nam lucerna eius est agnus.* Ergo & militantis cereus Ecclesiæ agnus ipse, quem hodie ab enixa Virgine in templo oblatum accipiens Simeon dicit: *lumen* ad reuelationem gentium. Quòd si quem peperit Maria lumen ipsum est, & lumen quidem, quod Deus est ipse: Videte obsecro, quales ex huiusmodi partu supereſſe reliquiæ potuerunt. An illæ, à quibus purificari debuerit enixa? Imo vero ea ignis conditio, vt si quid tangat impurum purificet ipsum: tantum abest, vt sordes ex se relinquat impuras. Quanto magis ille, qui *Deus ignis consumens.* Huius igitur reliquiæ sunt, quæ in enixa Virgine manserunt. Ignis autem reliquiæ ardores sunt tales, qualis ignis ipse. Quales ergo erunt ardores pectoris Mariæ, nisi vrentissimæ cereus charitatis: siquidem ideo Deus ignis est, quod Deus chari-

Gen. 12. 3. & cap. 18. 18.

Psal 131. 15. Eccl. 46. 19.

Deus lucis nomine cognoscitur. Simile.

Apoc. 21. 23.

Deut. 4. 24.

tas est. Hac ergo charitate erit nobis patrona, vt accensam Deus charitatem nobis largiatur, & gratiam: si eandem Virginem aduocauerimus interuentricem, Angelica salutatione, dicentes,

AVE MARIA.

PRima genealogiæ filiorum Adæ diuisio digna est, quæ pro hodierno explicetur instituto. Ex duobus primæuis filijs eius scimus maiorem improbum, & reprobum; pium secundum, & beatum. Vternam horum sumptuosarum fuit auctor machinarum; grandium ædificiorum inuentor? Non Abel: qui soli sui ipsius ædificationi sedulus intendit:

Gen 4.17. *Cognouit autem Cain vxorem suam: quæ peperit Henoch: & ædificauit ciuitatem; vocauitq; nomen eius ex nomine filij sui Henoch.*

Notabile factum: vix enarrauit textus Dei sententiam de exilio, ac perpetua peregrinatione Cain, ob fratricidium: & continuo subiungit eum valde vrbis fabricæ intentum; quod proprium quietæ gentis est, nullaque contradictione turbatæ. Tum præterea facetum est, quod notificata eidem Caino iudiciali fructuum priuatione sententia, verbis illis:

Gen.4.12. *Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos:* nihil horum videtur attendisse, quum vrbis adijt constructionem. Certe constructores quique ciuitatum ante omnia considerant, fertilesne sint vicini agri, aptique ab vrbis prouisionem. Qui autem locus potuit terra in illa esse aptus ad fruges, cùm tota illa ad ferendos Caino fructus Dei male-

Gen.4.21. dictione esset sterilis? Deinde nepos eius, Iubal, instrumentorum fuit auctor musicorum: cæterique nepotes similium inuentores operum, ac rerum, ad terrestrem vitam ex professo instituendam. Verbum autem circa opera ad Dei cultum pertinentia prorsus legimus nullum.

Cultus diuinus oblati homines, qui temporalibus nimis ædificijs intendunt.

Cain primus ædificiorum auctor terreorũ.

Ædificijs terrestribus qui nimis occupantur, tepidi circa diuinũ cultum, cæteraque res animi languẽt.

Temporalibus rebus nimis addicti impij homines.

Ex oppositio in genealogia Seth, quem Deus dedit Adæ

Gen.4.25. pro perempto Caini manibus Abele filio, de humanarũ cura rerum legimus nihil: de cura rerum Dei nihil non legimus. Nam primus Sethi filius, nomine Enos, vitam suam

Gen 4.26. diuino cultui consecrauit. Textus Geneſis 4. *Iſt cœpit inuocare nomen Domini.* Quem imitatus sanctissimus nepos,

Iusti cultui Dei sugiter intendunt.

Canticis profanis intenti filij Cain, atque nepotes.

Ambulauit Henoch cum Deo; & non apparuit, quia tulit eum Deus. Gen.5.23. Quàm diuersa musica Iubal ab Enosia musica! ille ad humanam iucunditatem; ad inuocandum nomen Domini os aperiebat iste. Quàm etiam diuersa habitatio Henoch nepotis Adæ via Caini, & Henoch nepotis eiusdem Adæ per lineam Sethi! Illius vita in radicando se in terra versabatur: vita huius in ambulando; non vage, sed cum Deo.

Impij sibi ipsis attendunt, non Deo.

Iusti soli Deo, non sibi ipsis sedulo intendunt.

Sic duæ istæ lineæ processerunt; vna à Cain sibi applicans omnia; à Setho altera omnia referens Deo.

Renouatus est diluuio mundus: tuncque nihil prius curauit Noë, nihil prius fecit, quàm debitam Domino oblationem. Nam continuo de arca in terram egressus *ædificauit altare Domino.* Gen.8 20. Cum autem à tribus filijs eius, Sem, Cham, & Iaphet, tres sint deriuatæ genealogiæ (omissa linea Iaphet, cuius posteritatis, quòd habitatrix fuerit insularum, nulla vlra in textu fit mentio) si duas alias legatis intenti, Gen.10.3. videbitis omnes successores Cham obnixè addictos sumptuosissimis fabricis. Nepos eius Nemrot, filius scilicet Chus, filij ipsius Cham, magnæ Babylonis, & finitimarum fuit ciuitatum fundator. De qua terra egressus Assur ædificauit Niniuem. Sic successiuè posteri istius omnes incubuerunt ædificijs vsque ad Sodomam; nulli præterea, quæ narretur in textu, occupationi. Ex linea verò Sem posteri in ordine decem enarrantur, absque singulari alicuius exercitio vsque ad Abraham: qui adhuc iter agens, nec in quietæ habitationis sistens loco, ædificauit altare Domino in monte inter Bethel, & Hai: *& inuocauit nomen eius.* Gen.12 8.

Principijs ex prauis ad deteriora proceditur semper.

Quousque peruenit notanda hæc progenierum disparitas? Perpendite vos, qui attendebatis sibi posteri Cham magnificis tantum ædificijs, ad propria tandem carnis ædificia defluxerunt: nempe Gomorrhæ, & Sodomæ, quæ publica erant carnis prostibula; indéque ad struendum mundanæ ædificium vanitati; turrim videlicet Babel; quod interpretatur commistio, atque confusio; ac ex consequenti significat mundum, iuxta Origenem, Hieronymum, Augustinum, Cyrillum, & Gregorium. Ab eis autem, qui oblationem carni faciebant, & mundo, illis semper intenti; quid iam restabat expectandum, quid timendũ; nisi vt Dæmoni etiam oblationes exiberent? Nec vanus timor; nam quæ, & quam

Gen.19.1. Gen 11.4. Orig.hom. 4.in cãtica. & in cap. 1. Iere ho 2. Hieron. in Isai.13. Aug de catechizãdis rudibus 21. 86. Cyril. de adoratione in SS. Gregor 34. moral. c.7.

splendida Diabolo fuerint templa constructa, librorum vix capit enarratio! Neque superbissimus Dæmon templorum duntaxat contentus est machinis; nisi & personæ ipsæ tanquam Deo ei offerrentur. Cuius auctor oblationis fuit relatus Nemrot, vt scribunt Iosephus, & S. Isidorus, & cum eis Scholasticæ magister historiæ. Improbus enim ille quasi hæreditate ab auo suo Cham huiusmodi malignitatem in se traduxit: cum magicæ artis, diabolicarumque superstitionum inuentor fuerit Cham, vt scribit Berosus. Estque historia consona scriptis Diodori Siculi, qui superstitionum initium Ægyptijs adscribit; in qua sententia est & Firmianus Lactantius. Nam Ægyptiorum originem fuisse vel Cham ipsum, vel Nemrot nepotem eius scribit Augustinus. Atque ita pestis hæc per prouincias septem Chananæorum grassata, à Cham traxit decursum: siquidem ideo appellabantur Chananæi, quòd essent ipsius Chami posteritas. Vnde superstitiosum templum in Ægypto erectum est primum, Dæmonio cuidam Iobis titulo dedicatum: *Quoniam omnes Dij gentium Dæmonia.* Fuitque constructum in ciuitate Dodona in densissimo extra muros luco, quo ad petenda oracula, ex varijs regionis locis magna peregrinorum turba confluebat. Scribunt Herodotus, Diodor & Plin. Sed super hoc, & alia multa celeberrimum fuit Delphicum templum, structum in radicibus Parnasi montis radicibus consecratum Apollini; qui in oraculis Dæmon vera plerumque, vt scribit Macrobius, loquebatur ad comparandam bonam famam; vt cum ei expediret, mendacia, ad decipiendos homines, dicere, veridicus haberetur. Ideo responsa verbis dabat ambiguis: vt quidquid succederet, non possent eum mendacij conuincere. Illius templi prædicator erat non quidem vir, sed fœmina semper; & ea quidem Virgo sacerdotissa, quæ ex lauro fabrefactum cõcedebat suggestum. Ibi ingrediens eam Dæmoniacus Spiritus reddebat furibundam, turgentemque adeò, vt comam præ furore dilacerans è suggesto se iactaret in terram: res certè, quamuis à Dæmonio composita, fortè à Deo directa; vt qui locum conscendunt tam ab ipsis alienum, qualis est suggestus, ex eo seipsos præcipitent in terram. Quod neutiquam referrem ego, si apud solum Ouidium legissem, & Lucanum:

Dæmonia à gentibus culta.

Templa Dæmoniorum.

Idolis inclusi Dæmones ambigua præbebant responsa.

Ioseph l. 1. antiq c. 9.
Isidor. in ethimologijs.
Magist. historiæ Eccles. in gene.
Berosus l. 3. antiquitatum.
Diodor. Sicul lib 1. c. 2. li. 2 c. 14.
Lactãt. firmi. de diuin. instit.
Aug 16. de ciuitate c. 11.
Psal. 95. 5.
Herodot. lib. 2. & 4.
Diodor. Sicul. li. 4. cap. 4.
Plin. lib. 2. c. 106.
Macrob. in Saturnalib. lib. 1. c. 17.
Ouid li. 6. Metha.
Lucan. l. 1.

&

& non certius in mitologijs Fulgosij: imo & in Bibliotheca Diodori siculi. Quinetiam eò quòd legam apud B. Ioannem Chrysostomum multa circa hoc; & de fœminis illis, quæ Pythonissæ dicebantur, sumpta ethimologia ab Apolline ipso, interfectore Pythonis serpentis. Et quod magis est, subiugatis iam ab Israele Chananæis, vigebant etiam tunc Pythonissæ; quã doquidem præliaturus Saul quæsiuit ex eis quandam, quæ belli ei nuntiaret euentum, vt in 1. Regum scribitur libro. Quinetiam multos post annos noua lege ineunte, inuenit Apostolus in Dianæ templo Pythonissam, à qua iussit Dæmonem exire; propter quod accensi ira Domini puellæ priuati magno illo, quem eis ipsa diuinando quæstum, acquirebat, Paulum rapientes virgis vsque ad cruentissimas plagas cædi fecerunt in ciuitate ipsa Thyatiræ; vt est in Apostolicis actis. Dæmon ergo ille, appellatus Belzebub dæmoniorum Princeps, præcipiebat offerri ei hominum capita, ex lignis, lapidibus, argenti auroque fictilia, vt scribit Demaus, & Eusebius. Ex quo in tam miserandum homines præcipitauit errorem, vt personas ipsas ei offerri exigeret. Quod grauati fame Athenienses exequi incipientes selectos iuuenes septem, totidemque puellas obtulerunt ei execrando mactantes sacrificio. Inde introducta vbique fuit horrenda illa sacrificandi homines consuetudo, qua & vsus fuisse Orientales Indicæ gentes, ex earum scenibus accepimus: Occidentalis, nostris sæpe oculis videmus: reperta dico infantium cadauera idolis immolata. Ecce ab initio illo, quo cœperunt impij grandes sibi, non Deo domos fabrefacere deriuata est ciuitatum oblatio, facta carni, mundo, atque diabolo in tantum, vt personæ etiam ei oblatæ sint multæ.

Fulgo in mitologijs lib. 1.

Diodor. Sicul in biblioth.

Chrysost. super 1 ad Corint. & Paul. Oros. in ormesta mundi lib. 6. cap. 5.

1. Reg 28. 8 1. Paral. 10. 3

Act. 16. 15.

Demaus lib. 5. ca. 15. Euseb. de præparat. euang. Vergi. 6. Æneï. Euseb. l. 5. de præpa. c. 10.

Pythonissæ quondam in templis Deorum prædicatores.

Dæmones fictilia hominum capita exigebant.

Sacrificio oblati Dæmonijs.

Qui vero Deo soli Abraham Dei cultor constituxit altare, non solum morem illum vbique seruauit, vt constat Genesis 13. cap. de altare erecto in conualle Mambre; & rursus quinto decimo, & alibi, sed etiam obtulit Deo ipsi personam non quamcumque, sed proprium filium, & eum quidem vnicum, eleuata iam ad occisionem machera, quam tamen prohibuit altissimus, accepta in oblationem voluntate. Vbi notabile similiter est, quòd ad hanc etiam oblationem ædificauit altare.

Gen. 13. 18.

Gen. 15. 9.

Gen. 22 9.

Abrahami sacrificia.

Sacrificium Abrahæ.

Conualuit in illa iustorum genealogia huiusmodi mos, atque religio constanter adeo; vt cùm Noë obtulisset altare initio mundi renouati: filium Abrahamus initio testamenti; inchoata similiter fuerit Mosayca lex oblationibus multis; cùm populus iret per deserta; vt constat ex libris Exodi, Numer. & Leuitici. Tempore item Iudicum oblatio filiæ Iephte, quamuis inepta satis, & imprudens, Deo tamen vero facta fuit à Iephte ipso, vrgentiori erga Deum, cui obtulit filiam, pietate, quàm erga filiam ipsam, quam occidit. Cùm denique populus formatis fundatus est vrbibus. Regum præsertim tempore primus lapis fuit oblatio illa, qua Samuel oblatus est Deo in eius templo. Adeo, vt primi Regum libri initium oblatio sit pueri facta à pia parente nondum nati, imo nec geniti.

Lex vetus oblationibus inchoata.

Iudic. 11. 29

Oblatio Iephte.

Iephte obtulit vnicam Deo filiam.

Samuelis sanctissima oblatio.

1 Reg. 1. 10.

Accessit status legis gratiæ, in quo Christum Iesum celeberrimo actu Patri seipsum obtulisse, audio B. Paulũ prædicantem; *Semetipsum obtulit immaculatum Deo.* Hęc est Christi oblatio. Adeo, vt hodierna etiam pręsentatio, qua in templo fuit à sanctissima genitrice Patri Deo reditus, ab ipso etiam infante sit facta, in quo rationis vsus in omni viguit integer ętate. Nam Augustinus 2. de peccatorum meritis, cap. 29. & Isaias dixerat de illo; *Oblatus est, quia ipse voluit.* O diuina oblatio, quàm accepta, quàm grata, quàm iucunda es ęterno Patri tuo, tam ex teipso, quàm ex Virgine offerẽte. Non enim est hęc, sicut Virgo illa tẽpli ministra, quę rumore confuso, gestibus immodestis, rictuúmque motione in suggesto prędicabat; sed quę vultu placido, mirabili serenitate fructuosissimam faciat silentio concionẽ hodierno purificationis exemplo, quo generalem obseruat legem, à qua immunis est prorsus: debitúmque Patri reddit infantẽ. Quę ergo lingua explicare queat, quæ mens satis cõcipere, ô dulcissime infãtule, quàm placida oblatio, quàm accepta ei, cui pręsentaris, naturali Patri tuo. En Pater ęterne, en oblatio illa, quã ab ęterno expectas à terra. quid ex nunc iã ingratæ erga te sterilitatis mundũ incusabis? Nunquid mundo dedisti plus, quàm tibi offerimus? Ne extra te gloriemur inaniter, dicis tu nobis: *Quid habes, quod non accepisti?* Et tu supreme Domine, quid habes, quod à nobis hodie non accipias? Ergo nec potes tu extra hanc oblationẽ gloriari. Nam in-

Oblatione sui obtulit se Patri infantulus Christus.

Hebr. 9. 14.

Maria oblatio, quas dudum natum filium obtulit Patri, sique ipsam cum infantulo.

Isa. 53. 7.

Christi oblatio est bonorum oblatio vniuersorũ.

1 Cor. 4. 7.

Oblatio, quæ Christũ offerimus Patri, adeo integra est, vt bona omnia intra eum inclusa, integrè offeramus.

fantulus hic gloria tua est; & extra eum gloria nulla. Regibus mundi dona quidem solent ab alijs Regibus offerri: at donum hoc vltra Regia omnia dona est; quoniam ipsamet persona sua habet, vt sit iugiter tibi præsentatus; cùm quacunque aspexeris, præsens absque intermissione sit tibi, eò quòd sit æternum verbum tuum. Quare, quodcumq; aliud munus offeratur, non erit quidem munus illud omnia simul dona; at oblatio ista, *Este presente*, omnia simul est, quæ diuisa solent munera offerri: imo multò plura sine numero. Alij siquidem Regi donatur suauis aliqua res, ad esum pertinẽs, alij ad vestem spectans; gemma pretiosa alij; alij Regalis leo; alij thymiamata, sicut misit Iacobus ad Ioseph, Ægypti Principem. Alij thesaurus, quem Regina Saba munificè donauit Salomoni: Alii etiam nonnunquam solet impendi filius eiusdem personæ, cui offertur, quod fecit Eliseus, donans mulieri Sunamitidi filium; id est, impetrans à Deo, vt pareret Filium, cùm sterilis esset. At oblatio hæc est omnia simul. Infantem quippe hunc tibi, Patri suo, hodie offerentes, offerimus triticum: quoniam ipse est *granum frumenti*. Offerimus vitem, in cœlesti transponendam horto, quoniam ipse est *Vitis vera*. Offerimus agnum; de quo dixit Præcursor, *Ecce agnus Dei*. Offerimus vitulum sagi-natum, quem referente Luca, appellat se ipse filius tuus: offerimus etiam gloriæ vestem, de qua Apostolus, *Qui cum sit splendor gloriæ*, quem ipse, & nostram appellat vestem, dicens: *Induimini Dominum Iesum Christum*. Quo indumento te vestitum esse canit Psaltes: *Domine Deus meus magnificatus es vehementer amictus lumine, sicut vestimento*. Offerimus lapidem pretiosum, ad ornamentum templi, in quo præsentatur, vt dixit Isaias. *Ego mittam in fundamentis Sion lapidem probatum, angularem, pretiosum*. Quem esse infantem hunc testatur summus templi ipsius Pontifex, Petrus. Offerimus Regium Leonem coronatum, de quo in Apocal. *Vicit Leo de tribu Iuda*. Offerimus thymiama suauissimæ in templo hoc, in vniuersa Ecclesia fragrantiæ: iuxta Apostoli verba: *Odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco*. Offertur thesaurus infinitus, dicente eodem Paulo. *In quo omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ sunt abscondit*. Et (quod summum est) offerimus tibi filium tuum, cùm in-

Gen. 43. 11. 3 Reg. 10. 10.

4. Reg. 4. 16

Ioan. 12. 24 Ioan. 15. 1. Ioan. 1. 36. Luc. 15. 23. Hebr. 1. 2. Rom. 13. 14

Psal. 103. 1.

Isai. 8. 18. & cap. 28. 16.

1 Pet. 2. 6. Apoc. 5. 5.

2. Cor. 2. 14

Colos. 2. 3

fans hic tuus sit filius naturalis. Nec, quia paruus est infans; oblatio parua est; sed adeo eximia, vt quocunque oculos conijcias, eos omnino impleat, ac exhilaret: O quis videret hodie profundissimum pectus tuum plenum iubilatione dono hoc tibi oblato! Pater es tu, & infans hic est filius tuus vnicus, in quo tibi complaces, delectaris, exultas; quàm ergo lætabundus eris hodie tu iucundo adeo, adeo grato munere? Præsertim, cùm tibi præsentetur manibus Virginis purissimæ, quæ ex suo eum vtero producens, offert tibi libentissimè. Quam iucunda erunt hodie paterna tua viscera, dum vnigenitum, quem ab æterno iugiter generas, vides ante oculos tenerrimum tuos, & teneræ Virginis manibus præsentatum? Si senex ille Simeon tam intimo afficitur gaudio, accipiens suis vlnis infantem, lacrymisque per venerabiles decurrentibus canos, dicens tibi: *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum*: quanto alacrioribus gloriaris tu iubilationibus, & gaudijs, dum oculi tui tuum vident salutare, à quo salus generis dependet humani, quam anhelus vis conferre mortalibus?

Matth 17.5

Oblato Christo infantulo summa Pater lætitia gloriatur.

Christo infante præsentato lætatur supra modum Pater, cui offertur.

Et vos, amici, quonam affectu comitamini infantem hunc in hodierna processione? Quanam exultatis iubilatione, videntes, vestræ salutis auctorem se propter vos Patri præsentantem, ad suscipiendum munus hoc, ad quod est ante sæcula ordinatus? Quam prompta estis voluntate offerendi vosmetipsos cum eo, qui non solum pro vobis, sed etiam vobiscum, sui facit oblationem, vt doceat vos rationabile facere obsequium vestrum? Quodnam vocat Apostolus rationabile obsequium; nisi sanctam huiusmodi oblationem? *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum; & nolite conformari huic sæculo.* Perpendite verba. Concionis nostræ institutum est duplex hominum genealogia, quarum altera offert se sibi ipsi, omnia sibi applicans, & ad se vnicè referens. Hęc autem genealogia propriè seculum est, quippe, quod non ęternitatem, sed pręsentes res duntaxat attendit. Altera est, quę omnia soli offert Deo, domos, facultates, filios, filias, propriam denique personam:

Oblationem sui facere Deo debet homo.

Rom. 12. 1.

Mundo se dedere non debet, quisquis Deo offert.

quam quidem offert noster hodie infantulus, in genealogiæ huius complementum, ac decus. Vocat ergo Paulus rationabile obsequium, factam Deo oblationem simul cum auersione à seculi norma: eò quòd vtrumque nempe offerre se Deo, & non offerre se mundo, rationi sit prorsus consentaneum; cætera quæq; cuiusuis generis, ac finis extra rationẽ sint penitus. Nam tametsi multa sint & licita, & sancta, quæ non sunt oblatio facta Deo actu distincto, atque signato; tamen in omnibus absque exceptione operibus nostris oblatio hęc imbibi debet, ac includi: Percurrite omnia, quæ ad oblationẽ hanc peti possunt rationabilia fundamẽta: dispicietis apertè nullum profecto reperiri posse, quod oblationem hanc debitam vndecunque esse non conuincat. Tres debiti huius proponam titulos, adeo fœcundos, vt quiuis eorum tribus constet neruis validissimis.

Oblationem sui debet Deo facere homo tribus debitã titulis.

Primus titulus est ex parte iuris, seu ius ipsum. Hoc autem ius tribus iuribus constat: seu certè iure in vno iura sunt tria, quæ Graphicè distinxit Imperator Iustinianus. Primum est naturale, quo res omnes, vt Apostolus dixit, natura sua absq; lata lege approbatæ sunt, siue prohibitæ. Huius generis sunt subuenire indigenti; quod naturæ iure bonum est; mentiri malum absq; lege vlla, nec præcepto. Aliud ius est diuinum; quod Deus, supernaturalis auctor ordinauit, ad cõponendum hominem: Altissima supra naturã suã excellentia, qua Deo ipsi supernaturaliter vniatur. Sic veteri in lege circũscisio diuini fuit iuris: baptismi, & aliorũ institutio Sacramentorũ in noua. Tertiũ ius est humanũ; leges videlicet ab hominibus ipsis constitutæ; conformes tamen eidẽ naturali iuri; de quo Aug. & latius Isidorus. Estque ius hoc vniuersale, speciale, ac singulare. Quoddam enim est ius, quod vocatur ius gentiũ, eò quòd omnes mundi nationes, nisi barbaræ sint, in eo conueniant; vt quòd sospites quolibet ingrediantur, & exeãt Legati; sicut cap. ius gent. dist. 1. Ius speciale est totius ius Imperij: quod vocatur ius commune ciuile, vel canonicum. Singulare autem est ius illud, quod proprium est Regni. Tale est ius partitarum in Hispania.

Ius triplex.

Ius diuinũ.

Ius humanũ triplex.

Ius gentiũ.

Ius cõmune.

Ius Regni.

§ 1. Inst. de iust & iure. S Th. 1.2. q. 93. art. 1. & 2. Rom. 2, 14. S. Th 12 q. 91. art. 4. Leuit. 18. 19. 20. & 1. Paral. 22. Gen. 17. 10. Exod. 12. 1. Isid. 5: Ethim c 4. Aug 1. de liber arbit. cap 6. Cap ius gentium. dist 1. S. Th 2.2. q 75 art. 2.

Iuxta quodlibet ergo istorum ius oblationi sui faciundæ astrictus est homo. Naturale enim ius naturaliter dictat, vt factura quæuis ad factorem suũ referatur. Id quod & Phi-

Oblationem sui facere Deo titulo creationis debent homines.

Arist. 5. Met. losophus agnouit, dum docuit; effectũ ad suam referri causam. Estque hominis factor solus Deus. Quæ quidem obligatio multò impensiùs vrget ex eò, quòd Deus est factor, non vt factores alij; qui accidentarias tantum fingunt rerum formas, non naturales. Plumator enim formam simulat Leonis; non formam Leonis naturalem, nec Leonis materiam potest facere; nempe bombycinũ & aurum Deus totum vsquequaque præstat hominibus; formam materiam, accidentia, & quidquid nobis naturale est, ac necessarium. Ex eò etiam, quòd auctores alij rem ab ipsis factam non sustentant; at de auctore nostro dicit Apostolus,

Act. 17. 28. *In ipso viuimus, mouemur, & sumus.*

Oblationem sui facere debent homines titulo supernaturalis eleuationis.

Iure etiam diuino non minùs efficaciter vrget hæc obligatio. Est enim, vt dixi, statutum à Deo huiusmodi ius ad eleuandum hominem eam ad celsitudinem, qua sui eũ facit fruitionis participem; atque adeo beatum. Quidnam dico? iure hoc diuino offert se ipsum homini Deus verbis his suauissimis: *Ero Deus vester, vosque eritis populus meus.* quæ in propositum hoc adducit Apostolus, intimans Corinthiis cultus debitum diuini. Quod si pactorum leges strictè compellunt quemlibet paciscentium, vt habetur in digestis de pactis, quàm indissolubili nodo obligabit lex ista, vbi lucrũ est ex parte hominis totum? Quid multiplicem verba? Si Deus se totum offert nobis, quid magnum fecerit terrestris homo, si totum se integrè offerat Deo?

Leuit. 26. 12

2. Cor. 6. 15.

Iure gentiũ adstringuntur homines offerre se Deo.

Eadem obligatio humano oritur ex iure, non solùm pontificio, quod sanctum est, nihil disponens aliud, quam idoneas vias, ac rationes, quibus offerant se homines creatori: non solùm ciuili, quod ab Imperatoribus, conditum est, in quibus rationis vigebat integritas: sed iure etiam gentium; quod est hominum omnium concors resolutio. Nam homines capti in bello iusto, iuxta ius gẽtiũ serui sunt: lege. 4. ff. de statu homi. eò, quòd eis debita nex, in seruitutem commutatur, quæ est ratio iuris ibidem expressa. Homines autem, & mulieres capti à Deo sunt iustissimo in bello. Primus namque vir ac fœmina prima à Deo decisere sunt ausi, facta cum serpente coniuratione. Dum enim excedentem illum statum, quo se ipsos sicut Deos fore putauerunt, arripere sunt aggressi, Dei statum, & regnum vi capere ac fur-

Lege 4. ff de statu hominum §. ius autem gentium.

Gen. 3. 6.

tim præsumpserunt. Ideo Deus ipse cucurrit offensus ad capiendos eos inter densissima absconditos nemora; quos instantia prima tanquam fures capite damnauit, vt explicat textus. At cum secunda instantia mitius cum eis ageret; eos ad seruitutem obligauit, inurens faciei eorum. S. & clauum, in signũ seruitutis. Quid enim aliud fuit sudor ille, ad quem damnauit hominem, dicens *In sudore vultus tui vescéris pane*; Gen. 3. quàm faciem eius nota seruitutis insignire, qui enim priùs Gen. 1. 28. fuerat Dominus voce illa Dei, *Dominamini*; iam ex bello hoc constituti sunt serui; cùm sudor sit seruorum signum ex labore seruili. Idcirco selectos homines, quorum æternam mortem in seruitutem Deus commutauit, vocat pro magno seruos honore, *Seruus meus es tu; elegi te*. Serui autẽ conditio est, vt sua omnia, & seipsum Domino suo totum noscat oblatum. Sic est iure ipso definitum. Cùm ergo seruitus hæc adeo iusta sit, tamque benignus herus; quis est, qui se totum ei offerre omittat, reseruatione nulla, ne vnguis quidem, aut capilli?

Isa. 41 9. §. Serui inst. de iure personarũ. Inst. de vsu, & habitatione § vlt. S. Th. 1. 2 q. 89. art 6. q. 90. art 4. Cay. ibid. Victo. relectione de 1. veniente. Canus relectio. de Sacramentis. Soto lib. 2. & natu. & gra. c. 11 & 2. de iust q. 3. art. 10. Nauar. in repetitione cap. Quando de consecrat. dist. 1. & in summa cap. 11. num. 8.

Pueri peruenientes ad rationis vsũ, debeantne tunc offerre se Deo.

Oblationem sui debeant facere Deo pueri peruenientes ad rationis vsũ.

Quamobrem Angelicus Doctor Thomas censuit hominem quemque primo rationis vsu, cum scilicet aperit rationis oculos, stricta vrgeri, sub mortali peccato, obligatione præsentandi se Deo firmo inde proposito vitam suam in eum dirigendi, ac ordinandi, quæ sententia tametsi multis nimia videatur, nec nos damnemus omnino eos, qui in tam tenera ætate oblationem sui facere omiserunt, tamen ob tanti Doctoris, imo & Doctorum quorundam auctoritatem, & timendum dicimus, & saltem, tanquam summè debitum exequendum in ætate illa, qua homo id animaduertit. Quare, quoties Scholastici iuuenes ad hanc in gymnasiis controuersiam perueniunt; videre est, quantum ea turbentur, eò quòd huiusmodi oblationem sui in tenera illa ætate vel facere omiserint, vel an eam fecerint, sint dubij. Ideo properant seduli, & ad confitendum istud omissionis peccatum, si fortè peccatum fuit; & ad faciendam tunc oblationem illam, quam in pueritia facere omiserunt. quod & vos omnes facere, & vellem, & consulerem, & vt tam iucunda, tamque debita oblatio minime differatur; faciamus nunc eam, toto nos corde offerentes Deo, auctori nostro naturali: supernaturali etiam erectori: ac Domino nostro ex iusto seruitutis iure.

Supreme rerum artifex, è cuius manibus totus, quantus sum in lucem exiui, imo perfectus magis, cùm me ipsum meis imminuerim, tuo me sisto subditum conspectui; me tibi offero; ecce ego. Offero me tibi tanquam naturali factori meo: cuius me facturam agnosco figmentum fateor: iugi conseruatori, in quo viuo, mouear, & sum adeo vt sine numine tuo, ne gressu vspiam mouear vno, vno possim instanti sine tua assistentia respirare. Offero me tibi tanquam erectori, qui de puluere terræ, de vilissimo luto, de nihilo penitus eleuasti me ad nobilissimã tui participationem, faciens me tui ipsius æterna capacem fruitione; dansque te ipsum mihi totum meum. Offero me ad pedes tuos, tãquam Domino, qui iustissimo ex parte tua ex mea iniquo me cepisti bello: quoniam à te decisens coniuraui, Regiam tuam tẽtans mihi dignitatem vsurpare. Ob titulum hunc trina in lege fundatum, totum me tibi offero, tribus debita titulis, exigua licet oblatione. Offero tibi mea, mecum omnia fortunæ bona, honores, diuitias, voluptates, offero supernaturalia item bona, actiones scilicet supremum in finem ordinatas. Vtinam oblationem hanc à primo feciſſem discretionis instanti, quo rationis oculos aperui, in eaque ad vsque perstitissem absque puncto obliuionis. Quam, quòd serò feciſſet oblationem, amarè plorabat Augustinus.

Oblatio hominis, qua se præsentat Deo.

Aug. in cõfessionibus.

Quod si titulus hic adeo obnixè obligat; quanta erit vis obligationis, si secundus ei superueniat? Est namque titulus secundus imaginis titulus, quo honoratur homo, non solum vt est facta Dei manibus effigies; sed ipsius insuper similitudo factoris. Titulus autem hic tribus similiter faciundæ oblationis constat fundamentis: cùm homo triplici imaginis acceptione Dei imago sit; quam vos interrogati, fatebimini. Quum in auribus vestris Michaelis Angeli nominatur imago, quidnam tunc percipitis? Pater, ego quidem Sãcti repræsentatricem Michaelis imaginem intelligo. Bene intellexisti: tamen audio musitantes alios se quidem aliter formauisse conceptum; nempe, ideo dici imaginem Michaelis Angeli, quòd à Michaelo Angelo sculptore sit facta. Exit verumtamen alius meritò dicens; cùm talem ego imaginem audio, ideo eam dici Michaelis Angeli concipio, quòd propria eius sit, sicut pallium est proprium, ratione videlicet

Titulo imaginis debet se homo offerre Deo.

videlicet dominij: Omnes vos scitè, fateor, ac iuxta propositum, loquimini; propterea, quòd omnes tres intelligendi rationes capiat imago. Est enim in ea triplex ratio; alia nimirum repræsentationis; operis alia, tertia possessionis. Secundum ergo omnes tres rationes has homo est Dei imago. Primo est imago Dei, quatenus Deum repræsentat, estque adeo eductus tanquam à prototypo, vt dicitur Sapientiæ 2. cap. *Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum.* Inter exemplar autem, & exemplatum necessaria relatio est, vt Philosophus tradit, ita vt totum imaginis esse sit, in suum referri prototypum, ex quo educta est. Secunda item ratione proposita, verè est imago Dei homo; id est, ab eo facta vt ab artifice, quod commendatur verbis illis Prophetæ. *Tu formasti me, & posuisti super me manum tuam.* Sum formatio manuum tuarum, in qua posuisti manum tuam. *Mirabilis facta est scientia tua ex me.* Sum repræsentatio scientiæ tuæ mirabilis. Ergo si excellentissimæ imagini esset mens & eloquium; quid faceret aliud, quàm offere se pictori suo, qui adeo glorioſam fecit eam? Nec in tertia acceptione est minùs proprie imago Dei omnis homo: propria nimirum possessoris Dei, ac Domini veri. Ex quo enim manibus suis eam effecit, nunquam vendidit illam; nec ad vendendum fecit eam; sed vt glorioſa in templo suo esset imago.

Homo imago creatoris. Sap. 2. 23.

Arist. lib. 2. Phisicorũ.

Homo imago Dei tanquam artificis sui. Psal. 138. 5.

Homo imago Dei, tanquam eius, qui eã possidet, estque Dominus eius.

Propter quod Rex diuine, agnosce effigiem hanc, quæ iuxta figuram tuam amussitata, seu ad figuræ tuæ amussim expressa est, tanquam ab exemplari rerum primo. Offero me tibi, vtpote prototypo, cuius imitatione sum conditus. Offero me tibi tanquam supremo mei artifici; qui me effigiem mirabilem feciſti. Offero me tibi, tanquam proprio Domino, qui nunquam me cuipiam vendidiſti; vt tua in æternum sim possessio. Sed quãta est ista retributio in vna duntaxat oblatione mei, vbi titulus offerendi me tibi triplex est, causis tribus titulus? Quid faciam? nisi me tibi ter quotidie offeram? Quid dixi quotidie? Offeram me ter quocumque momento. Es namque tu benignus adeo, vt quamuis facta semel mei oblatione, nihil in me, quod denuo offeram, supersit; ita nihilominus oblationem acceptas, vt si noua semper esset oblatio.

Vos autem, auditores, quantùm titulo isto commouemini? Si vrgentem fatemini; scitote tertium titulum prædictos duos longè superare. Si hic, quem nunc audistis, formatæ est imaginis titulus, quatenus vos ad imaginem Dei facti estis: titulus hic, quem nunc proponam, ideo vobis est imaginis titulus, quòd Deus ipse ad similitudinem vestram factus sit. *In similitudinem hominum factus.* Obligatne vos satis titulus iste? Magis profectò obligat, quàm primo apparet intuitu: quoniam non solum factus est in similitudinem vestram; sed eo etiam factus fine, qui titulus hunc facit trinum titulum. Facta enim à diuino hoc Rege sui oblatio tergemina fuit. Primam fecit primo ipso Incarnationis instanti, vt probat S. Th. suntque verba Prophetæ, *In capite libri Scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui.* Quæ verba interpretatur Apostolus de primo Incarnationis instanti. *Ingrediens mundum dicit, hostiam, & oblationem noluisti; corpus autem adaptasti mihi; tunc dixi, ecce venio.* Quod latè prosequitur Anselmus. Facta hodierna die est oblatio secunda, qua dudum natus præsentatur in templo Patri Deo. Tertia facta est, quando in horto obtulit se eidem Patri, dicens: *Pater mi, si non potest calix hic transire, nisi bibam illum; fiat voluntas tua.* Itaque obtulit se Patri in conceptione, in natiuitate, & in interitu; in principio, in medio, & in fine.

Christi humanatio vrgens titulus offerendi se ei hominibus cunctis.

Philip. 2. 7.

Oblationem sui facere Christo debent homines, quòd ipse factus sit homo.

S. Th. 3 p. q. 34. art. 3.

Psal. 39 8.

Heb. 10. 5.

Anselm lib. 1. cur Deus homo.

Matth. 26. 42.

Ecce titulus iste offerendi nos Deo tergeminus est. At est adeo fœcundus, vt ex alia parte consideratus tergeminus etiam inueniatur. Enimvero humilis hæc Regis nostri oblatio nobis est simul & documentum, & exemplum, & auxilium. Quoad documentum, plana res est; nã *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Quoad auxilium, liquet, infantem hunc hodierna processione manu ducere suos ad faciendam Deo integram sui oblationem. Quoniam ad eam efficiendam, venit omnẽ ab illo nobis auxilium; vt docent S. Augustin. & Th. estque in multis Scripturarum sententiis. Cæterum, quoad exemplum, considero ego in hodierna infantis oblatione, & purificatione matris eius singularem quandam imitationis rationẽ, quæ & præsentationis, & purificationis est finis. Nam prima illa, qua statim conceptus, Patri se Christus oblatione

Rom. 15. 4.

Aug. tract. 3. in Ioan. S. Th. 3. p. q. 7. art. 9.

Præsentatio Christi exẽplum nostrũ, vt offeramus nos ipsos Deo semper.

præsentauit, debita quidem erat iure creatæ humanitatis. Crucis autem oblatio redemptionem nostram finem habuit cũ exẽplo coniunctã, præter ipsius Christi exaltationẽ, & gloriam: & hodierna præsentatio & purificatio Deiparæ Virginis, ob quemnam finem, præter nostrum facta commendatur exemplum? Attenta quippe propria ex instituto præsentationis origine, nulla in Christo fuit huiusmodi oblationis necessitas. Ideo enim lex primogenitum omne Domino Deo in templo sisti præcipiebat, vt hædo, aut columbis redimeretur à seruitute, in quam commutata fuit captiuitas illa, à qua in Ægypto Altissimi manu liberatus est populus. Cum ergo Dei Filius ipsa sit sanctitas, omniumque redemptor; nullo quidem iure erat à iugo redimendus. Ideo dixit Apostolus, *Misit Deus Filium suum factum sub lege*, non dixit natum sub lege, sed factum; quoniam ipse voluit. Ex parte item matris causa eximendi eam à Purificationis necessitate assignatur à patribus puritas eius, quæ sordidas partus reliquias admisit nullas. Solus igitur interuenit effectus; nostrum scilicet exemplum, quoniam cùm filius, & mater nitidissima sint virorum specula, ac mulierum, seruauerunt ambo leges illas ad generale vtriusque communitatis exemplum; quo omnes viri, ac fœminæ ad exactam legum Dei omnium obseruationem excitentur. Quæ res, si pressius perpendatur, mirabilior adhuc iudicabitur. Ex parte quidem oblati infantis nulla enim vrgebat hodiè necessitas; quia iam se in primo Incarnationis instanti præsentauerat Patri. Ex parte vero matris, quoniam dies Purificationis, qua enixa quæque in reliquiis partus detinetur, respondent diebus illis, quibus fœtus in ventre impura est ante animationem in materia, quos dies 43. si fœtus est masculus; geminatos, si est fœmina assignat Philosophus. Masculus namque per dies sex lactea est in materia; per nouem sequentes in sanguinea: per sequentes duodecim informis fit caro; per quindecim reliquos componitur caro formatione organorum, & partium distinctione: ac tandem sic dispositum ingreditur anima corpusculum. Ordo autem hic in humana Christi formatione nullum habuit locum; imo in illo fœliciſſimo instanti, quo dixit Maria, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi se-*

Purificatio Deigenitrix exemplũ seruanda Deilegis.

Exod. 12. 1

Orig. hom. 14 in Leuit. Ber ser 3. de purificat. Aug. lib. de quinq; hæresibus c. 5. in fine tom. 6. in principio.

Purificationis enixarũ radicalis origo.

Arist. li. 7. de animalibus tom 2.

Embrio quandiu in sordibus moretur in vtero.

Luc. 1. 38.

cundum verbum tuum. Formatus est totus simul absque necessitate dilationis, propter infinitam Spiritus Sancti virtutem, qua formatus est, vt probat S. Thomas. Cum ergo purificationis tempus tempori formationis attemperetur; sitque Christus vnico formatus instanti; consequens est, vt nec purificationem nec vllam temporis moram postulauerit. Solum igitur datum hominibus exemplum, tam purificatio, quàm præsentatio habuit scopum.

S Th. 3 p. q. 6 ar. 4. ad 1.

Ex quo ego singularem video effectum colligendum. Nempe puram viscerum erga proximos sanitatem nequaquam sufficere, si amor hic minimè apparet exterius. Agit tecum vir nobilis de reconciliando te offensori tui; & respondes illi: Ego equidem nullo cordis affectu malum ei desidero vllum: tamen non est, cur ei debeam loqui. Dic tu mihi amice; nonne posset tibi dicere Christus, iam sum ego oblatus Patri in corde meo in visceribus matris; non est necesse, vt externam faciam oblationem? Nonne posset dicere Christi para, ego quidem in me purissima sum; vt quid expectabo legales hos purificationi dies assignatos? Non vtique hoc contenti sunt puer, & puerpera; nisi etiam exteriorem compleant obseruantiam. Quare ergo tu sana, ac tuta te somnias esse conscientia, dum nullam dicis in visceribus esse impuritatem erga proximum, si tamen renuis exterius ei conciliari? Cœca planè deceptio, quæ non paucos facit cœcutire.

Exterioris hominum intuitu opera bona facienda sunt.

Nondũ sistit hic strictissimũ hoc, generaleq; debitum, quo offerre nos Deo vehemẽter adstringimur, extremo hoc, ac dulcissimo titulo; titulo, dico similitudinis, quod scilicet Dei ipse Filius ad nostrã volũtariè fact.° similitudinẽ se Deo Patri præsentarit. Cũ enim homo, eò quòd Dei imago sit, iugiter se Deo debeat offere, offerat autẽ tepidè, & quãdoq; fact.° est homo Dei Filius, vt humanã Dei imaginẽ offerat Patri cũ diuina. Hac enim ratione obtulit se pro nobis Deo; & se obtulit nobis, propter Deũ, & obtulit se nobiscum Deo. Quidnã est, quòd Sacrosanctũ sui corporis sacrificiũ bis celebratũ sit; in cœna incruẽtũ, cruẽtũ in cruce? Vtiq; in cœna se obtulit nobis propter Patrẽ, dicẽs *accipite, & comedite*; in cruce pro nobis Patri, dicẽs, *Pater, in manus tuas cõmẽdo Spiritũ meũ*: quàm pro nobis factã oblationẽ explicuit primo illo verbo,

Sacrificium cur duplici specie obtulerit Christus.

Matth. 26. 26. Luc. 23. 46.

Oblatio nostra oblationi Christi adiungenda est, vt sit accepta.

Pater dimitte eis: quanquam vtrobique & nobis & Patri se pro nobis obtulit. Nobiscum se obtulit: quoniam oblatio nostri, vt grata Deo sit, magnique valoris, oblationi Christi subnectenda est. Sic prædicauit Dominus ipse: *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis.* Paulus quoque latè prædicauit, ad Ephes. præsertim. Atque ita loquitur Trid. Concil. Portant homines multi argentariam glebam, seu rude argenti metallum ab argenti fodinis Peruanæ vrbis, nomine Horuro, in vrbem Potosinam; vt magnæ Potosini quantitati metalli aliquantulum immisceant Horurini, quo ad altiorem illud euehitur gradum. Sic oblationibus nostris Christi iungitur oblatio, qua nostrarum virtus, gradus, valor mirum in modum augeatur.

Luc. 23. 34

Ioan. 15 4.

Ephes. 4 4.

Concil. Trid. sess. 4. cap. 16. sess. 14. cap. 8.

Simile.

Mundus, & caro reijciũt seruiẽtes eis homines, vt ad suum reuertantur Dominum, ac Deum.

Propositi vobis debitæ tres oblationis sunt tituli, iustitiæ primus, alius imaginis, tertius è conuerso, quòd ad nostram se Deus imaginem fecerit: quorum quilibet rursus est triplex. Nunc dicite mihi, quà excusari potestis, ne vos Deo totos offeratis, integrè, libenter, & alacriter? An ad oblationem, quam miseri homines sui ipsorum faciunt carni, vel mundo, est titulus aliquis verus, aut apparens? Sufficiebat certe extremus hic; quòd nempe Deus ad nostram se fecerit imaginem, tot emolumentis hominum adiunctis, tot inde bonis profluentibus. Dicetis tamen, Pater, iuxta titulum primum, qui ternarius est, obtuli Deo bona tria, nempe fortunæ, naturæ, & gratiæ. Iuxta secundum, qui etiam est ternarius, obtuli me ter in quolibet momento. Nunc pro titulo hoc, qui ter trinus est, quidnam offeram Deo? Si offeram me, nihil quidem offeram, cum iam oblatus sim; quid igitur offeram? quid? Fac teipsum in momento quolibet maiorem florentissimo virtutum augmento; & ita offeres auctum te Deo, nouámque augmentum ipsum oblationem.

O diuine Iesu! pro me te offers hodie, & sæpius Patri; quid faciam ego? pro te vbique, & semper Patri me offeram, & ecce nunc offeram, & offero. Propter Patrem te mihi offers quotidie; en me tibi totum offero propter Patrem. Offers te mecum Patri tuo; vt oblatio mea grata sit, & accepta: Offero me tecum vt oblatio mea tuæ oblationi sit ho-

nori, & gloriæ. Offero me tibi æterne Pater; Offero me tibi vnigenite fili; Offero me tibi sancte Spiritus. Ecce me: oblationem accipite: Modica oblatio est, sed ditata manibus, quibus offertur inexaustis. Ecce æterne Pater, me offero tibi manibus filij tui dilectissimi. Ecce æterne fili, me tibi offero tuæ manibus matris. Oblatio exigua est; sed mundis manibus exhibita; nam virgo hæc plusquam purificata hodie venit in templum; cum in omni semper loco sit pura, atque purissima absque purificationis necessitate. Et tu Spiritus alme, oblationem accipe, quam & filij, & matris tibi manibus offero. Offero me tibi beatissima Trinitas, fortunas, honorem, gressus, cogitationes, verba, opera, eloquia, corpus, animam, vitam, mortem, ac totum me integrum offero tibi, ad gloriam tuam sempiternam, ad quam adstantes hos, qui se tibi offerunt, perducas, qui in Trinitate perfecta viuis, & regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

IN EADEM PVRIFICATIONE BEATÆ MARIÆ.

SERMO III.

Benedixit illis. Luc.2.34.

Benedictio super Iacob inducta à patre suo.

MORIBVNDVS Isaac cum Iacob, filium suum, paterna benedictione sublimaret, non eum solum, sed omnes etiam, qui eum benedicerent, eiusdem fecit benedictionis participes: *Qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* Et erat vsurpata furto benedictio, eòquòd cœcus pater Iacobum maiorem putaret filium. Quid si verè esset filius ille, cui benedictio deberetur ex iure? Hodie senex alius sanctitate insignis Simeon nihil, ad deponendã temporalis vitæ sarcinam, expectat aliud, quàm benedicendum à se filium, non suum, sed Dei, & Deiparæ: cui debita est hæreditario iure, non rapta furtim benedictio. Quoniam *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo*; sed natura legitimum Dei Filium, *quem constituit hæredem vniuersorum.* Hunc ab enixa Virgine in templo Patri præsentatum accipit in vlnis senex Simeon: quam ergo dabit ei benedictionem? *Benedixit illis.* Non soli oblato benedixit infanti: sed benedixit illis; eum nimirum comitantibus cunctis, matri, Iosepho, sponso, & circunstantibus. Imo primum *Benedixit Deum*, quo ternarium benedixit vtrumque; diuinum, & humanum: siquidem benedicens Deum, diuinum ternarium benedixit: humanum, benedi-

Gen.27.29.

Benedictio data infanti Christo à Simeone.

Philip.2.6. Hebr.1.2.

Luc.2.28.

cens cum filio matrem, & Ioſephum. Cùm ergo dixerit ad Iacobum Iſaac, *Qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur:* quantis benedictionibus replebitur Simeon, qui Dei Filium tam pia afficit hodie benedictione? Tam vtique eſt benedictionibus repletus, vt nihil iam expectet vltra, ad fœlicem ſui à terra in cœlos tranſlationem: cùm in tenera illa prorumpat verba: *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.* Iam me in pace dimittis benedictum; tuam in me mittis ad iter hoc benedictionem. Igitur, ſi & nos ad benedicendum benedictum hunc altiſſimi filium, hodie conueniamus; eiſdem etiam benedictionibus replebimus. Maximè, ſi benedictis offeramur Deo manibus Virginis illius, quæ eſt *Benedicta in mulieribus.* Luc. 1. 28. Sed quidnam? Erit obtenta furtim benedictio, ſi matris noſtræ manibus fuerimus ad petendam adducti benedictionem? Data enim Iacobo benedictio ideo furtim obtenta eſt, quòd à Rebecca matre fragrantibus matioris fratris veſtibus indutus, piloſiſque manicis maior ſimulatus, ad poſtulandam fuit benedictionem inductus. At certè, longè omnino eſt ab eo periculo petita à nobis benedictio. Nam benedicentis Iſaaci: *Caligauerant oculi:* Gen. 27. 1. benedicendus item filius Iacob fictis operimentis obſcuritatem affectauit: qui nunc benedicendus offertur filius, lumen ipſum eſt, quod nullius ſinat oculos falli; nedum decipiat ipſe benedicentem. Ideo quippe, quòd Simeon eum lumen agnoſceret, in eam prorupit vocem: *Viderunt oculi mei ſalutare tuum, lumen ad reuelationem gentium.* Luc. 2. 30. Nouit Simeon, quem benedicat. Non eſt hic deceptionis occaſio: qualis fuit in benedictione Iacobi. Illius enim, quæ vſurpata erat, non propria pellis, cœcum decepit patrem; vox non decepit; ſed propria Iacobi fuit cognita. Dixit namque Iſaac: Gen. 27. 22. *Vox quidem vox Iacob eſt; ſed manus, manus ſunt Eſau.* In hoc autem infante nec vox fallere poteſt, cum vox ipſa ipſum ſit lumen: *Deus erat verbum; erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem*: nec humana pellis, quoniam hæc quidem non piloſa eſt, ſed mollis cera. Eſt enim cereus pulchrum Chriſti ſymbolum: in quo diuinitas, quæ lumen eſt, vnita eſt humanitati, ſicut cereo lumen: tametſi in Chriſto, non in humanitate lux, ſed ſubſiſtit humanitas in luce. Illud non leuiter notandũ; ipſe Eſau, qui datam fratri benedictionem

Simeon benedicens oblato infanti, grandi ipſe benedictione repletur.

Benedictionibus replet ur quicunque Chriſto benedicit.

Maria adducit nos, filios ſuos ad accipiendam benedictionem à Patre, non ſicut Rebecca induxit Iacob.

Chriſtum diuinum lumen.

Lumen verum eſt Chriſtus.

Chriſtus cereus conſtãs cera, & igne, diuinitati humanitate coniuncta.

ægro,

ægro, & iniquo animo tulit, si eam confirmasset eidem fratri amicè benedicens; particeps quidem eiusdem fuisset benedictionis, iuxta id, quod dixerat minori filio *qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* Vellem, vt præsens concio plenam hanc benedictionum copiam haberet institutum. Harum prima nobis opus est, ad eandem concionem disertè ex parte mea, ex vestra salubriter adeundam. Qua cum replendi simus, si à diuina matre non dicam inducti, sicut Iacob, sed adducti fuerimus, sicut filius eius naturalis est ductus; adeamus eandem hilares matrem, Angelicis eam verbis inuocantes.

AVE MARIA.

Ænigma. COnsideranti mihi hodierna vos die mente illuminatos splendidissimis candelarum fulgoribus, quibus venientem in templum enixam Virginem comitamini, arridet, perdifficile proponere ænigma, cuius si nodum dissolueritis, hodiernum mysterium magna quidem ex parte apertum vobis æstimabo. Quanam arte formari potest homo instar laternæ vndique pellucidus, seu diaphanus, plenus intrinsecus pro visceribus igne, & igne extrinsecus circundatus; suauissimum ex se, absque vlla sui resolutione exhalans odorem. Nam si homo hic ex odorifera sit massa; nec diaphanus erit, nec consistens; sed ipsis breui flammis resoluetur. Sin ex massa sit vitrea, aut adamantina: fatebor diaphanum: at non item odoriferum. Veruntamen huiusmodi hominem, qualem describo, esse posse adeo certum est, vt à se perspectum describat Ezechielus. In tantum, vt præcelsa eius Prophetia in describenda hominis huius maiestate, & gloria versetur à primo ad Verbum extremum. *Aperti sũt cæli, & vidi visiones Dei.* Sic inchoat scripturã. Deinde descripta breuiter implicita quadã gloriæ Dei formula, magnificum gloriæ eius describit currum, vectum Cherubinis pro animalibus: imo animalibus, qui excelsi sunt Cherubini, vt vel ex vectoribus carucæ animalibus grandem eius, simulque gloriæ Dei grandem significet honorem.

Deus repræsentatus figura hominis ostensi Ezechieli.

Gloria Dei repræsentata in principio Prophetiæ Ezechielis.

Ezech. 1. 1.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

Tandem in primi capitis periodo depingens expresse magis Dominum ipsum, scribit quæ in textu verba sunt ista. *Super firmamentum, quod erat imminens capiti eorum* (animaliũ scilicet) *quasi aspectus lapidis Sapphiri similitudo throni: & super similitudinem throni similitudo quasi aspectus hominis desuper. Et vidi quasi speciem electri, velut aspectum ignis intrinsecus eius per circuitum. Velut aspectum arcus, cùm fuerit in nube in die pluuiæ.* Repræsentationem hanc certam Dei esse repræsentationem, intelligunt multi, non distinctæ alicuius personæ. Imo non deest, qui censeat sanctissimam hîc describi Trinitatem. Materia hominis, Deum repræsentantis, perhibetur electrina: quod in originali Hebræo intricatum, ac varium, difficile nomen Græca in translatione; varium, ac difficile in Latina. In Hebræo enim est *Chasmal*: cuius proprium significatum deductum est à Verbo Chasal, quod est deijcere, ac reprimere; eò quòd excedenti suo fulgore omnes deijciat, reprimátque oculos diuinus adspectus. Ipsum vero nomen tum electrum significat, tum Angelũ. Electrum verterunt, ante Vulgatum, Septuaginta; Angelum Rabbi Dauid. At Rabbi Salomon, Hebræus cum sit, Hebræi huius nominis significatum se ignorare fatetur. Quæ ignorantia in Kaldæum etiam incidisse videtur; qui nomen hoc minimè trãstulit; sed ita vt est in Hebræo originali scripsit *Chasmal*. Idem Vatablus; licet ipse Asmal, scribat. Quin etiam postquam nomine hoc electrum, significari concedimus; manet nihilominus adhuc definiendum, quid sit electrum hoc; cum tam Latinè, quàm Græcè significati sit multiplicis. Quidam, inter quos Hector Pintus, electri nomine intelligunt succinum, Castellana lingua *Ambar gris*, ex quo grana illa diaphana, aurique colorem referentia, quæ filo inserta circunducta collo gerunt fœminæ nonnullæ: quæq; nos vocamus *quentas de ambar*, *Alambre Lusitani*. Certum gũmi genus fluẽtis ex arbore, seu certè (vt alij volunt) genus bituminis è Germanici manantis scopulo, frigiditate nimia gelati, firmamque duritatem contrahentis. Est & aliud electrum, metalli genus: quod illud esse scribit Plinius, in quo quatuor auri, quinta pars est argenti. Suidas mistionem auri, vitri, & lapidis vocat electrum; cuius generis exhibet testem electrinam mensam, quæ est in Ecclesia S. Sophiæ: affir-

Ezech. 1. 26

Theodoretus in c. 1. Ezech.

Hebræa.

Vulgatus. Septuag. Rabbi Dauid. Rabbi Salomon. Kaldæus Vatablus ibid.

Hector Pintus in c. 1. Ezech.

Plinius lib. 33 c. 4. Suidas.

Electrum quid sit.

Electrum succinum.

Electrum metallicum.

mans pretiosius auro esse metallum. Sunt & carmina excellentiam electri sic commendantia.

Pallida sic niueo radiant electra metallo. Martialis.
Et niueum fœlix postula vincit ebur.

Deus repræsentatur figura quadã in se omnia continente.

Idem scripsit B. Hieron. à quo nec differt Theodoretus. In quo ego illud imprimis considero, talem esse Dei eminentiam, vt ea repræsentetur specie, quæ multæ simul sit res, & omnes prætiosissimæ, ac pulcherrimæ. Deinde speciem hanc adeo esse sublimem, vt nullo explicari queat nomine: siquidem originale illud Hebraïcum, ne ab ipsis quidem Hebræis intelligitur. Vnde nec sciuit transferre Kaldæus; nec posse perfectè verti Lyrani affirmat Glossa. Quod quidem maximè proprium diuinæ est maiestatis. Hier. in c. 1. Ezechielis. Theodoretus ibid. Lyra Ezechiel. 1.

Christus repræsentatus visione Ezechielis.

Arbitror nihilominus mirabilem hanc repræsentationem non tam esse Dei, vt in tribus personis subsistit; quàm filij eius Iesu Christi, vt in natura subsistit vtraque humana, atque diuina: aut saltem vtrumuis æquè intelligi posse: aut Deus scilicet Trinus; aut Christus Deus homo. Nec me sententiæ huius prædico autorem; quamuis illi, quos in ea reperio, diuersis moueantur incitamentis: ex quorum numero est intrinsecus, ac extrinsecus ignis; quo solo Christum interpretatur Vatablus, dicens intrinsecum hominis huius ignem diuinitatem esse Christi, humanitatem ignem, quo extrinsecus circũdatur. Mihi nullo non textus Verbo compertum videtur repræsentationem hãc propriam esse Christi, quatenus Deus, & homo est. Tria enim, quæ sedenti in throno hoc nomina applicantur in textu, congruè omnino in Christum conueniunt. Nempe homo, Angelus, electrũ. *Super similitudinem throni similitudo quasi aspectus hominis desuper.* Quis neget illum hominis aspectũ propriùs repræsentauisse eum, qui propriè homo erat futurus, quàm Deũ absolutè, qui non, nisi metaphora, repræsentari humana potest specie? Deinde nomẽ Angelus: *& vidi quasi speciem Chasmal*, quod significat Angelũ, iuxta relatam Rabbi Dauid interpretationem. Nusquam Angeli nomen tribuitur Deo, prout trinus est, nec tribui quidem potest. Quoniã, cùm Angelus sit idem, ac missus, Deus autem, vt est in tribus personis, nequaquã mitti possit: eum repræsentari Angelo minime potuisse, consequitur. Christo non est nouũ, vt vocetur Ange-

Ezechielis visio Christum repræsentauit.

Vatabl. in scholijs num. 60.

lus in scripturis, cùm sæpe vocetur missus. Quoniã à Patre missus est; sicut à Patre, simul & Filio missus sanctus Spiritus. Deniq; electri nomen, quod Angelo ipsi, simulque homini appellato apponit textus, lõgè proprius, quàm Dei, est Christi nomen quęnam proprior Christi significatio, quã res illa, quæ, & auro constat, & argento; quam electrum esse constituimus? Deus enim natura sua, humanitate non coniuncta, simplicissimus est: nec cõposita ex duabus naturis refigurari propriè potest, aut signari. Præsertim, cum electri autũ paruam argenti partem habeat adiunctã; quod mirificè reperitur in Christo, cuius & perfectione, & magnitudine exsuperat valdè humanitatẽ diuinitas. Qua item ratione repræsentatur electro illo, quod est succinum; in quo licet non sint aurum, & argentum; est tamen propria illius electri similitudo, in quo & aurum, & argentum est verum. Non parum conducit verbum textus extremum: *Velut aspectum arcus, cum fuerit in nube.* Est namque arcus proprium Christi symbolum: quod tale intelligunt Origenes, Ambros. Beda, Rupertus, illis præsertim Dei Verbis: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram.* Imo arcum hunc, de quo nunc agimus, ab Ezechiele scilicet perspectum, Dominum Christum interpretantur Gregor. & Hieron. Nec omittenda capitis recapitulatio, quæ sic habet: *Hic erat aspectus splendoris per gyrum*: quod legit Vatablus verbis istis: *Hic erat aspectus, & imago gloriæ Domini*: imago autem gloriæ solus est Dei Filius: *Splendor gloriæ, & figura substantiæ eius*; quæ Pauli sunt verba; sicut & illa, *qui est imago Dei inuisibilis.*

Christus electro repræsentatus.

Electrum symbolum Christi.

Christus triumphans de corona tus.

Iris est Christus.

Orig hom. 3. in psal. 36.
Beda in 9. c. Genes.
Ruper. li. 4. in Gen c. 36
Gen. 9. 13.
Greg hom. 8. in Ezech.
Hier. in c. 1. Ezech.
Ezech 1. 28
Vatablus.
ibid.
Coloss. 1. 15

Igitur admirabilis hic, speciosúsq; homo hac erat specie formatus. Corpus ex electro, viscera ignis fulgentissimus: seu corpus intrinsecus igne plenũ, igne item circundatũ de foris. Thronus eius ex prætiosissimo omnium lapide Sapphiro: Iris diadema eius, sicut & Ioannes in Apocal. testatur. Magnificentissimus hic candidissimæ nubis, carrucæ, rotarum, animalium, Cherubinorum apparatus in gloriam hominis huius tendebat omnis, tumultus etiam, lætantium voces, ac ouantium. Nunc perscrutandum est, sitne homo hic ipse, quem ænygma proposuimus: veramque solutionem indagabimus. Ecce hominẽ ex odorifera materia

Apoc. 10. 1.

compositum, quæ diaphana simul materia est. Habes namque electrum bonam vitri, vt diximus, partem: qua argento, auroque, vt dixi, vnita, tota electri massa diaphana est, omni pretiosa gemma candidior. Est nec non odorifera; nam electrum illud, quod succinum dixi, fragrans est simul, & diaphanum. Est autem materia, seu massa hominis huius electrum vtrumque, & succinum, & metallicum. Interior ignis diuinitas eius; quoniam *Dominus Deus ignis consumens est*, candidissimus quidē ac glorioſus. Ignis vero ille, qui extrinsecùs hominem circundat, dos est claritatis corporis Christi; nitidissimus tam in persona eius, quàm in operibus splendor. In quo est & aliud profundissimum maiestatis mysterium. Nomen Gloria Græcè claritas est; at non gloria cuiuscunque rei, cui adest claritas. Duo enim subiecta decorat lumen; & illud, cuius est, à quo scilicet tanquam à propria procedit origine; & illud, quod illuminat, ac illustrat. Est solis lux in sole ipso, & in florido mane montis cacumine: quorum vtrumque lucidum facit, ac coruscum. At quonam discrimine? Solem quidem decorat non aduenies à foris quidquamve ei præstans, aut adiiciens, cùm ab ipso potius sole dimanet; montem verò adiectis deaurat splendoribus. Qua etiam ratione facit fulgentes ea ipsa solis lux gemmas, margaritas, ipsasque cœli nobilissimas stellas. Hæc itaque, quæ vtriusque claritudo est, luminosi videlicet corporis, ac corporis quoque illuminati, non est quidem vtriusque corporis gloria; sed illius dumtaxat, à quo procedit, ac dimanat. Gloria enim iuxta propriam definitionem, traditam à Tullio, Ambrosio, Augustino, S. Thoma, *Est clara cum laude notitia.* Nimirum claritas illa, quæ ita reddit clarum subiectum, vt claritas in eo laudabilis sit, & admirabilis eò quòd ab ipso oriatur, non ei de foris adueniat. Est igitur Christo intrinsecùs fulgida, ac extrinsecùs claritas; quoniam profecto propria, ac naturalis eius claritas est, minimè adiecta, nec contracta. Adeo quidem intrinseca, vt cum transcendens, de foris appareat, & refulgeat. Et est claritas ignea: quoniam *Deus ignis consumens est.* Ex quo patet Christi Domini lucem propriam propriè eius gloriam esse: siquidem natura, non additione inest ei. Imo ipse *Erat lux*

Simile.

Deut. 4. 24. Heb. 12, 29.

Claritas oriens, & recepta.

Gloria claritas oriens; non recepta claritas.

Gloria est clara cum laude notitia.

Cicer. li. 1. Officiorū. Amb. in c. 11 epist. ad Rom. Aug. li. 5. de ciuit. c. 12. & li 8. qq. q. 31. S. Th. 1. 2. q. 2. art. 3. & in 2. 2. q. 132. art. 1.

Christus lucidus intrinsecus, & extrinsecus.

Christus natura non adiectione glorioſus.

Simile.

Ioan. 1. 9.

vera. Quæ, cùm ab internis foras vndique prodeat; corpus eius oportet esse diaphanum, omnibus pellucidius laternis. Oportet item (quod admirationem excedit Angelicam) esse & odoriferum electrum, propterea, quòd ipsamet Christi claritudo fragrantissimus odor perhibeatur in Scripturis: bonæ nimirum odor famæ, atque notitiæ. *Odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco:* ait Paulus. Ecce notitia gloria est; nempe hominis claritas, vt dixi; est & odor eius fragrantissimus. Decet ergo admirabilem Christi materiam, & diaphanam esse, & odoriferam. At quomodo odorifera, si pellucida? Quomodo si odorifera, diaphana? quomodo, si odorifera, non liquatur igne, vndecunque perfuso; quomodo non difringitur eodem igne, si diaphana; cùm non sola lux, sed ignis etiam ipse intus, & foris describatur? Hæc est Christi vnica eminentia. Hæc mirabilis eius compositio. Etenim electrum, cùm vitreum aliud, aliud sit odoriferum, vt statui, & voce *Chasmal*, electrum vtrumque dixerim designari; certè corpus Christi tale est, vt vtraque polleat perfectione, neutra neutram impediente. Quinetiam argento electrum constat, & auro; vt celsitudo eius ostendatur, & pretium. Tale denique est, vt omni constans perfectionis specie; omnes cuiuscunque speciei effectus in se mirabiles ostendat.

2. Cor. 2. 14.

Gloria Christi naturalis, non apposita.

Christus suauissima odoris fragrantia.

Odor suauissimo procedit à Christo.

Venit hodie enixa in templum Maria Quadragesimo post purificationem die, lege signato, natum ab ea Patri Deo offerendum offerens filium vtriusque & Dei Patris, & offerentis ipsius; accensumque cereum candidissimum, quem & nos eam secuti processione gerimus lustrali: Vter (rogo) horum hodierna oblatio est, cereusne, an infans Christus? Vos fortè dicetis, & Christus, & cereus. Bene: sed dico, cereum, & Christum non geminam quidem esse oblationem, sed eandem penitus vnam. Itaque Christus ipse cereus ipse est, qui hodie affertur offerendus. Est (inquã) Christus cereus accensus; homo nimirum, simili ceræ ex materia compositus, electrina scilicet; plenus igne intrinsecùs, & igne extrinsecus circundatus. Hominem hunc summa ab Ezechiele in gloria perspectum, electrinum totum, cùm sit nihilominus igne intrinsecùs plenus, circundatus igne similiter de foris, Patri offerimus hodie, in iugem tẽpli

Candelarũ festiuitas.

Oblatio Christi, quæ à matre virgine in tẽplo oblatus est Patri.

Christus cereus accensus Patri Deo alacriter oblatus.

Christus laterna plena lucido igne iugis in Ecclesia.

sui laternam, iugem cereum. Cœlesti quippe in templo Christus lucerna est, & nulla præterea ibi lucerna; lucerna Christus plena vndique lumine, quod Deus ipse est, dicente Ioanne. *Ciuitas non eget sole, neque luna, vt luceant in ea: nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius est agnus.* Apoc. 21. 22. Cum ergo Christus lucerna sit, plena diuino lumine, quod est fulgens ipsa diuinitas eius; Oportet quidem confiteri, eum esse lucernam instar cerei, instar diaphanæ laternæ. At enim vtrumque eum esse fatemur; cum omni cuiusuis lucernæ polleat perfectione. Dei igitur Filium afferimus hodie processione illustrissima: cuius oblatione & cereum ei, & candentem offerimus laternam. Grandis quidem oblatio; sed & dignus tanta oblatione apparatus. Ille enim antiquus, quem magnificentissimum vidit Ezechiel, ab hodierno exceditur tantùm, quantùm homo verus, quem offerimus hodie, excedit eum, quem Propheta ille repræsentantem demonstrauit. Tantùm videlicet quantùm homo viuus, viuus Deus, figuratiuum Dei hominis hominem, ex igne, ac electro simulatum. Erat siquidem apparatus ille magna quædam carruca elegantissima, exquisitis rotis, *Quasi sit rota in medio rotæ*, vecta animalibus quatuor, quæ simul erant Cherubini, & *Similitudo hominis in eis. Quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni. Similitudo autem vultus eorum facies hominis, & facies leonis, facies bouis, & facies aquilæ. Vbi erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur. Cum ambularent, quasi sonus erat multitudinis, vt sonus castrorum. Hæc visio gloriæ Domini.* Ezech. 1. 16. Ezech. 1. 5. At, quidnam est totus hic apparatus, tumultusque grandisonus hodiernæ collatus processioni? quidnam fuit carruca illa, hodiernæ carrucæ comparata? Est hodie Domino carruca Virgo diuina, mater eius; quæ glorioſiorem portat glorioſior, quàm currus ille ferebat eum. Quid vectantia currum animalia, etiam, cùm Seraphini sint, collata his, quæ dicunt diuinam hanc currucam, Ioſephus ſponſus. Pater Ioachin, mater Anna, Gabriel Angelus; qui cùm concipiendi fuiſſet nuntius infantis; fuit offerendum comitatus. Quid Sapphirus ille, qui Christi thronus designatur, cum puriſſima hac, candidiſſimaque virgine, ipſius Domini parente? Quid rumor ille, quid tumultus, quid ſtrepitus cum hodierna admiratione omnium, deuo-

Purificationis die processio fit sùmo apparatu.

Maria enixa ducente in templum filium Patri offerendum summus est processionis apparatus.

Oblationis Christi die eximij fuit apparatus processio.

tione, silentio, pietate, lacrymis, affectu? Quid Spiritus impetus cum Spiritu hoc, quo fertur Maria, Filium Patri ferens præsentandum? Quid cum processione hac commotio illa, qua Magnus Alexander in superbam fuit Babylonem exceptus? Magnificentissimum illius apparatum multis narrat Curtius; ex quibus pauca ego. *Totum iter floribus, coronisque constrauerant, argenteis altaribus ab vtroq; latere dispositis; quæ non thure modo sed omnibus odoribus cumulauerat. Eum dona sequebantur, greges pecorum, equorumque: leones quoque, & pardales caueis præferebantur. Magi deinde suo more patrium carmen canentes. Post hos Kaldæi non vates modo, sed etiam artifices cum fidibus sui generis ibant: laudes ij Regum canere soliti. Rex armatis stipatus, cum curru vrbem, ac deinde Regiam intrauit.* quid currus hic cum diuina carruca, in qua Dei hodie ingreditur templum diuinus Rex, Rex Alexandri? Quid templum illud Babylonicum, cum Dei templo? quid greges illi, quid leones, cum columba, aut turturibus, quos hodie cum filio affert puerpera, *Par turturum, aut duos pullos columbarum*? Quid opulenta illa auri, argentique copia, cum matris, ac filij paupertate, quæ infinitæ opulentia fuit gloriæ? quid viarum flores, cum purissimis liliis, quæ diuina Virgo, tangens pedibus terram, facit erumpere amœnissima? Quid odoramentorum fragrantia cum suauitate odoris, à Virgineo exhalati corde Mariæ? Quantò maior suauitas hæc Babylonica illa suauitate? Præsertim cùm cereus hic, diuino accensus igne, succino Deum mulceat odore. Est electrinus homo; est homo succineus; qui idem accensus cereus est: qualis non erit fragrantia eius, ac suauitas? quid, quod cereus hic, quòd aliàs electro designetur, etiam quatenus cereus, diuina redolet fragrantia? Sultanus olim Ægypti tyrannus solebat cereis immiscere ambram; voluptati simul, ac valetudini consulens: scribit Conradus Gesnerus. Quid dicemus de diuino cereo, qui hodie offertur Patri Deo in odorem suauitatis? Fragrat quidem suauissimo supra ambarum odore, cùm ex floribus cera conficiatur ex purissimis Virginei vteri floribus? Odor quidem est, & voluptati proficuus, & saluti. Saluti hominum, tali ad Deum odore allectorum; ipsius Dei Patris voluptati. Nam si offe-

Quintus Curt. li. 5.

Alexander Magnus quanto in Babylonem apparatu exceptus.

Luc. 2. 24.

Odor diuinus in suauissima Christi præsentatione.

Conradus Gesnerus lib. 4. de aquatil. ca. de cete ambari.

Simile.

rente

rente animantia munda Noeto, *Odoratus est Dominus odorem suauitatis:* quanta affectus hodie suauitate censebitur, dum fragrantissimus hic cereus, electrina lucerna, Virginis Filius, Filiusque Dei ipsius naturalis eidem Patri in templo præsentatur? Quantam Patris dicemus hilaritatem; si tanta Simeon lætitia, tanto gaudio, tanta exultatione hilaresçit? Gen. 8.21.

Ingressa templum Dei Beatissima Virgine latum manibus eius Dei Filium accepit suis venerabilis Simeon, *Homo iustus, & timoratus expectans consolationem Israel; nam & Spiritus Sanctus erat in eo. Et responsum acceperat ab Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Et ipse accepit eum in vlnas suas; & benedixit Deum, & dixit. Nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace; quia viderunt oculi mei salutare tuum. Lumen ad reuelationem gentium; & gloriam plebis tuæ Israel.* Luc. 2. 25.

Christus gloria Israelitici populi.

Cur infans hic gentilibus lumen, patriæ gloria suæ? Ecce quod inter duo claritatis subiecta discrimen proposuimus. Claritas nempe gloria est subiecti illius, cuius est propria; ex quo nascitur, & manat: subiecti autem, quod illuminat, minimè gloria est, sed illustratio. Quod eò quidem vsque procedit, vt & gloria sit propriorum parentum glorioſus quisque filius, propterea quòd ab ipsis processerit parentibus: sicut & parentes conuersa consequentia, gloria sunt Filij. Prouerbium est; *Corona senum, Filij Filiorum: & gloria filiorum parentes eorum.* In tantum, vt & propriæ patriæ gloria sit glorioſus quisque vir, fœminaque glorioſa: eò quòd ab ea prodierit Patria. Sic, quoniam Hebræa ex patria erat Iudith, concinebat illi populus totus, *Tu gloria Ierusalem; tu lætitia Israel: tu honorificentia populi nostri.* Dicit igitur ad infantem nostrum senex Simeon: Tu quidem lumen; sed tale quidem, vt patriæ tuæ gloria sis; gentibus cunctis illuminatio, qua aperient oculos, ad agnoscendum tecum, & cum Sancto Spiritu æternum Patrem tuum. Tu quidem electrinus homo, igne plenus, ac lumine; plenus interius, & exterius, vt & patriæ gloria, & sis populis cunctis illustratio. Tu accensus diuina cereus luce; luce ad reuelationem gentium, qua viam Dei intueantur, & seruent.

Christus lumen gentium.

Gloriosi homines gloria sunt filiorũ.

Prou. 17.6.

Parẽtes gloriosi filijs sũt gloria.

Iudith. 15. 10.

Patria sua sunt gloria homines gloriosi.

Luc.2.28. Hæc dicens plenus Spiritu Simeon, *Benedixit Deum*; deinde conuersus ad infantem, & parentem, omnesque circunstantes, *Benedixit illis*. Est tam propria præsentationis huius benedictio, vt & in antiqua illa, quam retulimus, repræsentatione gloriæ Domini plenissima fuerit benedictio, eò quòd hodiernæ solemnitatis extiterit symbolum. Narrata enim repræsentatione, quam dixit, addit ipse Pro-

Benedictio Dei Christo largissime impensa.

Ezech.3.12. pheta, *Audiui post me vocem commotionis magnæ: benedicta gloria Domini de loco Sancto suo*. Tu puer, qui gloria Dei es, sis

Oblationes iusta Deo facta, plena sunt benedictionibus.

3.Reg 8.13. in æternum benedictus. Benedictus de loco Sancto tuo, de tuo templo, quod Salomon tibi fabrefecit, vt expressis ipse fassus est verbis. Quam quidem Dei benedictionem in omni iusta oblatione esse indeficientem, ex ipsis constat locis vniuersis, in quibus huiusmodi oblationes describuntur.

Oblationes Deo exhibitæ benedicuntur ab eo.

Gen.8.21. Sufficiat nunc Noëtica illa: *Odorat usque est Dominus odorem suauitatis, & ait, nequaquam vltra maledicam terræ propter homines. Benedixitque Deus Noë, & Filijs eius: & dixit ad eos:*

Gen.9.1. *crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Quanto copiosior æstimabitur hodierna benedictio, non à solo sene, sed à Patre Deo largius immissa in Filium, & Virginem enixam? Nequaquam (ait Deus) maledicam vltra terram, cuius talia mihi germina offeruntur. Hinc iam propter vos faciam, ne terram maledictione vnquam percutiam. Crescite, & multiplicamini, multiplicamini, & replete, non dico terras, vt Noëto, sed superos replete cœlos. Cœlos quidem replebitis splendidissimo hoc lumine, quo accensus mihi cereus offertur, laterna electrina, homo luce plenus, ac circundatus. Cœlos (inquam) replebitis, quatenus luce hac illuminati Filij hominum ingredientur viam cœli, cœlumque ipsum ingredientur. Est enim lumen ad reuelationem gentium, & salutem.

Benedictio Dei descendit super homines, qui se ei offerunt, & tradunt.

Vos auditores fortè dubitatis, vtri plebi detur benedictio? Plebine illi, cuius gloria Christus; an illi plebi, quæ ab eo est illuminata? Prudens sanè scrutinium. Sed resolutio certa est; illi quidem populo, homini item illi; benedictionem impendi, qui oblato Christo benedicit: tetram maledictionem ei, qui tanto Domino benedicere recusat. Hæc fuit prima concionis ex verbis Isaac proposita vobis

Benedicētes Deum benedicuntur ab eo.

Gen 27.29. constitutio. *Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus: & qui be-*

nedixerit tibi benedictionibus repleatur. Quod vt absque dubio nouerint vniuersi: induxit Deus super ipsam plebem suam, suam maledictionem, etiam cùm gloria talis plebis sit, quòd secundum carnem, eam habeat patriam; imo multis eam semper maledictionibus percutit, eò quòd eidem Domino benedicere, paucis iustis exceptis, recusauerit Estque translata ad gentes benedictio; ad populos illos, qui, cum essent gentiles, benedixerunt alacriter Christo, quique hodie ouantes benedicunt; populos scilicet Christianos, quos Christus ipse, verum lumen, illuminat, Simeonis adimplens Prophetiam; *Lumen ad reuelationem gentium.* Est verumtamen sciendum, veram hanc, plenamque benedictionem non solis integrari verbis, quibus dicitur, benedico tibi, seu te benedico; sed operibus etiam ac muneribus. Satis quidem constat ex celeberrima illa benedictione Iacobi, à principio concionis proposita. Dari siquidem ei benedictionem, fuit dari substantiam, hæreditatem, bonorum cumulum, prælationem, maioratum. Alioqui nec tam ægre tulisset Esau, quòd minori fratri data fuisset benedictio, cum & ei dari posset illa, quæ solis impenditur verbis; nec dixisset Pater, minorum filium benedictione illa primarium domus hæredem constitutum. Sed & ipsamet benedictionis verba rem aperte commendant. *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini. Et seruiant tibi populi, & adorent te tribus: esto Dominus fratrum tuorum.* Itaque ille verè Deo, ac consumate benedicit, qui rebus eum præfert vniuersis, omnes propter eum facile relinquens; nullam ei præponens, nullam comparans. qui intimo totius cordis affectu dicit indesinenter, seruiant tibi, ô Domine! populi omnes; omnes te gentes, omnes animæ, Regiones omnes, omnes te adorent potestates. Seruiant tibi omnes; tuoque semper inhient obsequio, nulla alia cura, nulla cogitatione, nullo studio, præter ardentem hunc affectum, alecti, nec distracti. Qui sua omnia ei offert, & tradit, opes, substantiam, possessiones, tum in pauperum victum, tum in diuinum Domini ipsius cultum, & honorem, ipsum imprimis cor, animam, viscera, labores; nihilque sibi ipsi non Deo traditum reseruat. Hic quidem verè benedicit Deo, & Christo eius; alia

Christianus populus à Deo benedictus.

Benedictio non solis verbis, sed operibus etiam integratur.

Gen. 27. 28.

Operibus diuino obsequij debemus Deo, non verbis solis benedicere.

quæuis data verbo tenus benedictio, minuta quidem benedictio est. Et quoniam, qui infanti huic sic benedicit, benedictionibus repletur, & ipse; facile quidem apparet nequaquam ei benedicere hominem illum, qui solis verbis benedicit, cùm huiusmodi homini illa Dei deficiat, quam optat ipse benedictio. Alioquin, dicito tu mihi, auditor optime, erisne contentus Dei benedictione solis completa verbis, nullis muneribus adiectis? Vescerisne verbis benedictis, ad tui sustentationem, & vitam? Si ergo minimè vocares benedictionem, si solis tibi verbis promeretur, nec ea quidem contentus esses; debes consequenter confiteri, nequaquam satisfacere te debitæ Deo benedictioni, si solis verbis, non item operibus insistas. Quid plura? tam longè est à placita Deo benedictione quæcumque absque debito præstatur obsequio; vt homo quicumque ab eo deficiens, non solum Dei benedictione priuetur, sed horrendis potius maledictionibus feriatur. *Si audire nolueris vocem Domini Dei tui, vt custodias, & facias omnia mandata eius: venient super te omnes maledictiones istæ.* Deut. 28. 15. Non propterea venire maledictiones ait Dominus, quòd debitæ ei benedictioni omittat homo verbis satisfacere; sed quòd diuinis nolit obedire mandatis; quorum vnum est, vt eum cernuus benedicat, *Venient* (ait) *super te omnes maledictiones istæ; & apprehendent te. Maledictus eris in ciuitate; maledictus in agro. Maledictum horreum tuum; & maledictæ reliquiæ tuæ. Maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, armenta boum tuarum & greges ouium tuarum. Maledictus eris ingrediens; & maledictus egrediens. Mittet super te Dominus famem, & esuriem, & increpationem in omni opera tua, quæ tu facis; donec conterat te, & perdat velociter propter adinuentiones pessimas, in quibus reliquisti me. Adiungat tibi Dominus pestilentiam, donec consumat te. Percutiat te Dominus egestate, febri, & frigore, ardore, & æstu, & aëre corrupto, ac rubigine; & persequatur, donec pereas. Si cælũ, quod supra te est, æneum; & terra, quam calcas, ferrea.* Sic prosequitur textus vsque ad nonam super centũ maledictiones grauiores semper; ex quibus decem tãtum sunt hę, quas numeraui. Quis non timeat Dei præceptis, imo vni deficere præcepto? Quis nõ metuat? Quis nõ paueat? Quis non contremat? Non terreatur? Non formidet? Eò vel maximè, quòd male-

Peccatores maledictionibus multis confunduntur.

Præcepta Domini quisquis seruare omiserit, multis maledictionibus percutitur.

Maledictiones in trãsgressores mandatorũ.

dicta hæc coërceri non possint, etiam si offensi Domini pietati impœnitens nitaris, dicens, pius est, non patietur pium eius cor tam horrendis me ab eo maledictionibus confundi. Scire enim te volo, maledictiones has non à Deo ipso in quempiam induci: sed ipsæmet à nemine inductæ veniunt super impium. Verba Dei perpende: *Venient super te omnes maledictiones istæ.* Ipsæmet vltro venient, à nemine missæ. Imo nulla vnquam à Deo immissa legitur vspiam maledictio. Sic assiduus ille scripturarum scrutator exprorauit Hieronymus. Ait Doctor hic in 3. caput epistolæ ad Galatas: *Audaci pede ad hoc procedo certamen, vt ad libros prouocem, nullo loco scriptura à Deo quemquam maledictum. Et vbicumque maledictio ponitur; nunquam Dei nomen adiunctum.* Ex quo duo hæc directè eliciuntur. Alterum tam intolerabilem esse inobedientiæ huius deformitatem, vt maledictiones ipsæ à nemine inductæ veniant super eum, qui debitæ deficit obedientiæ creatoris. Tanta est iniquitatis huius abominatio. Alterum est, inanem esse fiduciam illam, qua quis in transgressione persistens, putat, tam rigidas maledictiones minimè complendas, eò quòd Dei cor tempore executionis emolliendum sit, ne tam alienis à sua indole vtatur maledictis. Quandoquidem earum autor non est Deus, sicut nec mortis autor; sed ipsæmet ingruunt maledictiones, naturali ipso iure concitatæ.

Maledictio nulla vnquam à Deo immissa, sed ipsamet veniunt maledictiones.

Hieron in cap. 3. epist. ad Galat.

Fiducia obstinatorum inanis.

Quas Deus dat cumulatissimæ sunt benedictiones. Imo quod primum fecit erga hominem, larga fuit benedictio. *Masculum, & fœminam creauit eos; benedixitq; illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Gen 1.27. In renouatione item mundi, continuo ex arca egressis, *Benedixit Dominus Noë, & filijs eius.* Gen. 9 1. Prouerbium est: *Benedictio Domini super caput iusti.* Prou. 10. 6. Quis non benedicat, quis non obsequatur, quis non pareat, quis non seruiat tam bono, tam pio, tam suaui Domino, qui cum in neminem, quantumcunque iniurium, maledictionem immittat, benedicit plenissimè omnes illos, qui iustissimis eius obtemperant mandatis? Nec plures sunt, quæ super impium ruunt maledictiones, quàm cœlestes illæ, quas super iustos Deus benedictiones immittit. Partim referemus, sed quoniam proprius concionis sunt terminus: dicemus prius debitam, ad eas accipiendas pre-

Benedictionibus multis cumulat iustos Dominus Deus

parationem. Hæc autem in vera purificatione consistit, quæ hodiernæ solemnitatis est titularis. Est (inquam) dies Purificationis B. Virginis, quæ omnino pura venit in templum: sicque plenissima benedictione recipitur.

Oblatio Deo faciēda purificationem prærequirit.

Quæ igitur hodierna festiuitate celebrantur, duo illa sunt; oblatio suauissimi infantis, & offerentis matris Purificatio. Erat enim antiquo Mosaycæ legis instituto mandata infantium oblatio, quos in templum ab enixis offerri Deo, rationi fuit semper consentaneum. Quòd si ab enixis erant offerendi; eadem quidem suggerit ratio, vt offerentes matres, purificatæ iam à sordibus accederent; cùm indecens sit, aut donum Deo oblatum, aut offerentem, non omnino purum præsentari. Et quoniam huiusmodi enixarum Purificatio paucioribus quadraginta diebus, cùm masculus est natus, non completur: ideo lege illa quadragesimus, ad præsentationem, dies erat designatus. Quam vt purissima Virgo impleret legem, *Postquam impleti sunt dies purgationis eius secundum legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini.* Non quòd in Virgine purissima sordidæ vllæ partus fuerint reliquiæ; sed quòd implendæ legis præbere voluit ante omnes exemplum. Quod cum Doctoribus cunctis perpendendum admonuit Augustinus. Ideo enim Chronographus data opera dicit, *secundum legem Moysi*, vt apertè significet, non quidem enixæ necessitate, sed pia implendæ legis, ad aliarum exemplum voluntate, communem Purificationis ordinem seruatum. Eò vel maximè, quòd Euangelica hæc Mosaycæ legis commemoratio ideo facta est, vt iuxta illius legis tenorem, purificationem factam perpendamus. Sunt enim legis illius verba hæc: *Mulier si susceptο semine peperit masculum: immunda erit septem diebus. Cumque expleti fuerint dies purgationis suæ, deferet agnum anniculum*, &c. Cur dicit legislator. *Si susceptο semine?* Nullum quidem est superuacaneum in scripturis Verbum; apex nullus. Sciebat ergo diuinus legifer, aliquam futuram fuisse mulierem, quæ nullo susceptο semine esset paritura. Alioqui, redundans esset conditio illa, si semine susceptο. Quod impensè notandum animaduerterunt Patres; inter quos latius Bernardus, & Angelicus Thomas.

Purificatio precedere debet oblationem.

Purificatio B. Virginis non necessitate, sed pietate, ad exēplum facta est obedientiæ.

Luc. 2. 22.

Aug. li. qq. in Leuit. q. 40. tom. 4.

Leuit. 12. 2.

Bernar. ser. 3. de Purificatione.

S. Tho. 3. p. q. 28 art. 2. ad 1. & q. 37 art. 3. ad 1. & 1. 2. q. 102 art. 3. ad 4.

Maria Virginis nulla ex partu impuræ reliquiæ.

Quænam esse reliquiæ potuerunt partus illius, cuius fœtus fuit electricus homo, intus, deforisque repletus igne, atque circundatus? Ignis enim purificans est; tantum abest, vt impuræ ex eo maneãt reliquiæ. Quodquidem expressum erat à Malachia vaticinium verbis istis: *Statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis: & Angelus testamenti, quem vos vultis. Ipse enim quasi ignis conflans, sedebit conflans, & emundans argentum; & purgabit filios Leui, & colabit eos, quasi aurum, & quasi argentum: & erunt Domino offerentes sacrificium in iustitia.* Qui ergo diuinus ignis ad purificandos homines venit in templum; possetne eam, ex qua prodijt, parentem sordibus inficere, vt ex illo in ea remanerent? Qui venit purificaturus homines illos, qui placitum Deo in iustitia offerrent sacrificium; deberetne ita matrem afficere, vt sacrificium in iustitia offerre non posset, nisi expectatis quadraginta Purificationis diebus propter impuritatem ab igneo ipso homine relictam? Malach. 3 1.

Quid, quòd oblatus puer cereus ipse est, quem hodie (vt dixi) offert genitrix eius? Quisnam est cereus hic? Dixi iam semel: sed dico iterum verbis Anselmi: *Neque Virgo, quæ de S. Spiritu concipere digna fuit, neque filius eius, quem ipsa genuit, purgatione indiguit; sed in eorum purgatione nostram purgationem Deus præparauit. Consuetudo enim Christianis est hodie cum cereis accensis accedere ad hãc festiuitatem. Cereus enim Christum significat. In cereo siquidem accenso tria reperiuntur: cera, mixus, & flamma. Flamma significat diuinitatem, cera carnem, mixus animam.* Ignis autem, & ceræ quænam reliquiæ esse possunt? Ignis iam dixi: cerei nullæ, præter mel purissimum, reliquiæ. Dum enim cera in alueari laboratur, fauus est, melle plenus. Cum ergo Christus cereus sit; quas in alueari, vtero scilicet, potuit, præter mel, reliquias sui permisisse. Est quidem Christus dulcissimus fauus. Nam si cordis aure perceptum, oreve Prophetarum pronuntiatum Dei verbum est fauus, dicente Rege vate; *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo;* quantò dulciorem dicemus fauum Verbum ipsum Dei in seipso, provt est consubstantiale Patri Deo? Omnia profectò in eum concurrunt, quæ faui sunt propria. Apis pudica est, morsibúsq; impudicas persequens fœminas, vt Plutarchus scribit & Anselmus in explanatione huius Euangelij tom. 1. in fine. Psal. 118. 103. Plutar. in cõiugalib. præceptis.

Similè.

Purificatio B Virginis talis fuit, vt non sordes ex partu, sed mel duntaxat essent reliquiæ.

Mel purissimum fuit reliquiæ omnes partus Mariæ.

Maria mellissua.

Pierius. Quid proprius Virgini parenti? Fit in occultissimo fauus alueari, cuius labor nullius vnquam oculis patuit: quid est Virgineus vterus fœtę, nisi faui alueare? Interroganti Angelum Virgini, quonammodo persistens Virgo, fœtari posset, fœtumque parere conceptum, respondit ille: *Spiritus sanctus superueniet in te; & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Vndenam necessaria, ad fœturam obumbratio? Inde profectò, quod in clauso vtero, tanquam occulto in alueari instar faui esset gignendus mirabilis hic Dei, & Virginis filius. Fit ex floribus fauus, cœlesti perfusis rore: nonne & similiter genitus in ventre Virginis Dei Filius? Quid in canticis dicit Virgo ipsa? *Dilectus meus mihi, & ego illi; qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.* Nempe donec aspiret ei dies, dies ille, quo in lucem egrediatur ex vtero; pascitur nunc in vtero meo inter amœnissima mearum lilia virtutum. Ibi quidem gignitur ex cœli rore, qui est Dei Verbum, de quo Deus ipse. *Fluat vt ros eloquium meum, & caro ex flore meo, ex meo ventre mirabiliter sumpta.* Cum ergo fauus sit infans hic suauissimus, fauus hodie Patri præsentatus: quænam in ventre enixæ reliquiæ eius manere potuerunt? Dicat sponsus ipse: *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis.* Tritici aceruus Christus est: vallum, quo in vtero circundatur ex matris, floribus est totum: quas ergo, nisi flores, reliquias eius prædicabimus? Sanè reliquiæ omnes, à quibus per dies quadraginta purificantur enixę, illę quidem sunt, quę fœtum in vtero circundabant. Ergo si Virgineo Marię in ventre lilia circundabant infantem; lilia quidem erunt eius reliquię; tantum abest, vt sordes. Nec flores Soli, sed purissimum etiam mel, atque dulcissimum. Quęnam in alueari post eductum fauum, manent reliquię? Nonne guttę mellis; sordes nullę? Ergo quę in Virgineo superfuere reliquię, mellis quidem guttę, non sordes vllæ censeri debent.

Nec contemnendum huius rei argumentum est, quòd à natali infantis die accinat hilaris Ecclesia. *Hodie per vniuersum mundum mell fluxi facti sunt cœli.* Sunt profectò melliflui iuxta Ioëlis prophetiam: *In die illa stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte.* Montes fortissimi Mariæ, venter, & cor dulcedinem stillabunt: & colles, nempe vbera eius sapidissimo

fer. lib. 16 Verbo apis §. castitas.

Luc. 1. 35.

Cant. 2. 16.

Deut. 32. 2.

Cant. 7. 2

Ioel 3 18.

Christus fauus.

Fauus symbolum Christi.

Lilia circundabant Christum in Virginis vtero.

Maria reliquia post partum lilia.

sapidissimo fluent lacte, ad diuini infantis nutritionem. In die (ait) illa; die videlicet natali. Sed nunquid in illa tantum die? Imo in illis iugiter diebus. Non omisit id scribere Sanctus Spiritus; qui ore Amos dixerat. *Ecce dies venient stillabunt montes dulcedinem.* Quinam dies: nisi quadraginta isti, qui à die partus vsque ad extremum Purificationis diem processerunt? Tunc per vniuersum mundum melliflui facti sunt cœli, sicut & melliflua Maria. Quoniam, quod ab illis exijt Dei Verbum ab eadem Virgine caro factum dulciter exiuit. Amos 9.13.

Maria in reparatione confertur diluuio in deuastatione.

Fœliciſſima mundo mellis affluentia. Ad vniuersale terræ totius exterminium, *Factum est diluuium quadraginta diebus super terram*: quidnam præsagiuit suauissima hæc diuini mellis pluuia, à lilijs Mariæ per quadraginta veniens dies? Gen. 7 17.

Diluuium mellis per quadraginta dies fluës à Maria.

Nonne faustissimum præsagium reformandæ fuit terræ, diuinisque lilijs decorandæ; vt amœnissimus fieret Paradisus?

Epilogus.

Quemnam tu, pie auditor, offers Deo, dum te illi offers: nisi fragrantissimum Paradisum; si superna hac purificantis gratiæ pluuia, cordáque fœcundantis irroraris? Te Deo integrum offerri, omnino oportet; & ad offerendum, emundari. Ardenti, ad vtrumque opus est igne: & ad purificandum, & ad offerendum: vt te Dei amore ignitum offeras. Filius enim eius in templo ei præsentatus, ignitus vndique, seu igneus potius offertur ei; at simul electrinus; vt sit illi odor suauitatis. Hoc vtique est, quod debes exemplar imitari; hæc tuæ accepta formula oblationis. Si candidum hodie geris cereum manu; memento (quæso) quemnam repræsentet cereus hic tuus, Dei Filium. Ardet cereus tuus: cor tuum ardeat. Fragrat ille suauiter ambari mistione: sit odor (quæso) animæ tuæ multis iucundissimus virtutibus. Offer te purum, floridum, ardentem; sed offer te purissimis ductum Virginis manibus; quæ te Deo nunc terrestri offerant in templo, vt eis te repleat benedictionibus, quibus oblatos ei homines, custodésque replet præceptorum. *Si autem audieris vocem Domini Dei tui, vt facias, atque custodias omnia mandata eius: Faciet te Dominus Deus excelsiorem cunctis gentibus, quæ versantur in terra. Venientq; super te vniuersæ benedictiones istæ. Benedictus tu in ciuitate, & benedictus* Deut. 28. 1.

in agro. Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ: fructúsque iumentorum tuorum, & caulæ ouium tuarum. Benedicta horrea tua; & benedictæ reliquiæ tuæ. Benedictus eris tu ingrediens, & egrediens. Immittet Dominus benedictionem super cellaria tua: & super omnia opera manuum tuarum. Aperiet Dominus thesaurum suum optimum: vt tribuat pluuiam terræ tuæ in tempore suo: non solum terræ, sed etiam *Benedictionem dabit legislator*, qua benedictus *eas de virtute in virtutem*, vsque ad cœleste templum illud, in quo *videbitur Deus Deorum in Sion*, æterna beatitudine.

IN ASSVMPTIONE B. VIRGINIS MARIÆ.

SERMO I.

De fœliciſſimo B. V. Deiparæ tranſitu.

Intrauit Ieſus in quoddam Caſtellum, &c. Luc. 10. 38.

QVANDO ſupremi cœli arctos ſe ad tam eximiam agnoſcunt amplitudinem, qualis eſt hodierna infauſtiſſimo Reginę Virginis interitu, ſéque ipſos extendere nituntur, ad tantam gloriam celebrandam: quando cœleſtes Angeli anguſta inueniunt elementa, ſtrictos cœlos, ad curſitandum, prę tanti ouantes feſti hilaritate: quando abſtruſi in radicibus flores, clauſuræ impatientes, ſpatioſúmque locum, quo ſuauiſſimum ſpargant odorem, virorémque oſtentent, quæritantes, in auras è latebris erumpunt: quando glorioſiſſima ipſa Dei genitrix ab infima terra ad ſuprema peruolat faſtigia: tunc ſancta Eccleſia, mater noſtra, in ſtricto nos recludit caſtello, recludit & ipſam Dei parentem, dum in feſto hoc nihil præterea canit, quàm propoſita hæc verba: *Intrauit Ieſus in quoddam Caſtellum.* Quid hoc? Quod myſterium? Quæ Eccleſiæ mens? Quę clauſuræ vtilitas? Dicam, quod hac in parte vtcũque aſſequor. In feſtiuiſſimis, grandiſque apparatus proceſsionibus omnia quidem lucent, ac reſplendent aperto ſole. Vexilla, cruces, rami, carpenta, laticula, ſeu fer-

Simile.

cula, choreæ, currus, baldachinum, & imagines, cæteráque id genus ornamenta, ad pompam, & amplitudinem spectantia; eoque magis eluceſcunt, quo apertior eſt Sol, atque candidior. Duo illa video ſplendore Solis proprio minui ſplendore: cereos, tantum, & homines; opacâ vtroſque vmbrâ lucere. Cerei enim lux coram Sole non lucet; quo etiam homines laſſantur, gradúmque accelerant, æſtu fatigati. Ideo auidi vmbræ, iuxta parietes incedunt: Vbi etiam cereorum *Lux in tenebris lucet.* Eſt celeberrima in terra, & in cœlis hodierna Aſſumptæ Virginis proceſſio, quà à facie terræ ad empyrei cœli culmen transfertur magnificentiſſimo vtrinque faſtu, alacrique iubilatione; qualis nulla vnquam; adeo vt compar ſit illi, quæ aſcendente filio coruſcauit. Sol nitidiſſimus refulget, nimio plus, pluſque ſolito: cuius candidiſſimo fulgore omnia, quæ multa ſunt, & ea quidem grandia, miris collucent ſplendoribus, ipſiq; inter ea ouantes deambulant Angeli. Eſt nihilominus nonnihil vmbræ, vmbræ mortis, mortis glorioſiſſimæ Deiparæ. Mortem enim vmbram vocat Iob quinque libri capitibus, quatuor pſalmis Dauid 9. cap. Iſaias, 3. Ieremias ſupra decimum, dicens: *Expectabitis lucem; & ponet eam in vmbram mortis.* Hæc propter, dum triumphans Eccleſia, vt quæ aperto non offenditur Sole, hodierna proceſſione per medios Solis radios graditur lætabunda; vmbratile Eccleſia militans ſe in caſtellum recipit: cuius ſaltem à foris protegitur vmbra, ad eius parietes accedens, cùm intus ſint Maria, & Marta. Reſeruetur ergo in ſequentem diem intenta eorum, quæ in proceſſione hac reſplendent, obſeruatio, atque fruitio, vt vmbra hac hodie protegamur, vmbra mortis Mariæ, & caſtelli vmbra: cùm prior ſit mors, quàm glorioſa, ad ſuperos tranſlatio. Idcirco ante omnia accendendi ſunt cerei: qui, funebres licèt, depicti ſunt tamen lætis emblematibus, puriſſimo intermiſtis auro, quales mortem decent glorioſiſſimam. Sed quonam lumine accendentur? Vtique diuinæ gratiæ lumine; cuius cùm miniſtra fuerit in vita, erit & in obitu ipſa nobis Maria. Sed quid ſi expirauit? Sunt quidem multæ in terra poteſtates, quæ expirante expirant perſona. Nunquid accendendi in nobis gratiæ lucem expirauit poteſtas in Ma-

Mors eſt vmbra.

Vmbra mortem deſignat.

Iob 3. 5. 10. 22 12. 22 24 17 28 3 Pſalm. 22 4 43. 20. 87 7. 106. 10. Iſa 9 2. Iere. 13. 16.

ria, cùm Deipara ipsa hodie decedens expirarit? Absit. Imo gloriosa hac expiratione intensiorem nobis lucem accendit. Sunt qui expiratione, seu flatu accensi extinguunt lucem cerei; sunt qui & semiextinctam viuificent ipsa spiratione. Talis profecto est Maria nostra. Est tam proprium Dei, sua res omnes spiratione excitare, viuificare, incendere, fouere; vt benignam hanc spirationem supplex ab eis postulauerit Diis, quos putabat Deos ille, qui cecinit:

Simile.

In noua fert animus mutatas dicere formas
Corpora: Dij, cœptis (nam vos mutastis & illas)
Aspirate meis.

Ouid. li. 1. Metamor.

Quid dicemus ad eam, quæ veri mater Dei est? Quid ei dicemus, cùm virgineum corpus in nouam mutatur formam, formam speciosissimi cadaueris? Deprecabimur eum, qui in hanc corpus hoc mutauit formam, vt prius nostris aspiret inceptis: sed interuentrice matre ipsa: quæ sua expiratione inceptis benignè aspiret. Nec enim quòd moriens expirarit Maria, gratia eius expirauit, ne eam nunc, sicut in vitâ, gratia vocemus plenam: sed salutemus potius consuetis ipsis Angeli verbis, dicentes ei,

AVE MARIA.

Iephte votũ de offerenda Deo re, quæ victori illi occurreret prima.

CVm strenuissimus ille Israelitici populi dux, ac Rector Iephte suas aduersus Ammon extrueret acies, illud pro victoria nuncupauit votum, quod verbis his vndecimo Iudicum capite narratur. *Si tradide is filio Ammon in manus meas: quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihique occurrerit reuertenti cum pace, eum holocaustum offeram Domino.* Transiuit Iephte ad filios Ammon, quos tradidit Dominus in manu eius; percussitque viginti ciuitates plaga magna nimis. Reuertente autem Iephte in Mesphadomum suam, occurrit ei vnigenita filia sua cum tympanis, & choris. Quâ visâ, scidit vestimenta sua & ait: *Heu me filia mea, decepisti me, & ipsa decepta est: aperui enim os meum ad Dominum, & aliud facere non potero. Cui illa respondit: Pater mi, si aperuisti os tuum ad Dominum, fac mihi, quod vmque pollicitus*

Iudic. 11. 31.

es. *Hoc solum mihi præsta, vt duobus mensibus circumeam montes, & plangam virginitatem meam cum sodalibus meis.* Cùmque permittente Patre, abijsset cum sociis suis, flebat largiter virginitatem suam in montibus. Expletisque duobus mensibus, reuersa est ad Patrem suum; qui fecit ei, sicut vouerat. *Exinde mos increbruit in Israel, & consuetudo seruata est; vt post anni circulum conueniant in vnum filiæ Israel, & plangant filiam Iephte Galaaditæ diebus quatuor.* Holocaustum hoc, quo Iephte filiam suam Deo consecrauit, non omnes idem intelligunt, nec concedunt: sed alij putant, holocaustum illud minimè ad vitam pertinuisse, nec ad mortem; sed fuisse filiæ reclusionem, qua in segregato ab hominibus loco vitam continentia, ac oratione transigit totam, ab omni virorum contubernio, imo & collocutione prorsus alienam. Quam ideo vocant holocaustum, quòd virginitatis consecratio, speratæque abdicatio posteritatis non exiguum fuerit temporibus illis sacrificium. Præsertim, cùm vnicus ille populi gubernator nullum præterea filium haberet, ex quo status sui hæredes nepotes speraret, *Non enim habebat alios liberos.* Sententia hæc Rabbinis accepta fuit cunctis, inter quos Rabbi Dauid, Rabbi Aben Melech, quam & Pagninus approbauit, imo & Vatablus, Montanus, & Lyra. Cuius holocausti, ac consuetudinis non deest apud gentes specimẽ aliquod in Vestalibus virginibus; quæ scriptore Strabone, cùm causa morbi Vestæ atrio excedere cogebantur; Matronarum tradebantur custodiæ; cuius & mentionem fecit Plinius. Sed communior oppositа sententia; quæ est Tertuliani, Nazianzeni, Greg. Epiphan. Chrysost. Theod. Emissen. Ambr. Aug. Hier. Procopij, Victorini Hugonis. Imo & Chaldæi paraphrast. Iosephi, & nõnullorum ex antiquæ Doctoribus legis. Hodie Israelitica Virgo defuncta est: quidnam facient in funere hoc amicæ eius virgines? Lamentabunturne? Plangent? Eiulabunt? Circuibuntne mõtes per dies quatuor, implacabili mœrore plorantes? Si præsens hic dies non est dies obitus Mariæ; illæ quidem Virgines Hebrææ non in solo ipso interitus die, extinctam deflebant virginem; *Sed ex inde mos increbruit in Israel, vt post anni circulum conuenirent in vnum filiæ Israel, & plangerent filiam Iephte Galaaditæ diebus quatuor.* Estque præsens hæc dies

Iephtæ filiæ Iephte, quo holocausti genere oblata sit Deo.

Iudic. 11. 39. Iudic. 11. 34. Rabbi Dauid Iudic. 11 30. Rabbi aben. ibi. Pagn. ibi. Vatab ibi. in Scholiis. Arias Mõtanus eod. cap. Lyra ibid. Strabo li. 7. Plin. lib. 7. cap. 19. Tertul. li. 3. cõtra Marcio. carmine, c. 4. Naz. orat. 20. Epi. hære. 55. Chry hom. de Iephte, & hom. 14. ad popul. Theo q. 19. in li. Iudic. Emisse, ser. de natali virg. Amb. li. 3. de virg. & 1. offi. c. vlt. Aug. q. 49. in li. Iudic. Hier. in c. 7. Iere epist. ad Iulian. Procop. in c. 11. Iudic. Hugo de S Vict. tractatu de filia Iephte, tom. 3. Kaldæus in cap. 11. lib. Iudicum. Ioseph. li. 5. cap. 4.

obitus Mariæ anniuersaria. Si propterea deflebant Virginem Virgines, quòd esset Deo consecrata, vel ad recluſionem, vel ad mortem, ita vt neutro modo à virginitate in fœcunditatem transiisset: adest sane in virgine hac vtraque causa, fundamentum vtrumque; nam & suam in primis virginitatem Deo consecrans ipsa se intra septum sponte recluſit, omni penitus virili à consortio sequestrata; & integra tandem virginitate absque virili custodita complexu, mortem intacta oppetiit. Si Iephtea illa in paterni voti executionem suam Deo addixit puritatem: hæc addixit suam proprio, quod ipsa votum sponte emiſit, vt censent Patres, Gregorius Nyſſenus, Ambroſ. Aug. Anſel. Bernard. Albertus Magnus, Hugo Victorinus, & cum Scholaſticis B. Thomas. Greg. Nyſſ. hom. de sãcta Christi nat.

Maria obitus causa lætia non mœroris.

Sed ô intemerata! ô Angelica Virgo! Quid tibi cum lacrymis? cum lamentatione? cum luctu? in die obitus lætitia pleni, tripudio, gaudio, exultatione? Num, quoniam Virgo interis, amariùs deploranda es? Abſit. Imo eo ipſo frondibus feſtis celebranda. Si enim mors corruptio eſt, ideoque deflenda, quòd ſit corruptio: quid tam contrarium corruptioni, ac incorruptio? quæ autem tam vera, pulcraque incorruptio, atque virginitas? Nec vlla perſonæ corruptio tam verè, ac proprie poteſt eſſe corruptio, ac eſt incorruptio virginitas tua. Cedit corruptio integritati; incorruptio vincit corruptionem. Pugnant hodie corruptio, & incorruptio: mortis corruptio, & virginei corporis integritas: vtra victrix euadit? Ecce poſt tres certaminis dies, quibus Virgo iacuit in ſepulchro prævalet, & triumphat incorruptio: quandoquidem tertia ab interitu die Virgo reſurgit florentiſſima, nullo corruptioni inſtanti permiſſo. Quid moror? Non ideo fuit lamentabilis Iephtea, quòd Virgo excecesſerit è vita; ſed quòd fructu relicto ventris nullo. Quem ergo locum habere poteſt luctus, propterea quòd Maria obierit Virgo; cùm illum ventris reliquerit fructum, qui infinitus eſt fructus, Dei Filius? Non fuit tam fœcunda in poſteris Sara, ac Virgo Maria. Quoniam profectò quotquot Dei ſunt Filij, Filij Mariæ ſunt; cùm ab ipſo Mariæ Filio ſint geniti. Quapropter ſi Iſraelitæ fœminæ filiam illam Iephte lamentabantur per quatriduum: bis quatuor diebus celebran-

Amb. li 2. in Lucam. Aug. li. de ſancta virg. c. 4. ſer. 14. de nat. Anſel. hom. in Luc. 10. 38. Bern. ſer. 4. de Aſſumpt. Bonau. in 4. diſt. 3 q. 2. Alb. Magn. li. de B. Maria. Hugo Vict. li. de perpetua virginitate Mariæ. cap. 1. S. Th. 3. p. q. 28. art. 4.

Maria virgo fœcunda.

Maria obitus per dies Octauarij octo celebrãdus.

dus est lætissimis canticis obitus Mariæ propter virginitatem fœcunditati coniunctam. Et celebrat quidem lætabunda Ecclesia bis quatuor canticis, quibus per octo continuos Octauarij dies iucundam se exhibet, ac lætam. Quæ enim sponsi dedicata sponsæ cecinit cantica, octo cùm sint, huic maximè festo iudicans propria, ei applicat omnia mater Ecclesia, eisque iucunda modulatur. Hanc enim virginitatis Marię cum fœcunditate conuentionem fuerat longè ante vaticinatus Ezechiel verbis illis; *Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam; eritque clausa Principi.* Id est, clausa erit aliis, Principi soli dedicata. Id quod luculenter Kaldæus, dicens; *Principi erit*; nempe Principi seruabitur. Quæ expressa est fœcundæ virginis Prophetia; congruaque Cypriani cum cæteris Patribus expositio. Si ergo fœcunditas sola tantis digna est iubilationibus, quantum antiqui illius populi indicabat alacritas; sola item virginitas alacrioribus debet celebrari cantionibus, vt quæ excellentissima vocatur à Patribus, D. Thoma præsertim supra coniugalem castitatem: nonne duplici debet celebrari chorea interitus expirantis Virginis fœcundæ? Certè dum hodierna die audiuit Bernardus concinentes Angelos: *Quæ est ista, quæ ascēdit de deserto delicijs affluens*: delicias has decus fœcunditatis, decusque intelligit virgineum. *Quidni delicias* (ait) *dixerim virginitatis decus cum munere fœcunditatis?* At, quidni & dixerim ego virginitatem ipsam munus fœcunditatis, qui tot vniuersa in terra videam virgines à purissima Deiparæ virginitate procedentes; quatenus eam imitatæ virgines omnes recipiunt influxum per eam.

Cant. 1. vsque ad vlt. — *Maria obitus octo spōsi canticis per dies octauarij celebratur.*

Ezech 44. 2. — Kaldæus. Cypria cōtra Iudæos. — *Virginitas virtus excellentissima.*

S. Th. 22. q. 152. art. 5. — Cant. 8. 5. — Ber. ser. 4. de Assumptione.

Nec sistet hîc exultationis causa, si non solum ipsum aspiciamus interitum; sed mortis item, & modum, & genus, omnesque concurrentes circunstantias. — *Maria obitus qualis fuerit.*

Incidit ergo in infirmitatem Maria. O Regina cœli! quonam aditu potuit vel mater Dei in infirmitatem incidere, vel in Dei matrem incidere infirmitas? Solida in te semper fuit, castelli firmitas? Ideo etenim intrauit Iesus in quoddam castellum, quoniam in eum finem, vt in te supremus ipse Rex ingrederetur, firmissimum te castellum fabrefecit. Vnde firmitas tua muri firmitas est. Tu quidem ipsa hāc in — *Maria puritas turris firmissima.*

in te sentis firmitatem, cùm dicas, *Ego murus*. Imo & murus turritus, vt protinus subdis *Vbera mea sicut turris*. Murus virginitatis corpus tuum: Vbera turris honestatis. Quoniam sicut turris conformis est muro, vbera honestatis tuæ conformata sunt virginitati. Vtrumque ergo validissima firmitas. Quæ ergo erit causa interitus tui, si infirmitas nulla? Estne ex humorum corruptione? Summa profectò virginitas tua nullo vnquam in genere vel nomen ipsum corruptionis admisit. Numquid ex nimio infirmitas senio? Certè qui te prouectionis putant ætatis Dyonis. Cedrenus, Andreas Cretensis, Epiphanius, duos, cùm plures, supra Septuaginta scribunt annos. Sed esto esset numerus hic, quem plerique dicunt breuiorem, non est tanta senectus, quæ compositam ad vsque humoribus fœminam infirmet, præsertim ad mortem.

Cant 8.10.

Simile.

Ætas B.V. 72. anni. Maria æt.

Diony de diuin. nomin. cap 3. Cedren. in compēdio historiæ. Andr. Cret. ser. de Dormitione Deiparæ Epiph. præsbyter.

Maria languore amorii moritur.

Aperi igitur tu ipsa languorem tuum, suauissima Virgo: aperi morbum filiis tuis; ne ignari eius, affligamur. Ecce, auditores, aperit mater nostra morbum suum: *Amore langueo*. O mater nostra! Morbo langueo amoris. Moriens quidem morbo hoc nullâ obstante medicinâ. Languens es tu: non languidus amor: imo fortis nimis: tanto igitur vehementius te infirmabit, quanto fortior est ipse. Non effugies mortem, si amore ægrotas: nam *fortis est, vt mors dilectio*, Tantò igitur fortior inuadet te mors: quantò firmior est dilectio tua. Est diuina dilectio, amor, quo Deum ardentissimè diligis: quoniam medicamento tam forti ab ægritudine sanaberis. In quonam consistit comparatio hæc, qua *fortis est, vt mors dilectio*? Digna profectò. Salomone comparatio. Mortis fortitudo in eo cõsistit, vt scindat neruum omnium fortissimum vnita separans extrema: fortitudo amoris consistit in eo, vt disparia extrema atque distantia vinculo vniat strictissimo. Scindit nexum mors fortissimum omnium: nexum animæ, & corporis: nexum, quo erant strictissimè vnita, cùm esset nexus naturalis. Nexum hunc scindit violentissima; separatque immenso interuallo extrema hæc, quæ strictè reperit vnita. Per cõtrarium dilectio suam in eo habet fortitudinem, vt extrema quæque tenacissimo vniat nexu, quantumcumque diuersa, ac inæqualia. Quot dispares viros, ac mulieres fortissima vniuit connexione dilectio; cũ

Cant. 2. 5.

Amor fortis sicut mors.

Cant. 8. 6.

distantissimæ essent qualitatis,& vitæ. Regem cum filia carbonarij vinxit coniugio, & (quod horrendum est) Periandrum Corinthum cum defuncta iam coniuge. Quænã tam vnita scindit mors, sicut sunt distantia còrpus viuum & defunctum? Igitur *Fortis est, vt mors dilectio;* quoniam, sicut mors discindit vnita; ita nectit disparia dilectio. Posita ergo dilecta anima in medio amatorum eius duorum, corporis videlicet proprij,& personæ illius,cui est chara: vtraque sanè,& mors, & dilectio, vim suæ quæque potestatis ostendit Mors subtrahit animam,vt diuellat à corpore;amor attrahit eam,vt cõnectat amato: quis sequetur effectus? Nonne mortem adiuuat dilectio? Nonne mors ipsa dilectioni ministrat? Nititur amor attrahere animam, vt coniungat amato: nititur mors dissoluere nodum, quo est anima corpori ligata; nonne est, sicut mors,dilectio fortis; mors, sicut dilectio? Quid,quum dilectio tendit in Deum? Quum attrahit amor animam ad Deum vt visione coniungat,quos coniungit affectu? Deuotissimum virginis Rupertum audiamus: *Adiuro vos filiæ Ierusalem;si inueneritis dilectum meum, si ante me,vt sæpe fit,discipulæ ante magistram exeuntes de corpore veneritis ante dilecti mei conspectum, vt annuntietis ei, quia amore langueo: quia præ amore eius, præ magno videndæ faciei eius desiderio, vitæ huius tædium patior; & animo gemituoso, lacrymosisque oculis suspiriosas præsentis exilij moras sustinco.* Si nondum nuntiato virgini transitu, tantum in ea potest amor: quantum, nuntiato iam, ardebit in ea? quantò tunc vehementior dilectionis erit fortitudo? Ergo, virgo diuina, si amore langues; mors tibi certa est, ineuitabilis interitus. Quite reddit infirmam, firmus amor firmus est; non infirmitas morbi. At enim amor ipse te firmissimam reddit, vt ad filium amore transeas, non morte. Satis manifestè ostentat firmitatem hanc tuam, quòd mortis nuntio responsum prębuisti. Nam Gabriel ille Angelus, qui quondam missus fuit in ciuitatem Galilææ, ad nuntiãdam virgini mirabilem Verbi in vtero eius Incarnationem, seu conceptum: mittitur ipse hodie domum Ioannis, quæ est in monte Sion, vt annuntiet eidem glorioßissimæ virgini, eum, quem tunc concepit, filium in eius esse expectatione in cœlesti eius throno, quo oportet eam properare. Sic scribit Simeon Meta-

Ruper. li. 5. in Cant. pag 44. colum. 1.

Maria moritura accepit mortis nuntium.

Simeon Met. orat. de dormitione Deiparæ lõge postmediũ.

phraſt. Sed quid Maria? Verbo primo reſpondet, quod tunc dixerat vltimo. *Ecce ancilla Domini: fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Scribunt Cedrenus, & Nicephorus. Luc. 1.38.

Maria in lectulo expectat hilaris obitum.

Protinus iacuit in lecto obitura Regina ardenti trãſeundi ad filium deſiderio. Sed qualis eſt lectulus? Qualis lectulus erit, ſi ſolus eſt amor ægritudo? Audiamus, quid dicat virgo ipſa, cùm languorem ſuum fatetur amorem: *Fulcite me floribus; ſtipate me malis: quia amore langueo.* Mirabile planè ægritudinis genus. Quænam eſt infirmitas hæc, quæ floribus ſtipatur, & malis? Minimè quidem infirmitas eſt. Potius enim, quàm floribus, ac malis, ſolido fulciretur alimento, ſi infirmitas hæc verè eſſet infirmitas. Floribus fulcitur amor Mariæ; nam cùm debilis amor flores arefaciat puritatis: certè cùm flos virginitatis perſtat, & viret, firmus amor eſt, & firmans amor: tantum abeſt, vt infirmet. Floribus tantùm fulciri ſuis gaudet virgo diuina, ſuiſque malis cõſtipari; talium nimirum fructibus florum, qui opera ſunt, floribus adeò puris conſentanea. Suis itaque floribus, operibus ſuis, innixis Dei gratia, fulcitur Maria, atque ſtipatur, vt è terris ad ſuperos hilaris aſcendat. Malis, ac floribus confortatur in lectulo; quoniam, quæ nullas vnquam infirmi amoris ſenſit delicias; in extremo interitu, firmi amoris mulcetur ſuauitate. Porro ſi in lecto fulcitur floribus virgo; floridus quidem erit lectulus ipſe. Sanè non poteſt, non eſſe floridus lectus matris illius, quam nil impurum deflorauit. Sed quid ergo eliciam argumentis, quod virgo ipſa expreſſo canit textu? Fare tu, Dei genitrix. Qualem tempore hoc tuum inuenis lectum? Ecce ipſamet loquitur: *Lectulus noſter floribus.* At quomodo poſſet, non dicere floridum, ſi dicit noſtrum? Lectulus noſter: lectus proprius Deiparæ, & Filij. Imo quomodo poteſt non eſſe floridus, ſi in firma ipſa, quæ in eo iacet, flos ipſe eſt? *Ego flos campi*, ait virgo puriſſima. O puritas rara! Peregrinus flos! Ergo lectus Mariæ floridus eſt. Aliorum vbique ægrotantium lectuli nunquam floridi ſunt; imo graueolentes, ac ſqualidi; qui proprij ſunt morborum effectus. Nec quòd Regij ſint lectuli, minùs ſordidi ſunt, minùſue horrendo odore faſtidioſi; imo plerumque ſunt magis, eò quòd Regum carnes, ac Reginarum præ aſſidua ciborum

Cedren. in compẽdio hiſtoriæ. Nicephor. li. 2. hiſt. c 21. Cant 2.5.

Maria virgo ſuis intrepida, ac fulcita virtutibus tranſit è terris ad cœleſtia.

Amor impurus debilis ac debilitãs.

Amor purus floribus puritatis pulchrè vireſcit.

Opera bona gratia Dei adiuta confortant infirmos moribundos.

Maria puritas fecit tẽpore obitus lectum eius floridum.

Puritas conſeruat homines etiam tẽpore mortis incorruptos.

Regum carnes facilius corrumpuntur præ nimia lautitia & otij aſſiduitate.

Cant. 1.16.

Cant. 2.1.

Baptista Egnatius.

Plin. li. 7. cap. 43.

lautitia, nulliſque laborum exercitiis corruptu ſint faciliores. Arnulphus imperator, Caroli Craſſi ſucceſſor, ita carnibus corruptus eſt totus, vt in vermes abierit, teſte Baptiſta Egnatio. Sed grauiùs accidit res Lucio Syllæ: cuius corpus ſe ipſum erodens horrendis ſcatebat ſtatim vermibus; vt Plinius eſt auctor. Quodnam horum grauamen erit in lecto, vbi flores ſunt omnia? Et flos ægrotans ipſa Regina? Quæ laurus, quæ lilia, quæ violæ tantoperè Reginarum decorarent lectulos; quæve pelecia, aut thimyamata tam ſuauiter in ægrotantium Regum aulis confragrarent, ac Mariæ flores, quæ diuinitùs faciunt floridum lectulum, cubile angelica fragrans ſuauitate? *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo; nardus mea dedit odorem ſuum*, ait Virgo ipſa. Dum diuinus Rex in ſuo eſſet accubitu, qui eſt ipſius vterus Mariæ; amœniſſima virgineæ nardus puritatis, iucundum exhalabat ſuauitatem. Æquum igitur eſt, vt deceſſus tempore, ſit iucundus, ac florens lectulus virginis, quæ tam glorioſum ediderit filium.

Arnulphus imperator carnibus corruptus adhuc viuès abijt in vermes.

Lucij Sylla carnes adhuc viuentis corrupta.

Cant. 1. 12.

Imo & nunc etiam tempore obitus Rex ipſe eſt in accubitu ſuo; in Mariæ accubitu, qui eiuſdem Regis diu accubitus fuit, in quo, cū puer eſſet, accubabat. Nec ratione vlla credi poſſet, Chriſtum extremo hoc tempore defuiſſe parenti; qui adſtitit potius iuxta illam, illique miniſtrauit, tanquam filius matri, moribundæ infirmario, medicus iacenti. *Omnia Christus eſt nobis: ſi vulnus curare deſideras, medicus eſt*, ait S. Ambroſius. Qui enim tam facilem ad ſanandos ægrotos quoſlibet ſe exhibuit; cur moribundæ deficeret matri? Adſtitit profecto, vt ſcribit Simeon Metraphras, & eum ſecutus Damaſcenus. Quid eſt, quòd Eccleſia in Deiparę tranſitu hanc legat hiſtoriā, qua Dei Filius in illud dicitur introiſſe caſtellum, in quo Maria, & Martha morabantur? Hinc certè eſt; quia intendit in memoriam cunctis ſuggerere, veniſſe extra vrbem Dei Filium, ad reuocādum à morte, ac ſepulchro amicum Lazarum; vt inde facile inferamus, quàm libentior venerit è cœlis, vt obeunti adſtaret matri ſuę? Mirabile dictu. Ipſius Chriſti Apoſtoli, quotquot tunc ſuperſtites erant, aliiq; diſcipuli, diſperſi licet per vniuerſas orbis plagas, ad Deiparæ obitū diuino vocati impulſu confluxerunt omnes, vt teſtatur, qui & ipſe ibidem

Maria obitura adſtitit filius eius.

Ambr. de virgini.

Christus medicus, infirmarius, & omnia.

Simeō Metaphraſt. orat. de morte B. V. Damaſc. orat. de dormitione Deiparæ.

Assumptionis die cur legitur Euāgelium, Intrauit Iesus in quoddam castellum.

Ioan. 11. 1.

Maria obeūti adſtiterūt Apoſtoli vndecumque concurrētes.

interfuit Dionysius : & ex recente traditione Iuuenalis; Andreas Cretensis, & alij: Qui ergo adduxit illos Christus, non veniret & ipse? Quid, quòd non vocatus venit ad Lazarum? Solo enim nuntiato languore Verbis illis: *Ecce quem amas infirmatur*, protinus accurrit. Quod recolens dixit August. *Amanti tantummodo nuntiandum fuit.* In quo ergo ardentiorem erga matrem ostenderet dilectionem, nisi veniret, non solum nemine accersente, sed ne morbum quidem quopiam annuntiante? Præsertim, cùm Lazarus non ex amore, sed languore ægrotaret valetudinis; solo amore Maria; amore, quo filium ardebat, & quo ardebat videndi in filium amore. Ardebat sanè tam vehementi videndi eum affectu; vt naturale socium corpus relinquens ad dilectum, nullo auulsus morbo, euolaret Spiritus. *Amor Christi* (ait Sophronius) *desiderium Mariæ pariebat: desiderium verò gliscens, quasi nouis reparabatur ardoribus: in tantum vt credam, quòd nonnunquam omnia, etiam & semetipsam transcenderet: quia omnino amor impatiens quod amat, non potest non videre.* Amori ergo tanto nonne diuinus satisfaceret medicus, æquo, imo arctiori visitans matrem, eique assistens, ac ministrans? Quinetiam medicorum more non in sella, sed ipso matris pius sedit in lecto. Quid est hoc (ait) mater mea? Quid habes? Quid sentis? Quid desideras? Est ne tibi aliquid doloris? Est in te mœror aliquis? Aliquis rerum tibi defectus? Bono animo esto. Adsum ego hic. En iuxta te adest filius tuus. Non relinquam te, donec sistam in throno gloriæ tuæ, gloriæque filij tui sempiternæ.

Dion. li. de diuinis nomin. ad Timo. c. 3.

Iuuenalis Ierosolymitanus relatus in historia Euthinica lib. 3. cap. 40. Andr. Cret. orat. 2 de dormition. Ioan. 11. 13. Aug. Tract. 49. in Ioan. longè post initium.

Sophron. sermone de Assumpt.

Maria solo amoris Dei morbo decessit.

Hæc dicens, tetigit dilectæ pulsum parentis, quo explorato, dixit; admirabilis est in æquitate. Indicat sanè pulsus huius æquitas, quòd nulla in eo vnquam fuerit iniquitas. Tamen, cùm medicorum sit, ægrotum quemque venarum scissuris, potibúsque curare, tum sirupis, seu præparatorijs potiunculis, tum extrema ad euacuandum potione; scrutandum est nobis, quonam huiusmodi medicamento fuerit vsus sapientissimus medicus erga dilectam matrem suam.

Maria moritura quasnam meditus filius ad disponendos humores dederit potiunculas.

Dedit ergo Mariæ (vt mos medicis est) disponentes humorem potiunculas. Sed quasnam? Nullum quidem in Virgine crudum agnouit, nullum rebellem, crassumve

humorem; sed omnes facillimos, & puros. Quid faciendum? Demus illi (ait) potiunculam talem, quæ simul sit humorum dispositio, ac gustus voluptas: vt si minimè exigitur ad primum; saltem proficiat ad secundum. Hoc ergo fine dixit ad matrem. *Dabo tibi poculum, mustum malorum granatorum.* O suauissima medici sapientia! ô suauis amor! Amoris est infirmitas hæc; sit & amoris medicina. Si amor est ignis, igniſque hæc infirmitas; quæ adeo conueniens ægritudini huic potest esse potiuncula, ac mustum malorum granatorum, quæ refrigerans est, ac suauissima? Quòd si renuat ignitus mitigari amor: est & accensus mali color granati; flammeus quasi ignis; estque feruens mustum, quod porrigitur.

Cant. 8. 2.

Sed nunquid, sapientissime medice, sanguinis præcipies demissionem? Vide, obsecro, sanguinem hunc nulla vnquam infectum corruptione. Scio, non solam corruptionem: sed nimiam etiam abundantiam, scindendarum causam esse venarum. At non, si abundantia est ex amore, sanguinem crescere, ac ebullire faciente. Non patitur amor euacuationem. Curnam de prisca lege dicit Apostolus; *In Christo euacuatur?* Cur euacuatur vetus lex, noua lege vigente? Vtiq; solus amor, etiamsi se mortiferum noscat, euacuationem sui permittit nullam. Et quoniam Christi lex, lex est amoris, pristina lex non amoris, sed oneris: ideò lex illa euacuatur in Christo; persistit hæc noua, nullam sui euacuationem admittens, propterea quòd, cùm amoris sit lex, manet firma, & integra in æternum. Quod non omisit Apostolus ipse commendare, dum dixit; *Si enim quod euacuatur, per gloriam est: multo magis quod manet, in gloria est.* Fateor ingenuè quod Philosophus. *Virtus est habitus in mediocritate consistens.* Quare non & amor? Quare non euacuandus amoris excessus? Imo nihil magis euacuandum. Adeo verum est, vt auctore Augustino, virtutes naturales in componendo amore versari omnes, ne in excessum erumpat: hoc-que proprium earum esse munus. Alioqui effrænatus nimis esset, ac præceps; vt effectu est, vbi desunt virtutes. Tamen virtutes hæ naturales sunt, sicut amor ipse naturalis; quo nimirum creatæ res diliguntur ab homine. Non sic noster erga Deum amor: imo quantumuis magnus, semper est debito

Amor etiam exorbitans nullam sui euacuationem permittit.

Amor ordinatus in mediocritate, sicut virtutes reliqua consistit.

Lex noua lex amoris, atque adeo æterna.

Lex vetus, quòd amoris non fuerit, sed oneris, euacuatur in Christo.

Virtus in mediocritate consistit.

Amor humanus tãta egẽs est moderatione, vt omnium virtutũ munus sit, eum moderari, atque componere.

2. Cor. 3. 15.

2. Cor. 3. 11.

Aristot. 2. Ethi cap. 6. post medium.

August. lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap. 15. tom. 1.

minor. Quoniam, cùm Deus noster amabilis sit, plusquam amari à nobis possit, vt qui immẽso est amabilis affectu: ideo quantumcunque intensus sit noster erga eum amor, minor debito est, atque ab omni excessus periculo alienus. Id, quod Doctor Angelicus probauit. Atque adeo non consistit in medio diuinus hic amor: sed quo vberior, eò melior, sanctior, purior, laudabilior. Graphicè Bernard. *Causa diligendi Deum Deus est: modus autem, sine modo diligere.* Ergo si in nostra infirma, Dei matre feruet, turget, ebullit Virgineus sanguis intenso dilectionis ardore, quo Deum ardentissimè prosequitur: minimè profectò expedit, tam pretiosum sanguinem scisionibus minui. Est namque ardor hic, diuinus ardor, de quo Hieronym. *O quàm indesinenter cremabatur Maria ardore pij amoris? Quantis mouebatur incitamentis? Quia etsi diligebat Christum toto corde; nouis tamen quotidie inflammabatur desideriorum affectibus.*

Amor diuinis non mediocritate, sed summa intentione perficitur.

S. Tho. 1. 2. q. 9. 64. art.

Bernar. lib. de diligendo Deo.

Maria amor in Deũ cæteris intensissimus.

Hieron ad Paulam, & Eust de Assumptione Virg. tom. 4.

Iam circa extremum potum decernendum est, expediatne huiusmodi potione ægrotam curari Virginem.

Radix imprimis barbara, alio nomine Rhaponticum, omnino reijcienda est. Hæc enim flauam purgat bilem: in Maria autem minime effrænata viget cholera, non furor, non præcipitatio: sed suauissima serenitas, tranquillitas, quies, compositio. Qua ratione columba absponso nuncupatur. *Aperi mihi, soror mea, columba mea, immaculata mea.* Vbi Rupertus: *Columba primum sine felle est: & tu maxima misericordiæ mater, sine felle es. Nihil enim vnquam habuisti inuidiæ, nihil odij. Nihil viuum columba comedit: & tu longè es ab illis, de quibus scriptum est; deuorant plebem meam, sicut escam panis. Pullos alienos columba nutrit: & nos, qui eramus alieni, ecce viuimus meritis tuis. Grana candidiora columba colligit: & tu confers in corde tuo testimonia de scripturis, conseruans secretum Dei.* Certè quisquis abundanti ægrotat cholera, acerbã in se amaritudinem sentit. Quidnam dicit Maria, se intra se huiusmodi sentire? *Spiritus meus super mel dulcis.* Imo in ore etiam sentiunt, qui sic ægrotant, amaritudinem. Mariæ autem dicit sponsus; *eloquium tuum dulce.* Quis Mariæ ex ore asperum vnquam audiuit Verbum, vllumve indignationis vel tenuis in ea vidit signum? Quid non suaue, non pia plenum benignitate; non replens animas dulcedine?

Maria Virgo non cholerica, nec præceps: sed omnino serena, atque composita.

Maria Deipara columba est.

Columba Mariæ Deiparæ symbolum.

Columba propria.

Maria mitis, benigna, suauissima.

Cant. 5. 2. Rupert. l. 3. in cantica, super c. 5. 2.

Eccl. 24. 27

Cant. 4. 3

Hugo Victor de natiuitate Mariæ ser. 34. tom. 2.

Quid enim fuit mansuetudo Moysi, si cum Maria conferatur? Inquit Hugo Victorinus. Nulla ergo eget choleræ euacuatione mansuetissima Virgo.

Maria diligēs, sollicita, feruens, minime segnis, aut remissa.

Quid igitur? Estne aptior agarici potus, aliusve similis, purgans pituitam? Nec is quidem idoneus est Virgini. Non est pituitosæ conditionis; non remissæ, non signis, sed feruens, diligens, sollicita. Tres nec plures, sunt, erga quos possit exerceri feruor, & ostendi. Deus, tu ipse, & proximus tuus. Qualis fuit erga Deum ipsa mater eius hac in parte? Quæ fuit vita Mariæ? Quod exercitamentum? quæ occupatio, præter vnam hanc, qua feruens valde, atque sollicita diuino iugiter intendebat obsequio, diuino cultui, templi diuini ministerijs? Ne ipso quidem tempore somni, à feruore isto desistebat. *In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea: surgam, & circuibo ciuitatem: per vicos, & plateas quæram, quem diligit anima mea.* Feruentem quoque erga semetipsam sollicitudinem satis indicauit diligentia illa, qua, cùm in templo trimula ad ministrandum præsentaretur, gradus conscendit quindecim à nemine manu ducta, sed libens ipsa, agilis expedita; vt tradunt Nicomediensis Georgius, & Cedrenus. Qui in dies magis illucebat feruor in cunctis operibus eius, quæ maximè admirantur Patres vniuersi. Quantum item erga salutem nostram fuerit feruida, imo & feruida sit, solis Bernardi dicam verbis: *Sileat misericordiam tuam, Virgo Beata, si quis est, qui inuocatam te in necessitatibus meminerit defuisse. Constat enim pro vniuerso genere humano fuisse solicitam.*

Maria dilligo in obsequio valde sollicita.

Cant. 3. 1.

Maria sollicita circa propria perfectionis studium.

Georg. Nicomed. homilia de oblatis.

Cedren. in compēdio historiæ.

Maria solicita erga hominum salutem, & preces.

Bernard. serm. 4. in Assumpt. B. Virginis.

Maria semper lata atque iucūda.

Solum supereſt pharmacum, quo atra purgatur bilis. At potio hæc nec nominetur in Maria. Nunquam insulsa fuit, nunquam mœsta, torua, fastidiosa: sed affabilis, hilaris, suauis. Si sumptuosissimum illud Salomonis templum mente recolamus: *nihil erat in templo, quod non auro tegeretur.* & Mariam quidem templum Dei esse, antiquo illo magnificentius, ac illustrius dixit Petrus Damianus; cuius typum vocat primum illud. Est ergo lætissima semper, ab atra bili prorsus aliena: cùm nihil adeo lætum, adeo sit iucundum, sicut aurum: *Sicut fragmen mali punici, ita gena tua absque eo, quod intrinsecus latet*; significans internum animi affectum eundem quidem esse, qui apparet in genis. Itaque & corde, &

3. Reg. 6. 22.

Petr. Dam. serm. 2. de Natiuitate B. Mariæ.

Cant. 4. 3.

de, & vultu hilaris semper; nunquam atra laborans bili Dei genitrix. Ne ingraueſcente quidem languore, nec in mortis articulo: imo tunc alacrior, ac hilarior. Affirmauit Laurentius Iuſtinianus. *Reſolutionis carnis imminente articulo, à mortis dolore fuit aliena. Nequaquam habuit quod metueret: non adfuit, qui ſe illi opponeret inimicus: nullusq; terreni amoris impulſus, qui Virginis egredientem animam retardaret.* Laurent. Iuſtinianus ſermo de Aſſumpt. B. Mariæ.

Maria non ſolum ab animi peccatis, ſed à corporalium etiam humorum deordinatione fuit immunis.

Qua ergo potione purgabitur, ſi nulla videtur conueniens ei? At quomodo poteſt vlla eſſe conueniens, ſi huiuſcemodi potus, ad purgandum peccantem applicantur humorem; nihil autem peccans vllo fuerit tempore in Maria? *Quid ergo vitij in eius mente, vel corpore vendicare ſibi potuit locum, quæ totius Trinitatis plenitudini meruit eſſe ſacrarium?* ait Petrus Damian. Ne in corpore quidem peccantem Doctor hic concedit humorem. Expertos ſimul, & ſapientes ſuper caſu hoc ſummi momenti viros conſulamus. Primus ſit Auguſtinus: quidnam dicit hic? *Virgo non purgatione indiguit.* Sit ſecundus Anſelmus: quidnam dicit? *Neque Virgo, quæ de ſancto Spiritu concipere digna fuit, purgatione indiguit.* Nihil ergo vltra de purgante pharmaco tractandum. Petr. Dam. ſerm 3. de Natiuit. B. Mariæ. Aug. l. qq. in Leuit. q. 4. tom. 4. Anſel. in 10 cap. Lucæ tom. 1. in fine.

Maria deceſſus ſui tempore intimis Dei conſolationibus exhilarata

Solum reſtabat decernendum, expediat-ne roſarum liquor Virgini propinetur, qui & ſanguinem refrigerans eſt, & omnes ſimul, nullum ſpeciatim, purgans humores. Sit ita ſanè. Detur Mariæ ſuauis hæc potio. Dedit profecto potum hunc matri diuinus medicus, filius eius, amantiſſimus. Cum enim lectus eius eſſet floridus totus, flos item Virgo ipſa; quænam poterat alia idonea ei potio propinari, niſi earundem ſuccus roſarum? Hoc refrigerauit matrem ſuam intrinſecùs ſuauiſſimus Deus. Hoc eam ſumma conſolatione repleuit: Sed quiſnam effectus? Non euacuatio; quoniam nullus in Maria contrarius roſis humor. Non ardoris extinctio, aut moderatio; quoniam, quum vehementiùs ardet ignis, tunc, ſi aqua irroratur, accenditur magis, tantum abeſt tunc à remiſſione. Multò vehementius amoris ardor roboratur, quum internis Dei refrigerijs afficitur. Ardet Maria magis euolandi ad Deum deſiderio, quo vberioribus refrigerijs imbuitur. Quòd ſi nobiliſſimis, ac teneris fœminis ſolet dari in pharmacum manna: dedit & matri filius chariſſimus. At non manna illud, quod terreſtrium eſt raſina ligno-

Maria datus roſarum ſuccus tempore, quo erat moritura.

Simile.

Simile.

rum, sed cœleste manna, omnem habens saporem, omni re-
Exod. 16. 14 fertum delectamento, multo vberius, multoque suauius, quàm antiquum illud, quod in deserto dederat parentibus. At non ad vllam quidem euacuationem; sed ad delectationem, dignam tali filio, dignam tali parente.

Maria datur manna tempore obitus.

Sed, vt intimum Dei in Mariam amorem agnoscatis; perpendite nunc, eum erga illam nõ solùm se, vt medicum, gessisse: sed, vt benignum etiam infirmarium Filium amantissimum. In quonam solet pius quisque filius suum in parentem amorem ostendere, quàm si morbi tempore fiat ianitor eius, ianuam custodiens cubiculi, somnúmque parentis: monens insuper domesticos omnes, ne vllus domi sonet rumor, quo dormiens mater excitetur. *Adiuro vos, filiæ Ierusalem per capreas, ceruo/que camporum, ne suscitetis dilectam, quoadusque ipsa velit.* Et quoniam non sufficit, semel somnum huiusmodi obseruari: obseruauit quater filius hic matri suæ: secundo nimirum canticorum cap. 3. 5. & 8. Quid plura? Vt & musica matrem demulceret, & somnum simul prouocaret: sedens ad caput eius accinebat suauiter canticis octo, quæ octauario hoc in vniuersa resonant Ecclesia, respondentibus Angelis cœlesti garrulis harmonia, ac suauitate.

Maria tenerrimè, & amantissimis illecebris affecta à filio suo tempore obitus.

Cant. 2. 7.

Sed num dormiebat tunc fortis hæc infirma? Hoc ex eius ore tunc audiebatur: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Proprium quidem eorum, qui extremo mortis agone conflictant. Dormiunt moribundi, quasi non dormiant; corde titillante, anhelo pectore. Tunc mors certa est: minimè de morte dubitandum. Quapropter; cùm nec pharmacum vllum approbetur idoneum, nec possit iam mater nostra dormire; nihil supereſt iam, nisi extremum condat testamentum. Et condidit quidem pia mater. Sed vbinam est testamentum eius? Quisnam vidit scriptum? Scitote vos, auditores pij, non omnia scribi testamenta, etiam secundum iuris statuta. Decernit enim ipsum commune ius, vt sit testamentum in scriptis aliud, aliud nuncupatiuum, quod nullo scilicet notatur scripto. Textus, lege, hac consultissima, §. Per nuncupationẽ. C. de testamentis. §. vltimo institut. de testamentis, lege Hæredes palam: ff. de testamentis. Quæ cùm ita se habeant, cuinam potest tam idoneum esse nũcupatiuum, ac sine scriptis testamentũ, quàm Virgini, Pauperi,

Maria somnus, qualis tempore trãsitus.

Cant. 5. 2.

Maria Testamentum quale.

Lege, Hac consultissima §. Per nuncupationem C. de testamentis. §. vltimo instit. de testament. Lege. Hæredes palã ff de testamentis.

Testamentum aliud nuncupatiuum, aliud in scriptis.

segregatæ, solis semper deditæ orationibus, manuumque labori propriarum, quo, & dato ei à Ioanne victu parcè alebatur. Verbo igitur tenus fecit Maria testamentum: cuius si verbis attendatis: nullas profecto alias eius diuitias in hæreditatem appetetis, quàm aurea ipsa verba oris eius, quotquot estis filij eius, ac filiæ.

Mariæ Deiparæ testamentum.

In nomine sanctissimæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, amen Nouerint vniuersi, & singuli, testamentum istud inspecturi, quòd ego Maria Mater Iesu, Ioachimi, & Annæ filia, vidua à Iosepho sponso meo, sed perpetua spõsa æterni Patris, qui est in cœlestibus, cùm sim sana corpore, & sana etiam voluntate, integro quoque, ac sano iudicio, quale Deus mihi dignatus est dare, testamentum hoc meum, ad cœlos transitura, ordine hoc, hac serie condo, atq; disposono. Animam ante omnia meam ipsi restituo creatori, eis cumulatam ornamentis, quibus eam ille in thronum suum præparauit. Corpus meum terræ demando; sed per triduum tantum: inde transferre volo in templum, quod filius meus in cœlestibus sibi ædificauit, & mihi. Cum Pius Tobias de suo ad filium loqueretur interitu, sollicitus pro Anna vxore sua, dixit ad illum verba hæc, quæ in libri eius quarto scripta sunt capite. *Cum autem & ipsa compleuerit dies vitæ suæ, sepelies eam circa me.* Quanto accuratius prouideret idipsum pro sponsa sua, quæ & mater eius est, dilectissimus filius: vt nimirum post obitum, iuxta eundem sponsum in æternum victura poneretur? Deinde pia disposuit legata. Vestes duas, quæ tota eius erant supellex, duabus iussit dari Virginibus, quas ipsa honestissimas educarat. Scribit Simeon Metaphrastes. Sed dic, mater nostra, quænam adstantibus nobis legata constituis? Omnes quidem sumus filij tui: quibusuis tui reliquijs, quantumcunque exiguis, ditabis nos plusquàm suis Crœsus suos locupletarit legatarios. Aperite manus, filij Mariæ: corda, & manus vestras dilatate. Eximia sunt, quæ legata vobis relinquit ditissima spiritalibus opibus Regina. Quid pauper Virgo habere potest, præter illa laboris exemplaria, quæ prouectæ Virgines plumare solent, ex quibus suos puellæ exprimant labores? Plumauit Maria exemplaria multa prætiosissima vniuersi generis phrygiaturæ, quæ Virgines aliæ adamussim exprimentes imitentur.

Maria tertiâ à transitu die in cœlum corpore transfata.

Tobiç 4. 5.

Simeon Met. in oratione de S. Deipara.

Simile.

Maria virtutes exemplaria sunt, quæ omnes imitemur.

Quidnam fuit Marię vita; nisi iugis spiritalium labor prototyporum, labor exemplarium, quæ non solùm Virgines, non fœminæ solùm, sed & omnes cuiusuis sexus conditionis, ac status indesinenter imitemur? Quę Angelicus Thomas, vt ad amussim semper exprimeret, contemplatus, dicebat alijs, vt imitarentur & ipsi, subdens verba hæc: *Ipsa est templum Domini varijs picturis depictum: quia omnium Sanctorum, & Angelorum picturis decoratum.* Agite ergo gratias Deiparæ Virgini, auditores: maximas ei gratias referamus omnes, quòd talibus nos locupletaris ornamentis. Quid deerit nobis, vt diuitiarum amplitudine Angelis coæquemur; si huiusmodi legatis vsi, exempla ex prototypis in nosmetipsos transferamus? Dicebat Paulus ad Corinthios. *Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quæ data est nobis in Christo Iesu:* quòd in omnibus diuites facti estis in illo. Ideo quidem diuites in illo, quia & in ipsius Christi persona, & in persona matris eius diuites facti estis, exemplaribus illis, quæ nobis multa reliquit imitanda. Hęredem vnicum, naturalem constituit filium. Sed quorumnam hæredem bonorum? Nihil profectò præter proprium habebat corpus, postquam vestes illas clientibus fœminis legauit. At quid tam prætiosum dare posset filio, támque ei gratum, & acceptum, ac corpus ipsum suum, etiam defunctũ, ac exanime? Huius ergo eum fecit hæredem verbis illis, quæ scripsit Damascenus: *Corpus tibi, fili, trado, non terræ.* Tandem testamentum consummauit, eundem filium executorem nominans eius. Sollicitum planè executorem: qui cùm nihil circa defunctæ animam curandum reperiret, eò quòd à purorio esset immunis. Vt quæ nullo vnquam infecta contagio; totam in corporis honorem impenderet curam; faciens, vt tertio depositionis die ad cœlestem thronum transferretur.

S. Thom. serm 1. de Purificat. tom. 16.

1. Cor. 1. 5.

Damascen ser. de dormitione Deiparæ apud Simeon Metaphr.

Finito testamento, cum hora iam instaret interitus, sedit pius infirmarius iuxta caput parentis, cui propriũ pro puluinari suppositum brachium, multo quidem mollius, multóque lenius quocunque lenissimo tomento. Quod ipsa sentiens lenocium, dixit ad circunstantes: *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* O vos, amici cordis mei, qui filium meum manum suam sub capite meo summa videtis ponẽtem pietate: dudum videbitis eum dextro me brachio totam amplexãtem, vt in eius moriar amplexu: in quo etiam

Cant 2. 6.

postmodum tendam in cœlestia. Hæc ad circunstantes. Sed quæ ad Filium ipsum ? dulcis vita mea, qui tanta me charitate amplexaris ! ô Rex vnice mi ! ô vnice amor ! ô bonum meum ! ô filij mi ! ô Deus meus ! Quid in tuo timere possum amplexu ? Quid nocet, esse in manibus mortis ; si sum in amplexu, & manibus vitæ : Accedat mors ; accedat, accedat : timet illa me, in tuo videns amplexu ; ego nequaquam metuo illam. *Nam etsi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala : quoniam tu mecum es.* Psal. 22. 4. Nihil sentio mortis : solum te sentio, solum te attendo, atque perspicio. Quid pius filius moribundæ iam matri responderet ? Quibus eam mulceret blandimentis ? Eia mater mea : mecum alacris veni. Meo in amplexu tutissima ibis. *Surge amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Iam hyems transiit, imber abijt, & recessit. Flores apparent in terra nostra : tempus putationis aduenit.* Cant. 2. 10. Aduenit tempus putationis, qua corpus amputatur ab anima ; sed nihil nocet amputatio : quoniam flores apparuerunt in terra nostra ; in terra corporis tui, quæ & mei corporis est terra. Nullæ hic apparent, sicut in aliis morientibus sordes, nullus penitus horror ; sed flores in terra corporis tui ; quæ est amborum terra, terra nostra.

Eia igitur mater ; mater nostra dilectissima : emitte super nos benedictionem. Multæ ecce fœminæ tuo flentes lectulo circunstant, quas sanctissimis imbuisti doctrinis, & exemplis ; & earum pleraque virginitatem seruare docuisti. Hæ omnes ob tuum anxiæ decessum, piæ manus tuæ benedictionem expectant. Imo & Angeli expectant ipsi, grande sibi bonum agnoscentes. Expectant & Apostoli, qui transeunti tibi assistunt omnes. Sed & nos ipsi, qui eiusdem transitus commemorationi adstamus hodie, eandem auidi benedictionem expectamus. Accedite ergo, auditores charissimi, vt tam fœlicis sitis benedictionis participes. At nemo huc accedat impurus ; immundus huc accedat nemo ; nulli lasciuo, nulli graueolenti suam florida mater benedictionem impertitur. Quum Israelis regimen Moses extremo confligeret agone, tribus Israel, quasi rector, ac Pater benedixit. *Hæc est benedictio, qua benedixit* Deut. 33. 1.

Maria benedictionem suam puris impendit. Benedictio Mariæ super castos, ac puros.

Moyses homo Dei Filijs Israel ante mortem suam. Quotnam benedixit tribuum capitibus? Vnũ benedixit super decem; cùm illi essent duodecim. Quemnam omisit paternæ benedictionis exortem? Omisit Simeonem; cuiusne mentionem quidẽ fecit. Causam verò tam infœlicis priuationis illam vnam inuenio, quòd spurissimus Zamri ex illa esset tribu. *Luxuriosi benigna Mariæ benedictione priuantur.*

Simeon tribus vna ex duodecim Israel cur priuatur benedictione, qua moribũdus Moyses vndecim benedixit.

Num. 25. 6. *Et ecce vnus de filijs Israel intrauit ad scortum Madianitidem, vidẽte Moyse, & omni populo. Quod cùm vidisset Phinees, arrepto pugione ingressus est post virum Israelitem in lupanar: & perfodit ambos simul, virum scilicet, & mulierem. Cessauitque plaga à filijs Israel. Dixitque Dominus ad Moysem; Phinees auertit iram meam à filijs Israel. Ecce do ei partem fœderis mei; & erit tam ipsi, quàm semini eius pactum Sacerdotij sempiternum: quia zelatus est pro Deo suo, & expiauit scelus filiorum Israel.* Larga quidẽ Dei benedictio in zelatorẽ castitatis, quẽ Dei zelatorẽ vocat Deus ipse. *Erat autem nomen viri Israelitæ, qui occisus est cum Madianitide, Zamri, dux de cognatione & tribu Simeonis.* Cuius impudicitia tanto fastidio affecit Mosem, vt non completum viri supplicium duxerit necem, nisi etiam totam illius tribum benedictione priuaret; nec putarit dignã, quæ extremæ benedictionis instantia nominaretur inter fratres. Quam expectant impuri viri, fœminæ impudicæ à virgine hac benedictionem, quæ sicut est fidelium mater, est etiam *mater pulchræ dilectionis*, mater pudicitiæ, & honestatis. Accedant ergo ad recipiendam cœlestem hanc benedictionem, quicũque sunt mundi; impuri caueant, ne accedant; nisi lacrymis priùs contritione feruentibus abluti, cum firmissima mutãdæ vitæ sanctione. Et quoniã, nec ablutio hæc, nec fixum correctionis stabilimentum absque benedictione consistũt; ideo si quis se agnoscit impurum, atque adeo indignum, qui ad tam puræ virginis benedictionem appropinquat; petat salutem à longe, sicut faciebat publicanus: quoniam Virginis pietas, & ad miseros hos purissimam suam benedictionem extendit. Vos autem amantissimi Mariæ Filij, tam sacram cernui benedictionem accipite. Fruimini ea; & tanta vos ipsos benedictione fœlices æstimate.

Num. 25. 14. *Benedictione purissima matris priuantur impudici.*

Maria fœlicissima mors.

Ecce iam tenet manu candelam, vt mos est tenere morientes. Sed quamnam candelã arbitramini? Ipsemet Christus, Filius eius lucerna est inextinguibilis. Sed testatus est

Christus natura sua lucerna est.

Ioannes. *Sustulit me in Spiritu, & ostendit mihi Sanctam ciuitatem; & ciuitas non eget sole, neque luna: nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius est agnus.* Quantò minus eget candelæ luce animata hæc, sanctaque Dei ciuitas Maria, quæ eundem agnum, filium suum suis habet in manibus, eiusq; ipsa manibus tenetur? Intenti iam eam extremo in transitu intueamur. Manum igitur filij, pro candela, amicam apprehendit; in quem & oculos coniiciens, manum tenax constrinxit, qua & filius constrinxit matris manum. Caputque suum filij humeris reclinans, tres personas diuinas tribus oris hiatibus confessa benedixit: adiecitque tandem: *Fili, in manus tuas commendo spiritum meum*: Sicque in manus eius emisit spiritum. Apoc. 21. 23.

Dio tres boqueadas.

Expirauit iam solatium nostrum; expirauit spes nostra: vita nostra expirauit; & nostra expirauit respiratio. Quòd si expiratio in me expirauit, expirauit & concio. Expirauit Maria; sentimus nos expirationem; immistam suauissimis lacrymis floris spirationem fragrantissimi. Expirauit flos campi in florido lectulo; quænam esse potest expiratio?

Ambrosiæque comæ diuinum à vertice odorem
Spirauere.

Vergil. 1. Æneid.

Maria in interitu expirãs suauissimũ spirauit odorem.

Expirauit Maria, mater nostra: emittens spiritum expirauit. Quidnam emisisti, Virgo diuina, dum spiritum tuum emisisti? Tuus ipse qui sponsus accepit Spiritum, quidnam emiseris, agnoscit; qui suauissimo delectatus odore, dicit tibi: *Emissiones tuæ paradisus.* Quid plura? Homines quiq; sanctitate fulgentes, quum emittunt spiritum, in cœlestẽ mittunt paradisum, vt in eo fruiti beantur; tu, diuina Deipara, ipsum ex te emittis paradisum, vt Deus ipse oblectetur in eo. Vnde si ad Dei ascendis gloriam; tu quoque ipsa gloria Dei es, & noster item paradisus; simulque cum ipso filio tuo gloria nostra. Ad quam nos perducat, qui cum Patre, & S. Spiritu viuit, & regnat in secula seculorum amen. Cant. 4. 13.

IN ASSVMPTIONE B. VIRGINIS DEIPARÆ.

SERMO II.

De ipso B. V. ascensu.

Luc.10.38. *Intrauit Iesus in quoddam Castellum, &c.*

ONCVRRVNT hodierna die, sicut in alia quauis defunctione, stationes, tres: prima obitus Virginis Deiparæ; portatio corporis secunda; tertia condecens quoad tumulum depositio. Iuxta hasce tres sermones totidem in præcedēti proposui cōcione: primum de fœliciſſimo sacratiſſimæ matris virginis transitu, quem audistis; secundum de honorifica portatione, non solum in militantis templum Ecclesiæ, sed etiam in triumphantis; cùm nonmodò defunctum; sed animatum etiam efferatur, resurrectione mortem subsequente: tertium de iucunda eiusdem depositione non in solo tumulo terrestri; sed in cœlesti etiam throno exornatiſſimo. Vnde præsens hic sermo, cùm secundus sit, illud sortitur institutum, quod propriè Assumptio nuncupatur; euectionem videlicet Virginis, vsque ad cœlestis templi Ianuam, vbi eam relinquemus, reliquum viæ sermoni tertio committentes, si Deus dederit locum prædicandi.

Maria qua pompa deponatur in tumulo.

Est autem consuetudo in defunctorum exequiis, vt idonea aliqua designetur persona, cui committitur munus attendendi

tendendi neceſſariis; prouidendi nimirum luctuoſis & cereis; adducendi clerum cum cæteris miniſtris, & conuocandi notos, & amicos. Aſſumptum hoc mihi iniunctum eſt hodie; qui vt genera rerum generi tranſitus apta feram, ac debita; affero indumenta, non lugubria; ſed quæ lætam decent alacritatem, intimum gaudium; exhilarant corda, paſcunt oculos: ex famoſioribus petita orbis officinis. Affero lætum ex [1] Tuderto coccum; purpuram ex [2] Melibæa; bombycinum rubeum ex [3] Granata; ex [4] Perſia Polymitas telas: auream brocatam ex [5] Florentia: margaritas ex [6] Britannia; beryllos ex [7] Phœnicia; ex [8] Media Cyaneos: ſmaragdos ex [9] Erithrea, ex [10] Carthagine pyropos: Hyacinthos ex [11] India, Topazios ex [12] Chite, Amethiſtos ex [13] Tucumania; Adamantes ex [14] Arabia: Carbunculos ex [15] Maſſilia; variaſque ex [16] Hydaſpe & [17] Gange gemmas; aurum ex [18] Tybare; ex [19] Venetiis emblemata; ambarum ex [19] Æthiopia; & plumaturas ex [20] Toleto.

1 Strabo lib. 10.
2 Vergi. 5. Æneid.
4 Lucan. lib. 10.
6 Sueton. in Cæſar.
7 Iuuenal. Saty. 5.
8 Plin. lib. 37. c. 9.
9 Claudianus.
10 Plin. li. 37. c 7.
14 Lib. 37. cap 4.
15 Lib. 37. cap. 7.
16 Statius.
17 Mantuanus.

Cereariæ officinæ, ex quibus ceram affero, ſunt, in terra lucorum denſitas, abundans cicindelis: nocturnæ, in mari vndæ ſcintillantes; in aëre media regio, faciens fulgetra, in cœlis firmamentum, ex quo ſydereæ pendent candelæ, & cerei magni, ſigna duodecim, ſeptem cœli mobiles pro maioribus facibus, planetis nimirum fulgentiſſimis.

Muſicos conuoco ex terra lucos, iucundos vocibus grillos: dulciſonos grato murmure riuos: ex mari Syrenes, & Tritones, vt voce, & buccina plaudant concrepante: ex aëre carduelcs cum Calandriis, cum Philomellis chamariſos: ex cœlis choros nouem Angelorum. Conuoco venas metallorum, vt metallis ſuis hodie fiant tibicines: Arundinetos, vt fiſtulæ reddantur, tigres Angeli.

Conuoco etiam confraternitates, vbicumque fundatas. Conceptionis, vt gerat puritatis vexillum. Roſarij, vt roſarum coronam innoxiæ faciat capiti Virginis. Pietatis, quoniam pietas eſt matrem honorare. Animarum, eò quòd animæ omnes hodie è purgatorio proſilierint. Solitudinis ob eam, in qua nos mater noſtra ſolitudinem relinquit. Expectationis, vt reſonante. O feſtum ouantes filij concele-

brent Mariæ. Candelariæ, vt suis veniat accensa candelis.

Conuoco tandem omnes sacræ Virginis dilectos; deuotos cunctos, notos omnes: ac fideles etiam vniuersos. Qui præterquam quòd eam comitentur, colligant etiam quas diuina mater ascendens distillat gratiæ influentias, tanquam mediatrix, quam oratione salutamus Angelica, dicentes.

AVE MARIA.

Ascensus hominum ad cœlos duobus fit modis.

Ascendendi ad cœlum, quos assequor ego, modi sunt duo: alter incrementum, quo ædificia eriguntur, non tota simul, sed successione partium, vnius post aliam, alter eleuatio, qua euehitur ales tota simul. Ex duobus his tentatum ab homine extra Babylonem neutrum lego: at in ea vtrumque, primum à viris insensatis, à fœminis turpibus secundum. Primum (inquam) attentauerunt Pronepotes Noëti, cùm turrim Babylonis, quæ contingeret cœlos, aggressi sunt ædificare: secundum mulieres tres, quarum mediam in amphora inclusam alatæ duæ collaterales in æthera euehere cœperunt, admirante, ac scribente Zacharia. Horum neuter ascensus peruenit ad finem, nam turris continuo cœpta, omissa est, mulier etiam elata, parum scandit, quippe quæ lata inter cœlum, & terram, in locum Senaar, qui est Babylonis, mox descendit velocius, quàm ascenderat.

Ædificij [illegible] ritalis pa[illegible] tes, & fin[illegible] quales ess[illegible] debeant.

Causam, qua defecit modus vterque, omnes nos oportet explorare, vt tale caueamus impedimentum, qui expeditum ad cœlos ascensum indagamus.

Superbi hominis votis cuncta res obstant.

Turris erectioni omnes obstiterunt creaturæ. Obstitit terra, quæ incapax est foueæ adeo profundæ, cùm decẽ parietis cubiti vnum foueæ exigant, sitq; terræ profunditas leucę 1193 $\frac{3}{11}$, quæ etiam si tota occupetur parietum fundamento non poterit vltra 11666. cubitorum supra $\frac{1}{3}$ fabricam sustinere; quæ nihil est, collata turri, cœlum contingenti. Imo si terra ipsa tota insumeretur in lateres, non esset sufficiens, ad

Ædificium [illegible] spetiale ho[illegible] mo ipse.

partem tantæ turris centesimam, vt notauit Philo: cùm à terræ centro ad conuexam lunaris cœli superficiem 76562. à Ptolomæo leucæ numerentur: Obstitit aqua; vt quæ cœmenta impedit, dum terra profundiùs aperitur: Obstitit aër; qui ventis suis supereminentia concutit ædificia: Obstitit ignis; qui & lateres erat liquefacturus, & ipsos vsturus operarios: Obstitit cœlum; quippe quod infimæ rei, qualis est terra, vicinitatem minime patitur. Obstitit tẽpus: quoniam, cùm later lunari à cœlo cadens, consumpturus esset in descensu ad terram annos saltem duos transiens mille vno leucas die; quanto incomparabilior annorum numerus insumendus esset in euehendis sursum lateribus, operantiumque manu coaptandis? Obstitit tandem Deus; qui laborantium in turri linguam confudit, ne se mutuo intelligerent; nec ad opus se coadiuuarent.

Philo. li. de confusione linguarum ex sententia sapientũ ethnicorũ.

Finalis causa, qua Deus operi illi, cũ omnibus se opposuit creaturis, hæc vna fuit; vt illorum videlicet eneruaret conatũ quod nõ erat aliud, quã nominis sui magnificatio, ac perpetuitas, *Faciamus nobis ciuitatẽ, & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomen nostrum.* O stulti! nomẽ vestrum per turrim ascendere vultis; non personas. Vtinam ne & hodie plerique homines ineptiores facere turres molianturex vento nimirum, quibus nomen exaltent, de animarũ ascensu minimè curantes. Volens ergo Deus ostendere legitimã artẽ ædificij, quoad cœlũ ascendit, & quoad cœlum expeditur ascensus, diuinam hanc proponit normam, illorum votis vndecumque oppositam, tam materia, quàm fine; vt finis ante omnia euectio sit nominis Dei ipsius, non nostri; ipsum vero ædificium sit homo ipse, labore proprio, auxilioque Dei construendus.

Gen. 11. 4.

Ædificij spiritalis partes, & finis quales esse debeant.

Probo extremum hoc (vt à minori incipiam) Apostoli verbis: *Qui loquitur lingua, se ipsum ædificat.* Difficilis profectò sententia. Vnde enim probatur, quòd linguæ locutione ædificat homo semetipsum? At sententia nostro nata proposito. Vndenam probatur, quòd lingua deficiens locutioni, turris ædificium irritum fecerit? Si enim dicta illa causa assignetur, quòd operarij illi locutione sua de nominis proprij exaltatione loquebantur; assignabo ego per antithesim pulchram causam oppositam; quod scilicet ideo ædificat se ipsum,

1. Cor. 14. 4.

Ædificium speciale homo ipse.

qui loquitur lingua, quia de nominis Dei exaltatione loquitur; & ad eius gloriam suum intendit ædificium promouere. Ecce, proposita fabrica homo ipse est.

Potissimum autem, atque primum, quod est finis propositus, constat ex Dei ipsius præconio; *Quicumque honorauerit me, glorificabo eum.* Quisquis præcelsæ turris structura ad sui desiderat glorificationē peruenire; sciat vnica hac struēdi arte finem hunc obtineri, si ad nominis mei erectionem, incumbat ædificio. Vtque probatio hæc per omnes ædificij figillatim partes innotescat; assumemus binas; nimirū duas, quæ subtus terra sunt, foueam cum cœmento; duas item alias, quæ super terram eminent, murum cum corona; In quibus omnibus liquebit præstitutum hunc finem tantoperè esse necessarium, vt vel ipsa extollendi diuini nominis intentio consummata sit pars ædificij magna.

1 Reg. 2. 30

Ædificij spiritalis finis est Dei gloria.

Vt verò partes istas distinguamus, supponimus, eas, sicut & materialis fabricę partes, aggregatas esse ex supra naturalibus virtutibus tanquam ex lapidibus, & moralibus tanquam coagmentis.

Ædificium spirituale habet Theologicas virtutes pro lapidibus, pro coagmento morales.

Fouea ergo huius turris est fides, iuncta humilitati; cœmentum, charitas cum prudentiæ coagmentis. De fide ait Trident. Concil. *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum omnis iustificationis.* Humilitatem etiam foueam ponit Saluator; dum connumerans gradus scalæ, qua ad cœlum ascenditur, statuit primum hunc, *Beati pauperes spiritu:* id est, humiles; vt Chrysostomus explicat, qui & subdit; *Quasi fundamentum quoddam forte, atque munitum, hanc primam sententiam collocauit. Siquidem vnusquisque humilitate suppositā, tutissimè cuncta alia superponit.* Quod quidem de ea fundamēti parte, quæ fouea est, debet intelligi. Fouea quippe mera vacuitas est; humilitas etiam, quid est, nisi vacuitas, qua homo seipsum existimat vacuum, & inanem? Cœmentum est charitatem, docet Paulus asserens, *In charitate radicati, & fundati:* quippe cui omnes competunt cœmenti conditiones. Illud namque totam sustinet fabricam: est partim subtus terram, partim eminens: & latius intra foueam, quàm super terræ superficiem. Non secus charitas sustinet omnes ædificij virtutes; quæ illâ positâ, ponuntur; cadunt, illâ sublatâ, vt Paulus prædicat. Est partim intra cor, par-

Cōci. Trid. sess. 6. c. 8.

Matth. 5. 3. Chry. hom 25. in Matt.

Ephes. 3. 17.

Fides fouea ædificij anima. Humilitas fouea ædificij.

Simile.

Charitas fundamentū nempe cœmentum ædificij.

tim extra, operibus patens: Et est latior in corde, quàm ad extra; eò quòd plura cupit facere, quam ea, quæ facit. Esse quoque prudentiam cœmenti coagmenta est in Prouerbio. *Si susceperis sermones meos, & absconderis mandata mea penes te; inclina cor tuum ad prudentiam.* Si vis spiritale hoc ædificium construere; à prudentia incipiendum est, vt à cœmento. Hæc namque morales sustinet virtutes omnes, sicut charitas Theologicas. Et quoniam coagmenta fundamenti intra foueam sunt eius, atque adeò prudentia intra hominis cor connexa charitati; ideo dicit Sapiens: *Inclina cor tuum ad prudentiam.*

Prudentia est coagmenta charitatis in fundamento ædificij spiritalis.

Prou 2.1.

Connexionem harum quatuor virtutum longè, quàm in materialibus cœmentis perfectiorem auscultate. Vnio humilitatis, & fidei adeo vna est, vt deficiente alterutra, altera euanescat. Fidem absque humilitate difficilem, qui docet Christus est ipse: *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis?* Humilitas sine fide impossibilis ostenditur, ex eò quòd vniuersalis Ecclesiæ iudicio qui suum non subijcit credendo, non humilis est, sed superbissimus.

Ædificij spiritalis perfectissima connexio.

Fidei cum humilitate connexio.

Ioan. 5. 44.

Cœmentum charitatis, & prudentiæ non minus aptè vnum fit ex vtraque. Charitas enim, ne præcipitationis vitio ruat, prudentia eget, iuxta sancti Bernardi sententiam: *Est moderatrix affectuum, & morum doctrix: tolle hanc, & virtus vitium erit.* E conuerso charitatis consortio destituta prudentia, vana est, dicente Paulo: *Prudentia carnis inimica est Deo.* Quænam est prudentia carnis, nisi quæ caret Spiritu? Quæ autem prudentia caret Spiritu: nisi ea, quæ est Spiritu vacua charitatis? iuxta eundem Apostolum. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum.*

Charitatis cum prudẽtia connexio.

Charitatis fœtuor prudẽtiam exigit.

Bernar ser. 49. in cantica.

Rom. 8. 6.

Rom. 5. 5.

Charitate deficiente, non est integra prudentia.

Sed elegantior est inter fundamentum & foueam proportio: nempe inter fidem humilitati coniunctam; & adiunctam prudentiæ charitatem. Fides enim & charitas mirificè coaptantur; adeo, vt nullum sit ædificiorum fundamentum, tam ad propriæ factum foueæ mensuram, sicut ad fidei normam vera charitas. Vnde intelligetis id, quod sæpe audistis: charitate sublatâ fidem informem esse; quod cum D. Thoma definiunt Theologi, atque adeo minimè proficuam, vt docet Apostolus. Quid est esse informem?

Prudentia exigit charitatis consortium.

Fides sine charitate infirma.

S. Tho. 22. q. 4. art. 4.

1. Cor. 13. 2.

Foueam considerate: Videbitis informem vacuitatem, appetentem cœmentum, tanquam completam perfectionem sui, qua formatur, & completur. Si ergo fides fouea est, cœmentum charitas; aptissimè dicitur absque charitate informis fides. Sed & illud fructuosè satis perspicietis, quod difficile apparet, tribui nimirum fidei salutem, cùm hæc sit proprius charitatis effectus, iuxta Apostoli verba: *Vt iustificemur ex fide Iesu Christi.* Et e conuerso tribui charitati, quod fidei proprium est; videlicet, credere: cum dixerit ipse, *Charitas omnia credit.* Vndenam hæc effectuum permutatio? Nisi ex eò quòd & nos locutione humana foueæ, & cœmenti confundimus nomina, vsurpantes promiscuè; sicut vsurpauit. Sanctus Augustinus dum dixit: *quantò magis erit ædificium, tantò altius fodit fundamentum*: quod foueam intelligit; cum hæc, non cœmentum, fodiatur.

Allegoria.

Cur iustificatio num fidei, num charitati tribuatur.

Galat 2.16.

1.Cor.13.4.

Aug. serm. 10. de Verbis Domini sub initiū.

Iam humilitas foueæ, quàm congrua sit prudentiæ fundamenti, inde quidem constat, quod absque prudentia errabit humilitas, dicente Ecclesiastico: *Noli esse humilis in sapientia tua:* sed prudenter vtere humilitate. Prudentia autem absque humilitate qualis sit, à Chrysostomo audite. *Et vt enim prudens sis, alio tamen opus habes. Quod si vllius opera te indigere putaueris: omnibus factus es stultior.*

Eccl. 13.11.

Chrysost. hom.22. in epist. ad Rom. tom. 4.

Igitur, si fouea talis est, tale cœmentum; merito statui animum ipsum exaltandi nomen, non proprium, sed diuinum, esse ædificij foueam, & cœmentum. Quid enim aliud est intentio hæc: nisi fidelis humilitas, & prudens charitas, qua Dei gloriæ inhiat homo?

Humilitatis cum prudētia cōnexio.

Si item talis est fouea, cœmentum tale; quomodo foueæ obsistet terra, impedient aquæ fundamentum? Si fides fouea est: ipsa habet dominium supra terram; prædicante Dei Filio: *Habete fidem Dei*, & montes transferetis. Si fouea est humilitas; quomodo obsistet ei terræ incapacitas? Imo quo humilitas profundior, eo est terra commodior. Hæc enim propria est humilitatis conditio; hæc natura eius, hæc præstantia, hoc grande miraculum, vt vbilibet ipsa capiatur; & ipsa quoque omnes capiat, & omnia. Si cœmentum est charitas, quomodo aqua erit noxia cœmento, quod firmissima est petra; cùm sit canticum

Marc.11.22

Ædificio spiritali assumpto in Dei gloriam, omnia fauent, & creatura, & creator.

fponſi: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Si charitas iugiter intendit omnium incremento, & erectioni; quis ei reſiſtere contendet? Si prudentia quoque cœmentum eſt; quæ erit difficultas, quam ipſa non ſuperet, & tollat? Cant. 8.7.

Spei, & fortitudinis connexio.

Iam de partibus turris, quæ ſupra fundamentum eminent, agendum eſt; muro nimirum, & corona. Murus pro lapide conſtat ex ſpe, virtute Theologica; morali pro coagmentis fortitudine. De ſpe certa res eſt; ſiquidem tota ferè ſpes defenſionis eorũ hominum, qui verſantur in bello, conſiſtit in eo ſolida murorum ſuorum firmitate. Quoad fortitudinis virtutem, vel ipſum profectò nomen fatur: cùm turris ipſa nuncupetur munitio; vt expreſſius, Hiſpano ſermone, turris nomen eſt *La fortaleza.* Quarum virtutum connexionem mirificè expreſſit Iſaias, dicens: *In ſilentio, & in ſpe erit fortitudo.* Ecce fortitudinem coniungit ſpei, ſicut lapidi vnitur coagmentum. Iſa 30.15.

Caſtitas muro duplici muniendo.

Cæterum ſtrenuus ille ſpiritalis ædificij magiſter Bernardus ſic murum diſponit: *Iam ponitur murus continentiæ, & antemurale patientiæ.* Vbi quamuis murum dicat fortitudinem, quatenus deſignat patientiam, quæ eſt fortitudinis ſpecies, vt probat ſanctus Thomas, tamen quatenus ponit continentiam, non tam fortitudinem, quàm temperantiam videtur deſignare: cuius ſpecies ponitur continentia ab Ariſtotele. At certè continentia fortitudo magna eſt; præſertim, cùm habeat patientiam in ſe incluſam; iuxta dictum Ambroſij: *Ipſa martyres facit.* Vbi non leuiter aduertendum eſt, murum, & antemurale non duas ſpecies, ſed muros eſſe duos, nulla in re præter ſitum differentes. Quia ſcilicet vnus interior eſt, exterior alter. Vt cunctis innoteſcat caſtitatis continẽtiam duos ſimul eſſe muros; cùm alia quæuis virtus vnus duntaxat murus ſit. Etenim hoſtes hominis in quacumque materia externi ſunt tantum; Dæmon videlicet, & mundus: at in materia caſtitatis, duorum generum adſunt inimici, externi ipſi, mundus, & Dæmon: & interior inſuper ipſa ſcilicet caro. Vnde fit, vt quæuis alia virtus murus vnus ſit; defendens hominem externis ab hoſtibus; caſtitas muri

Bernar. ſer. 5. de B. Virgine.

S. Tho. 22. q 128 art. 1. & q. 29. a. 7 & 134. & 136. a. 5. & 137. art. 3.

Ariſtot lib. 3 Ethic. c. 12. & lib. 4. c. 5.

Ambr. li 1. de Virginibus poſt initium.

duo; interior vnus, positus inter animam, & propriam carnem, quo in carnali pugna defenditur anima à carne ipsa, cui vnita est; & exterior alius, qui est antemurale, quo caro ipsa munitur in prælio illato ab externis obiectis, quæ sola sua bellum præsentia inferunt tremendum. Quæ doctrina explicatior fiet, si receptissimam consideretis locutionem, qua lasciuientem carnem, fragilem appellatis; & carnis similiter peccata debilitatem dicimus carnis. Perpendite rem; & cognoscetis eam, quam fragilitatem nuncupatis, robur carnis esse, atque superbiam, qua animis sæuum infert bellum, molestis eos vrgens stimulis, vehementique robore, quasi violenter raptans, & illiciens. Vnde ergo trita hæc locutio habuit originem? Vtique ex proposito hoc nostro. Quoniam humana caro, dum castitas viget, inter duos est muros: alterum, quo ab externis obiectis defenditur, proprios oculos claudens, sensúsque reliquos auertens: alterum, quo mens à propria ipsa defenditur carne, importunis resistens appetentijs. Itaque propriæ robur carnis misera est hominis fragilitas. Quoniam victoria ipsa, qua vnitam sibi animam terit, est misera eiusdem carnis ruina; qua ab externis ipsa expugnatur obiectis. Heu miserum hominem, qui quantumuis solitarius, caret muro castitatis; quo se à propriæ carnis tueatur incendijs! Heu miserum hominem, qui quantumuis munitus interno castitatis muro, non tamen de interponendo inter noxia obiecta, & semet ipsum curat muro; ne exagitata aspectibus caro, & indecens sit, & mentem in labendi adducat periculum. Væ fœ-
1. Cor. 7. 34 minæ illi, quæ, cùm esse debeat *Sancta corpore, & spiritu*, duobus munita mœnijs pro tuta mentis ac corporis custodia; deficit alteri, cùm vno sublato, facile tota corruat castitas.

Super murum hunc aptè struitur summitas, eminentibus pulchra cœlaturis: turris item corona, complexa est virtute religionis pro lapide, & pro coagmentis virtute iustitiæ. Video obijci mihi, quòd cùm Theologicæ virtutes, fides, &
S. Tho. 22. charitas in fundamento sint positæ; in muris spes, quæ est similiter Theologica: non videtur digna, quæ in supremo culmine statuatur religio; quæ non Theologica, sed moralis est virtus. At certè est adeo Theologicis affinis, vt acutissima

Religionis virtus annexa iustitiæ.

tissima sit opus distinctione, ad discernendum, in quonam à Theologicis sit differens; cùm illæ Deum ipsum habeant obiectum; Religio autem ipsius Dei æstimationem, & cultum Ponitur autem pro turris summitate religio, eò quòd sit vicina Deo, stricta valde communicatione, ac contubernio. Quod vel ex eo maximè patet, quòd insigniores diuina hac communicatione viri, ac fœminæ, ad suprema montium ascendunt cacumina; vt de Elia legimus, & de Esdra, deque naturali ipso Dei Filio. Iustitia item summitas constituitur, quòd inter morales virtutes nobilior sit cæteris, omniumque suprema. Quàm autem cohærens sit religioni iustitia; ipsa ex diffinitione notum est, & ex eò item, quòd sicut iustitia tribuit vnicuique quidquid est debitum, ita religio debitum Deo cultum impendit.

3. Reg. 19. 8. 4 Esdr. 3. 1. Luc. 6. 12. S. Th. 22. q. 58. art. 12. S. Th. q. 80.

Ædificare spiritaliter pro exaltatione nominis Dei est ipsa ædificij consummatio.

Concludimus igitur, si murus talis est, talis corona; ipsum profectò ædificare, quo pro diuini nominis exaltatione laboratur, imo ipsum ædificandi assumptum, turrim integram esse, ac consummatam. Quod illustrissimo liquet Prouerbio, *Turris fortissima nomen Domini.* Id est, qui illum habent ante oculos, habent quidem turrim, cœlos pertingentem. Quin etiam tam efficax est affectus hic exaltandi nomen Domini, vt euectioni eius consequenter annexa sit talis exaltatoris, ac nominis eius exaltatio. Id quod in sequente propositi Prouerbij parte subiungitur: *Adipsam currit iustus, & exaltabitur.* Vnde quantum destruit homo, nominis proprij euectioni intendendo, tantum quidem assequitur, dum diuini tantummodo nominis exaltationi incumbit, & gloriæ.

Prou. 18. 10.

Qui operibus suis gloria incumbit diuina: is consequẽter assequitur propriam.

Ædificio spirituali assumpto in Dei gloriã, omnia cooperantur, & fauent.

Et tunc quidem non prævalet aduersum muros aër flatibus suis: quia cùm murus duplex sit, murus nimirum, & antemurale, mutuo se defendunt, & coadiuuant. Nec contra turris coronam prævalet ignis; quoniam corona oratio est, & oratio ignis, vt testatur Propheta. Estque experimentum in flammifero Montis Sina cacumine; vbi permansit per dies 40. absque vlla Moses læsione, eò quòd in conuersatione cum Deo versaretur.

Psal. 38. 3. Exod. 19. 12.

Cœlum item non obstat: quoniam nec ars, quæ ædificium prouectum est, nec materia eius est illa, quam cœli vicinam habere dedignantur. Imo materia hæc est materia

cœlestis, purissimæ scilicet virtutes, Angelorum propriæ: quibus ædificatus Paulus dixit; *Conuersatio nostra in cœlis est.* Philip. 3. 20.

Vnde fit, vt nec tempus resistat. Communis quippe ars, qua prouecta iam ædificia solent altiùs adhuc eleuari, ea est, vt muri ipsi seruiant sui ipsorum incremento, quatenus tabulata sustinent ambulacra, in quibus stantes operarij, eosdem muros altiùs promouent. Non secus in ædificio spiritali virtutes iam partæ sui ipsarum ministrant incremento; vt in eis positus homo, easdem in dies amplificet, donec ad superos perueniat cœlos. Conceptum hunc credo esse Dauidis expressum versu illo, *Beatus vir, cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit: ibunt de virtute in virtutem*, & ideo addit; *Videbitur Deus Deorum in Sion*, id est, arte hac peruenitur ad supremam Dei visionem, temporis breuitate nonobstante. Quoniam cum virtutum centrum Deus sit; velocius illæ ascendunt ad eum, quàm ad terram lateres descendant. Psal. 83. 7.

Simile.

Vnius virtutis constructio fundamentum est ad virtutes alias erigendas.

Ex quibus liquet, multò minus contradicere turri huic Deum ipsum. Quomodo enim aduersabitur turri; quæ ad nominis eius exaltationem constructur? Imo adiuuat ipse, vt in principio prædicti versiculi testatur Psalmographus, dicens, *Beatus vir, cuius est auxilium abs te:* quo auxilio disposuit ascensiones, ad te ipsum peruenientes. Quod quidem auxilium adeo validum est, adeoque ædificio necessarium, vt præbens illud Deus magister sit operis; præcipuusque opifex, & auctor; ipse vero homo coadiutor, dum facit id, quod in se est, ad consummatam sui ipsius ædificationem; qua ipsum tandem Deum consequatur.

Ecce perfectissima turris formula, ad cœlorum fastigium peruenientis, quid deficit iam, quod à Domino addendum expectemus? Instructio quidem consummata est: at cùm Deus in cunctis sit amplissimus; non solam nobis exhibet artem; sed præter hanc præbet nobis mirabile quoddam exemplar, quod propria ipse fecit manu, integra absolutum perfectione; cuius imitatione homines quique cœlestis ascensus auidissimi, possint se ipsos diuinitus fa-

Maria virgo exemplar spiritalis ædificij à Deo exhibitum.

brefacere. Hoc est hodiernum Euangelium; hæc præsens, quam tradimus, doctrina: *Intrauit Iesus in quoddam castellum.* Quorsum intrauit; nisi vt illud summè promoueret? At quorsum Ecclesia canit lectionem hanc in die Assumptionis Deiparæ Mariæ, nulla eiusdem Virginis facta mentione? Quorsum caneret hoc; nisi Virgo ipsa ipsum esset castellum? Sic illud explicuit Augustinus, sed suauius cecinit Maria ipsa ore quondam sponsæ: *Ego murus, & vbera mea, sicut turris: ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.* Id est, pacem hanc, ad quam perueni, continua quidem mei ædificatione, instar constructæ turris, consecuta sum. *Intrauit Iesus in castellum hoc*, quando, vt fieret homo, Mariæ viscera introiuit. Tunc quidem auxit ædificium, cuius multò antea principium formauerat, quum Deus ipse eo tempore, quo in Annæ vtero concepta fuit, spiritualiter introiuit in Mariam, vt postea ingrederetur corporaliter, factus Virginis in visceribus homo. Quod Bonauentura Graphicè commendat, dum explicans causam, qua ministerium Marthæ, & Magdalenæ Deiparenti applicat Ecclesia, dicit verba hæc, prout ipse referam. *Hæc duplex susceptio corporalis Marthæ, & spiritalis Magdalenæ, perfectiß: ma fuit in Maria; quæ Christum suscepit in thalamo corporis: suscepit etiam thalamo mentis.* Quoniam, quæ dum ipsa conciperetur, Deum mentis thalamo concepit; postea excepit eum corporis thalamo, in suis visceribus concipiens.

Aug. ser. de Assumptione. Cant. 8. 10.

Bonau. in 10. ca. Luc.

Tota ergo præsentis Euangelij institutio allegorica est, ad ostendendum, hodiernam Deiparæ Ascensionem ædificatione sui factam esse, instar sublimissimi castelli, quod artifex summus ad sapientiæ suæ ostentationem magnificè fabrefecit: in quo sunt omnes pretiosissimi lapides; in quo & elucet ars eminentissima; imo omnium artium perfectiones, Ionicæ, Doricæ, & Corinthiæ; miris ornatum cœlaturis, pulchris emblematibus, pellucidis valde vitreaminibus; quæ ipsi cœlicolæ admirantur.

Sed quid minus potuit postulari in castello, ad summam diuini nominis euectionem constructo? Hic vtique fuit cõstruendi castelli vnicus finis; quo obtento, dixit Christus ipse: *Pater, manifestaui nomen tuũ hominibus*, exaltãs illud

Ioan. 16. 7.

per orbem vniuersum; quo fine in viscera intraui matris meæ, eamque mihi ædificaui.

Discurrite nunc per quatuor turris partes præsignatas, cum omnibus aliis circunstantiis, per omnesque simul virginis gressus, ea serie, qua sunt in Euangelio, vt eum ipsum fabricæ ordinem in Virginis huius ædificio videatis. *Vniuersa spiritalis fabrica perfectiones, & partes, eminentissimæ in Dei matre.*

Primus, qui Mariæ scribitur, gressus, est Angelica annuntiatio, quâ auditâ, dixit Paranimpho, *Ecce ancilla Domini.* Foueam prædictam considerate, & admiramini. Hoc breuissimo verbo grandis fides humilitati connectitur grandi. Fides, quia respondit Angelo dicenti, *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*: humilitas; quia quando vocatur Dei genitrix, se appellat ancillam. O profundissimam humilitatis vacuitatem! Quomodo obsistet tibi terra? cum terra ipsa tam præcelsæ Dominæ honorata consortio, se ipsam amplificet gloriabunda; ita vt eius capacitas sit iam longè profundior naturali. Luc. 1. 38. *Maria virginis fides.* *Maria virginis humilitas.*

Gressus secundus, ille fuit, quo *exurgens Maria abijt in montana cum festinatione*, Visitatura Elizabeth; cuius dulci in amplexu mellifluum illud edidit Canticum, *Magnificat anima mea Dominum.* En accensa in Deũ, & in proximum charitas. In Deum, expressa verbo iucundissimo *Magnificat*: in proximos, actu ipso visitandi prægnantem anum, & vix conceptũ Ioannem: & id quidem ardenti festinatione. Ecce adamantinum firmissimæ cœmentum amatricis cum prudentiæ coagmentis, qua audito vetulæ conceptu, ideo eum sibi ab Angelo reuelari intellexit, vt illam statim visitaret. Ideo virgines quinque habentes oleum charitatis vocat Deus prudentes; quoniam coagmentatrix charitatis prudentia est. Adamantino igitur cœmento qua vi resistent subterraneæ aquæ? Transeunte Iordanem arca testamenti, aquæ retrocesserunt, nonne & ad transitum diuinæ huius arcæ, quæ & castellum est, & mater Domini cederent loco suo aquæ contradictionis libentissimè? Quis dulcissimæ virgini emulus esse potuit; cum sit ipsa cunctis ipsa dulcedo, fauor, solatium, refugium? Luc. 1. 39. Matt. 25. 2. Ios. 3. 17. *Maria virginis charitas.* *Maria virginis prudentia.*

Tertius gressus fuit virgineus partus: Quidnam relucet hic; nisi smaragdinus murus firmissimæ spei, quam expectationem partus vocant cum ipsius partus puritate coniun- *Maria virginis spes.*

ctam ? Hic duplex est murus pudicitiæ, quem luculenter scripsit Isaias, dicens; *Vrbs fortitudinis nostræ Sion. Saluator ponetur in ea, murus antemurale.* Quæ est ista Sion, nisi Virgo Deipara; cùm in sola hac Saluator sit positus? Quod antemurale; nisi eius patientia, qua videns se suspectam Iosepho, patienter tulit infamiam; cùm posset ei mysterium reuelare? Quis est murus hic, & hoc antemurale; nisi virginitas animæ firmata voto, tanquam muro; & virginitas corporis, firmata antemurali circunspectionis, quod inter sensus corporis, & visibilia habebat obiecta? Quis est murus hic, & hoc antemurale, nisi murus virginitatis in partu, & antemurale virginitatis ante partum ? Quin etiam cùm mœnia vrbis illius tria Iosephus fuisse scribat; commendantur diuinitùs tribus illis tria virginei pergama castelli, virginitas ante partum, in partu virginitas, & virginitas similiter post partum. Quomodo igitur posset facere aër flatibus suis, vt tam firmum nutaretur castellum? Absit. Nullum profectò diuinissima Virgo indecens sensit in anima stimulum, nullum sensit in corpore, vt ostendit Angelicus Doctor, Scholâ Theologicâ applaudente.

Maria virginis pudicitia. Isa. 26. 1.

Maria ante partum & post partum Virgo. Ioseph. lib. 5 Th. 3. p. q. 27. art. 3.

Quartus gressus fuit ille, quo ascendit in templum legalis purificationis prætextu, seu titulo; vt vnigenitum suum, æterno Patri, cuius & erat vnigenitus, offerret. Quis non videat hîc quartam castelli partem, quæ est religio connexa iustitiæ? Adest sanctissima in oblatione religio; iustitia in obseruantia legis, purificationem præcipientis, qua purissima Virgo minimè indigebat. Ecce splẽdidissima castelli corona, ex rubentissimo contemplationis pyropo, quæ præcelsus religionis est actus; & violaceo iustitiæ cyaneo, iustitiæ zelum referente. Summitati huic quænam ignea regio posset esse noxia? *Maria conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Si verba conseruabat, quonam conseruat, nisi igne? Ergo erigendæ castelli huius summitati libens deseruiit ignis; tantum abest, vt obstiterit.

Maria virginis religio, & Dei cultus.

Maria virginis iustitia moralis. Luc. 2. 19.

Quòd si castellum hoc omni ex parte, nempe ex partibus quatuor, tale est, vt totidem ei elementa seruierint: quomodo obstaret ei cœlum, quominus ad illud vsque perueniret? Præsertim, cum præter quatuor has virtutum excellentias,

emineat & alia, nullibi extra castellum hoc aspectabilis; quòd fœcunditate roboretur virginitas.

Et (quod magis miror) non obstitit tempus breuitate sua excelsi adeo erectioni castelli, quod supra ipsum eminet empyreum; eò quòd pretioso quouis construeretur ex lapide, excelsam in scalam ordinatis. Gradus (inquam) gratiæ; quo diuina Virgo quolibet augebatur instanti: ascendens super huiusmodi gradus ad eminentissima cœlorum fastigia.

Verùm, qui longius abfuit, vt obstaret, ipse Deus fuit; cum ipse potius Dominus castellum hoc admirabili arte fabrefecerit. Considerate; & obstupescite. Adhibitum à Deo medium, ad impediendam turris erectionem, vnicum illud fuit, linguarum confusio multarum. Quidnam faceret ipse ad immensam turris suæ promotionem? Medium profectò adhibuit oppositum: posuit nempe in diuina hac virgine non solum linguam vnam, & eam quidem maximè vnam; sed etiam verbum vnum, & vnicum: illud nimirum, quod *Semel locutus est Deus:* Illud quod est Patris verbum vnicum, filiusque eius vnigenitus; estque Deus ipse. Verbum hoc posuit in Maria, quando *Intrauit Iesus in quoddam castellum; & Verbum caro factum est.* Quapropter omnis huius Virginis locutio, omnis conuersatio ac omnis sermo vnum hoc semper verbum fuit, & de solo vbique loquebatur Deo, eidem intenta, eidem verbo dedita, & dicata. quando in ore Mariæ acre sonuit verbum? quando asperum? quando leue? quando impertinens? quando otiosum? quando verbum aliquod à diuino hoc diuersum verbo? *Semel locutus est Deus:* Vnum hoc à Deo Verbum auditur; præterea nullum. Mariæ item vnicum Verbum fuit; vnum ab ea exiuit Verbum, idem ipsum, quod solum Dei exit ex ore. Quisquis scire desiderat, quidnam fuerit locuta Dei genitrix, sciat ille iam, nullum prorsus Verbum præter vnicum hoc, quod est Dei Verbum, ex ore eius exiuisse. Ipse etenim Deus, cùm loquatur omnia, quæcumque sunt iusta, vnico ea loquitur verbo; quo ob sui eminentiam simul exprimit omnia. Idem Maria: quoniam in se habuit ipsummet Dei vnicum Verbum: nihil vnquam locuta est, quod à verbo hoc diuersum fuerit, aut discrepans. Omnia

Incarnatio Verbi ædificauit genitricem.

Maria locutio, & conuersatio cœlestis semper & vbique.

Psal. 61. 11.

Luc. 10. 38.

Ioan. 1. 14.

quidem verba verbo huic consentanea, ac condecentia. Quam ergo longè fuit Maria ab antiqua illa confusione linguarum, vt fabrica eius à Deo impedita censeatur: è contrario quanta sublimitate erecta existimabitur ea, in qua, ad sui nominis euectionem, & gloriam vnicum suum posuit Verbum Deus? Hac vtique arte summum virgo hæc peruenit ad cœlum.

Nemo repè te absque præuia ædificatione in cœlum assumitur.

Cum autem matrem suam ordine hoc euectam statuerit Deus imitandam cunctis: supereſt dispiciendus modus ex duobus propositis vltimus, quo ascendit homo totus simul & semel instar alitis, vt liqueat iam, quænam fuerit causa impediens fœminam illam, quam videns Zacharias, his de- Zach. 5. 6.
scripsit Verbis. *Hæc est amphora egrediens. Et ecce talentum plumbi portabatur: & ecce mulier vna sedens in medio amphoræ. Et dixit Angelus. Hæc est impietas, & proiecit eam in medio amphoræ, & misit massam plumbeam in os eius.* Mulier ergo illa, impietas nomine, in medio amphoræ sedebat; quam vidēs Angelus partim intra amphoram, partim corpore eminentem, comprimens reclusit eam, serans os eius plumbi talento. Deinde accesserunt alatæ duæ fœminæ habentes oculos in alis, quæ accipientes amphoram, portauerunt mulierem, volantes inter cœlum, & terram, donec sisterent eam in Sennaar locum Babylonis. Hieroglyphici intellectus adeo obtrusus est, vt difficulter sit Doctoribus notus. Litterales Hier. in c. 5. Zachariæ. Rup. ibid.
sensus ob angustiam temporis omitto; quos qui scire desiderat, legat, quem dixit Hieronymus, vnum, in commentariis Ruperti Abbatis alterum. Misticos indagabo nūc ego, Zach. 5. 9.
eò quòd nostrum fulciant propositum. Prosequitur textus, *Ecce duæ mulieres egredientes, & Spiritus in alis earum: & habentes alas quasi alas Milui, & leuauerunt amphoram inter terram, & cœlum, vt ædificetur ei domus in terra Sennaar.* Hieroglyphici huius intellectum triplicem inuenio; iuxta lectiones tres circa has Milui pennas differentes. Prima lectio est Simmachus in Zach 5. 6.
Symmachi, Theodotionis, & Aquilæ, qui legunt *Alas Herodionis*: auis varias habentis pennas, nigras, albas, variegatas. Iuxta quam lectionem, arbitror scripturæ mentem esse, Theod. ibi. Aquila ibidem.

Dubia virtus non virtus.

indicare, dubiam impietatem, aut virtutem, id est, de qua dubitatur, sitne virtus an vitium, impietatem esse reputandam. Non loquor nunc de alienis operibus; sed de illis, quæ

à nobis admittenda sunt, aut reiicienda. Nam eo ipso quod dubia sint, non possunt licitè executioni mandari. Esse hũc genuinum Hieroglyphici sensum, colligo ex tribus, quæ sedenti in amphora impietati adscribũtur propria. Primum est, mulier impietas ostenditur gradiens inter cœlum, & terram, nec descendens, nec ascendens; tandem nihilominus cadens in Sennaar; quæ est dubij operis conditio. Hoc enim etsi non videtur planè descendere in infernum, tamen nec in cœlos videtur ascendere: sed tandem deuenit ad inferos. Eo vel maximè, quòd auctore Bernardo, *In via* Bernar. *Dei non proficere, deficere est.* Secundum est, positum in fœminæ ore plumbi talentum, quo fictam argenti simulat speciem, dissimulat plumbeam, apparentem ostendens de foris fulgorem, qui est plumbi fallacia. Et hoc quidem ex parte ipsius impietatis in amphora sedentis. Tertium est, similis huic fictio ex parte duarum fœminarum, quæ inter cœlum, & terram portabant amphoram. Fictio enim hæc, fallaxque simulatio designatur illarum varietate pennarum, quæ propriæ sunt Horodionis. Modus ergo hic ascendendi in cœlum non est verus, sed fallax. Verus modus est ille, quo ea, quæ planè, ac manifestè sunt iusta, exercet planè & verè, quisquis verè est ascensionis cupidus, & termini. Hæc etenim sanctissima Virgo à Deo nobis exemplar constituta, nihil dubium admisit, nil obscurum, remissum nil, sed quod absque dubio, altioris erat perfectionis, magisque gratum creatori.

Septuag. in Zach. 5. 6. Secunda lectio est Septuaginta interpretum, qui legunt *Alas Vpupæ*, auis spurcissimæ, & in omnem affectissimæ immunditiam. Iuxta quam lectionem, hunc sic locum intelligo. Siste, Pater: expecta pauliſper. Iam dixisti interpretationem primam, dicis item tertiam, sine nos dicere secundam, fortasse rem perspicuè magis, quàm Theologi agnoscimus, qui non allegoricos, nec intricatos inquirimus sensus, sed pingui Minerua res, & verba, vt sonant intelligimus. Quid est opus ambagibus? Satius, fatere planè, has fœminas tres verè, & propriè esse tres mulieres veras, & naturales: vnam impudicam, quæ media est: duas collaterales, libidinis ministras, sine vmbellas. Mulier sedens in amphora, est illa, quæ sedet in suæ libidinis mensura: Angelus eam intra

Libidinis ministra fœmina, & leones.

Vna muger libidinosa entre dos quitasoles.

intra amphoram intrudens, est eius mulieris pater, mater, germanus, soror, tutor, aut cognatus, qui comprimit eam renitentem; aut etiam gubernator, aut iudex. Quiuis enim eorum, quicumque ille sit, Angeli fungitur officio, & titulo fruitur Angeli. Actus verò ille, quo fœminæ os plumbea obstruitur massa, est violenta fœminę cohibitio; quam Hispani dicimus; *Atal muger ahogalla.* Videns ergo se mulier sic occlusam; hac resipiscentiæ vtitur arte; committit se fœminarum manibus duarum, quæ eam ferant in Sennaar, turpitudinis locum; vt quæ subtiles habent pennas, ad gerenda huiusmodi negotia, operiendamque commissam eis fœminam: & quæ in alis etiam habent oculos, ad speculandum, quis intret, quis exeat; quem caueant, quem admittant, dum fœmina illa intra mensuram est concupiscentiæ, adusque summersa. Facit huc mirificè verbum illud, *Spiritus erat in alis earum.* Pulchra quidem ars explicandi conceptum. Etenim euidens inter portantes, & portatam mulierem indicatur discrimen. Illa quippe fœmina, quæ in amphora est, mensuram amphoræ nimia turpitudine transgreditur, affectu turpis, & effectu. Illæ verò duæ, quæ eam ferunt ad lasciuiæ suæ complementum, cùm variis de causis effectu lasciuire nequeant; sunt affectu turpissimæ: siquidem eam, quam corporibus propriis libidinem exercere non possunt, curant vt aliæ compleant suis; quæ est proprius lenarum Spiritus. Hoc est, quod dicit textus iste. *Spiritus in alis earum.* Est lasciuiæ spiritus, non vsus. Est turpis spiritus in alis, ad ferendas, illiciendas, instigandas fœminas alias in id turpitudinis genus, quod ipsæ per se nequeunt exercere. Illud admirandum; quod habent alas istę, ad ferendam inclusam amphora mulierem. Quidnam faciunt pennæ istæ? Teguntne fœminam, an detegunt? Sanè promissio operiendi est, ac occultandi illud, in quod inducunt fœminam, dedecus; at vix extensis ad operiendam maculam pennis; ad manifestandam, publicandamque vtuntur, portantes fœminam inter terram, & cœlum; vt nemini occulta sit labes. Portantes (inquam) ac propalantes, non solum in oculis hominum terrestrium; sed in auribus etiam spiritualium; qui in scripturis cœli nuncupantur. Tales enim mulierculæ adeo Zach. 5. 9.

affectæ impudicitiæ, quomodo linguam compriment, quin de hisce rebus, quocumque ingrediuntur, garrulæ loquantur? Quid ais, Patet? Quid tibi videtur? sciuntne Theologi tale aliquod genus interpretandi? Fateor; expositio aurea est; nata, atque legitima: ea tamen, quam ego etsi non in materia libidinis omni in materia, in communi scilicet dicere intendebant. Nempe textu hoc designari personas, quæ non contentæ si dent se in tartara præcipites, alias post se ferunt prauo exemplo, illecebra consilio, aut remissione in exequendo debitum munus erga eas. Est ergo conclusio generalis; huiusmodi vitam non ascendere ad cœlos; sed potius vtrasque personas, latas, & portatrices, descendere in Sennaar, inferni lacum in æternum. Quapropter ad expositionem tertiam accedamus.

Præparatio mortis heredibus minime committenda.

Hier. in Zach 5.6.

Tertia igitur lectio est, quam habet Vulgatus, legens *Alas Milui*, iuxta nomen Hebraicum, quæ teste Hiero. auis rapax est, atque pullorum insidiatrix. Iuxta quam lectionem sic intelligo textum. Mulier sedens in amphora est persona quæuis sedens in propria mensura, quæ est fossa sepulchri; cùm omnium mensurarum hæc propriissima sit, quippe quæ ad normam hominis facta. In hac sedet homo quandiu viuit; cum semper (vt aiunt) sit vno in fouea pede quouis tempore. Homo hic minimè quidem incipit, iter cœli capere, dum viuit; sed disponit ascensum faciendum eo tempore, quo inclusus sit totus in sepulchri amphora, ibi morte reclusus. Pro qua ascensione committit se manibus fœminarum duarum, quæ sunt diligentia executorum testamenti; & hæredum obligatio, quæ post mortem eius portent animam in cœlum. His relinquit talenta argenti & auri, reliquasque fortunas, quibus animam eius in cœlum ferant diligenti debitorum solutione, eleemosynis, suffragiis; solum retinens secum plumbi talentum, quod, esse pondus peccati, constat ex libro Exod. Ezechiel, & Psalmorum: atque ex Origenis sententia. Incipiunt ergo fœminæ istæ, nempe diligentia, & obligatio, quoad in se est, attollere defunctum versus cœlum; apparenter tamen, quatenus adhibent suffragia: sed verè tendit miser ad infernum; ob plumbi pondus, quod tristem peccato aggrauat animam; nihil proficientibus ei alis Milui, alas execu-

Exod. 15. 10. Ezech. 22. 18. Psal. 37. Orig. hom. 6. Exod. & in Isa hom. 6.

torum, & hæredum; in quibus multos ipsi habent oculos ad colluſtrandum auidiſſimè, quidnam poſſint ex bonis ſibi rapere defuncti. Quod cùm ſolertiſſimi explorant, concutiunt alas, iniicientes ſe in prædam, ſinenteſque ſui defunctum pondere plumbi ruere in Sennaar; hoc eſt, in tartara. Quicumque ergo ita ſe gerit, & ita viuit, vt aſcenſum in cœlos remittat ad obitum, deceptus eſt, nec ad cœlos aſcendet: cùm ſit ſtultiſſima præſumptio, quòd cùm Dei mater totum vitæ curriculum in cœleſtem inſumpſerit aſcenſum: velint alij aſcendere in momento inſtar volucris; vt excuſet laborem caſtelli conſtruendi, contingens fateor eſt aſcenſus, ſed rarus temerariaque aſcendendi ad cœlos dilatio.

At verò, cum aſcenſionem virginis pro audientium imitatione, formaque Euangelij allegorico ſenſu dixerimus; operepretium eſt, vt pro epilogo, narremus eam litterali ſenſu, ſeu hiſtorico.

Exequiæ funeris B.V. Igitur creaturæ omnes, & ipſe imprimis creator, iter amabiliſſimæ Reginæ, quo in proprium iret regnum, alacres diſpoſuerunt. Quin etiam ſacratiſſimum corpus eius ſua habere in ſphera intenderunt omnes; magnamque ſuper ſepulchro eius mouerunt litem; qua allegabat quoduis tam ex elementis, quam ex cœlis, diuinam hanc dominam ad ſuam pertinere ſpheram. Terra allegauit ius eſſe plebanis, vt vicini in propria humentur paræcia; atque adeo defunctam hanc ad militantem Eccleſiam pertinere. Aër pro ſe allegauit, eam ad ipſum magis ſpectare; eò quòd nubis ſit, vt teſtatur Iſaias: atque ideo ſupra nubes omnes collocanda. Regio ignea, ad ſe magis; propterea quòd in conceptu, & partu ignis ardorem ſenſerit nullum; ideoque in igne eſſe collocandam, vt iugi ibi glorificaretur miraculo. Cœlum, corpus, quod mox reſurrectione viuificãdum erat, ſtatim collocandum eſſe in terra viuentium. Filius adduxit teſtamenti matris clauſulam illam, quam ſcripſit Damaſcenus; *Tibi corpus meum, fili, trado, non terræ*: vt ſupra cœlos omnes, iuxta thronum ſuæ locaretur maieſtatis. Propter hæc, vt regio nulla tam inſigni priuaretur honore; in hoc concordes fœdus cõuenerunt; vt in Eccleſia priùs deponeretur

Iſa 19.1.

Pſal.141 6.

Damaſc. ſer. de dormitione Deiparæ apud Simeon Met.

militanti; deinde ad triumphantem transferretur; quo elementa etiam honoraret in transitu.

Dionys de diui nominib c. 3. Simeō Met. de dormitione Deiparæ.

Concurrerunt ergo ad debitas exequias summus Pontifex cum duodecim Archiepiscopis Cardinalibus; nimirum Petrus cum Apostolis, qui per vniuersum erant orbem dispersi, vt testatur Dionysius, & scribit Metaphrastes: Omnes item Episcopi, nempe Christi discipuli, cum innumeris aliis cognatis, & notis. Omnesque cœlestes Hierarchiæ, Angeli omnes, arenæ maris numerum excedentes. Positum itaque est sacratissimum corpus in feretro illo, de quo cecinit sponsa; *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis libani; reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constrauit.* Et quoniam virgo hęc nullius criminis est conscia; exornatum est cadauer eius eo more, quo solent triennes virgines sertis frontem redimiri, componentibus ei floream Angelis coronam ex adducto ab horto Pheaciæ genista, [1] suo & pallore, & sua amaritudine, mortem referente; sua tamen amœnissima fragrantia mortem singularem, & gloriosam; ex rosis [2] item adductis à Pesto; Gariophyllatis; [3] ex Thuria floribus; candidis ex Roma [4] liliis; ex Lycia [5] Narciso; peleciis [6] ex Aransuez; variis violis ex Hibla, ex India [8] Nardo, & virenti [9] Lauro ex Parnaso. Quam gloriæ Rex, filius eius dilectissimus, propriis coronam manibus accipiens capiti imposuit ipse genitricis, cùm funeri eius interesset, vt scribunt Sophronius, Athanasius, & Anselmus. Cūque Virgo ipsa viua rosa sit, ibat adeo speciosa, vt flores ipsos capite potius eius exornari, quàm floribus illud diceretis. Tunc aduenit crux, non nigro velamine, sed rubeo mirificè plumato, quam gestabat nobilissimus Principatuum inter Angelos duos ceroferarios: & Archangeli duo aurea gerebant thuribula ex purissimo Arabiæ auro, in quibus magna prunarum pars erant Seraphini candentissimi, pastellæ verò confectæ ex floribus virtutum: virtutum eiusdem defunctæ, cum stillata ex Angelis aqua.

Cant. 3. 10.

Hipotkyposis.

1. Statius Retama. 2. Vergil clauellinas. 3. Plinius 7. Politanus in Ambr. 8. Horatius. 9. Vergil. Georg. 2. Soph epi. 2. de Assumptione. Atha. serm. de sanctissima Deipara. Ansel de excellentia Virginis.

Ergo adstantes parochi, qui erant Apostoli, partim sacratum feretrum reuerentissimè acceperunt, partim cantum incœperunt, non responsum illud: *Ne recorderis peccata mea,* cùm defunctæ huius nullum vnquam fuerit peccatum: Sed

potius, *Recordare Domine matris tuæ*: prosequentibus nouem Angelorum choris musica suauissima. In eleuatione autem corporis magna est virorum, ac mulierũ facta commotio, lacrymas stillantium inter gaudia: omnesque certatim tangebant reuerenter feretri pedes: Vbi cœci sunt illuminati, surdis aures apertæ, consolidatæ claudis pedum bases: & quiuis morbus sanitate commutatus sicut scribit Metaphrastes. And. Cret. encomio 2. de dormitione. Simeõ met. orat. de dormitione Deiparæ.

A domo defunctæ, quæ vt Andreas Cretensis scribit, erat in Sion vsque ad Gethsemane, vbi erat sepulchrum, ornauit terra transitus vias, formans calles quosdam ex arboribus, consitis secus illimium ductus aquarum. Primus callis erat ex fragrantibus cederis, adductis ex libano 2. excelsis ex cupressis, adductis ex Cylene 3. ex directis palmis, latis ab Idumæa 4. ex viridibus platanis, adductis ex Heluetiis 5. ex vernantibus salicibus, ductis ab America 6. ex speciosis oliuis, translatis à Beati 7. ex stillantibus balsamum arboribus, propriis ipsius Iudææ 8. extensis ex Terebinthis transplantatis ex Oricos 9. ex bicoloribus Populis præstiti à Thessalia: calles nouem, pro totidem sacratissimæ Deiparæ gressibus, quos nouem festis Ecclesia commemorat. Factaque est in quolibet callium statio vna, pro nouem his eiusdem Deiparæ stationibus. Sic ferebatur purissimum corpus alacriori iubilatione, quàm arca quondam testamenti in humeris sacerdotum, diuisis Iordanis fluminis aquis. 1. Sedulus. 2. Ouidius. 3. Vergil. Georg. 3. 4. Plin. lib. 12. c 3. 5. Plin lib. 24. c. 9. 6 Martial. 7. Vergil. 2. Georg. 8. Verg. 10. Æneid. 9. Ouid. 1. Metha. Ioſ. 3. 14.

Peruenientes ad Gethsemane, sacratissimum corpus sepulchro mandauerunt; nec discesserunt inde, tum, vt suauissimo consortio eius, tum, vt diuina Angelorum fruerentur harmonia.

Instabant autem obnixè cœli omnes ante Dei tribunal, pro translatione thesauri, qui eos affatim ditaret, ingentique afficeret gloria. Concessit ille libentissimè: atque ita diuina illa anima sacratissimo corpori reünita est die ab obitu tertia, vt narrant Chronologi, & scriptores: vtque indicarunt linteamina vacua corpore in sepulchro inuenta, quando ad ferum Thomæ aduentum, vt videret cadauer, fuit à discipulis apertum. Diony. Ioan. Damasce. Simeõ met. orat. de dormitione Deiparę.

Inde igitur prosecuta est iter suum viua iam Domina,

Andr. Cret. encomio. 2. de dormitione Deiparæ.

per aëris regionem; quæ se, quam maximis potuit, compositum ornamentis. Fecit itaque à terra amplissimum ad ignem callem; pro cuius introitu posuit quadricolorem iridem, triumphalem arcum, debitum Virginis Victoriis. Callis vero totus Arabicis erat tapetibus stratus, contextis ex crassioribus nubibus, vario depictis colorum aspectu. Pro parietibus posuit polymytæ aulæa plumaturæ, cœlestium Phrygionum manibus illustrata; tantò perfectiora regalibus, quantum natura excedit artificium: cùm Regia illustrati operis aulæa, ad aëreorum imitationem conficiãtur. Illustrandi enim hæc est ars apud Phrygiones. Accipiens plumator auri fila, distendit ea album super linteum, totum vndique filis his contegens. Deinde bombycinis varij coloris fibris, quas acubus multis habet insertas, super distinctum laborat aurum; accipiens nunc acum vnam, nunc aliam, quibus opus illustrat variegatum; nunc splendoribus, nunc vmbris, variisque tonis, & aspectibus. Sic viri, aut fœminæ efficit effigiem; corpus, vultum, indumenta, ita, vt naturalem dixeritis personam: lucos naturales, hortos, montes, flumina, cæteraque id genus ornamenta. Sic plumatum linteum interscisis vacuis plumaturæ partibus superponit serico gausapino, pretiosæve telæ circumuniens lintei oras bombycino funiculo; cui aureum alium superponit: & hunc quidem plumaturæ mensura longiorem, vt eas, quæ funiculorum partes supersunt, ducat elegantibus super telam nexibus, ac gyris. Sic totum formatur opus vltima tandem perfectione. Quidnam est opus hoc, nisi fucata variis nubes coloribus? Aspicite attentè Orientis solis tempore, & multo magis tempore Occidentis eleuatam nubem byssо candidiorem; videbitis mox totam auro contegit, solis perfusam radiis; quam sic deauratam conspectantes, videbitis rursus splendoribus multis variegari; vt nil possit speciosius, nil elegantius reperiri. Quis non videat, huiusmodi nubem prototypum esse, vnde sumpsit ars formam aureæ illustrationis? Ergo hodierna die eleuatas in forma parietum nubes, aureis Apollo filis suorum decorauit capillorum. Deinde accepit septem acus; quæ

Aëreæ regionis ornamentum pro B.V. assẽsu.

Tapices de oro matizado.

Arte de matizar.

Per filacõ torçal de seda. Forha la obra con ottotorçaloc oro.

sunt pleiades septem ; quas si curiosè susspicitis , proprium septem acuum dicetis pluteum , à quibus, vel , vt bombycinæ fibræ varij pendent aspectus influentiæ ; quibus deauratas iam nubes Phœbus ipse illustrauit splendoribus multis , tonis , & figuris ; vt spectantium oculi hæreant absorpti. Sic laboratas nubes superposuit aër argenteis telis , quæ sunt niues cacuminum delineans rubenti oras funiculo , & efformans aureo ; quem super reliquum niuium distorsit spatium. Totum præterea opus grandineis ornauit margaritis. His aulæis positis , fecit vmbracula , seu tecta de alis Cherubim , intermistis pennis passerum , concurrentium ex China , vario colore florentissimi in eodem erant aëre suspensi , nitentes pennis suis prorsus immotis , tantæ Reginæ absorti Maiestate.

Almohadilla , o vastidor de siete agujas.

Saco los gyras pes de oro sobre latela hazrendo lazos.

Sic ex ornato tramite , posuit pro festiuis tædæ pyris exhalationes accensas : pro luminaribus fulgetra : pro bombardarum sonitu , tonitrua : fulmina pro coëtis volatilibus , alijsque ignium inuentionibus , quibus eadem nocte post transitum Dominæ , reliquias festi celebrauit.

Incipienti igitur ascendere Deiparæ , præcedebant Angeli , iucundis tibiis placidè resonantes , fistulis , buccinis , & tubis ; necnon psalteriis , tympanis , citharis , sambucis. Quos alij sequebantur Angeli , cœlica harmonia concinentes ; quorum prouocatione passerculi innumeri suauissimis vocibus disijciebantur garrulantes. Deinde omnes procedebant cœlicolæ , viri , ac fœminæ , numero inenarrabili , exornatissimis indumentis collucentes. Post omnes tandem ipsa omnium Regina humeris thronorum euehebatur , comitante eam vnigenito , Regia Maiestate.

Ordine hoc transacta aëris regione , peruentum est ad igneam. Quæ non secus ac mare rubrum pro transeunte Dei populo , diuisa est in partes duas , iter præbens expeditum , igne ; quem applicuit totum plenis odoramentorum thymia materiis , quibus tota suauissimè fragrabat Regio. Sic tandem ad cœli ianuam gloriosè per-

Exod. 14. 21.

uenit: Vbi eam relinquimus, ne concionis nostræ transgrediamur spheram. Sed ô Virgo diuina, mater, & lux nostra! *Reuertere, reuertere, vt intueamur te.* Conuerte ad nos purissimos oculos; qui magnetis sunt oculi, trahentes nos post te in tuorum odorem vnguentorum. Retrospice in nos, filios tuos; simulque Dei nobis impetra gratiam, vt & nos filij tui, nostros semper in te oculos intenti coniiciamus. Attendamus ad te, exemplar nostrum; vt quemadmodum tu per modum ædificij in dies increscentis, ad thronum filij tui peruenisti; sic & nos imitantes ascensum tuum, ad eiusdem Domini pedes perueniamus. Cant. 6. 12.

IN

IN ASSVMPTIONE B. VIRGINIS MARIÆ.

SERMO III.

De apparatu, quo Regina cœli in cœlo ipso recepta est; deque glorioſa corona eius.

Intrauit Ieſus in quoddam Caſtellum. Luc.10.38.

GLORIOSISSIMAM Reginæ cœli acceptionem, qua in cœlum ipſum recepta eſt, impoſitamque capiti eius coronam inſpecturi, eas nos in cœleſti templo facere hodie rimulas oportet, quas fecit in terreſtri Ezechiel, vt ea, quæ intus agebantur, inſpiceret. Ait enim Propheta ille hæc, quæ referam, verba: *Emiſſa ſimilitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei; & eleuauit me ſpiritus inter terram, & cælum; & adduxit me in Hieruſalem in viſione Dei. Et introduxit me ad oſtium atrÿ; & dixit ad me, fili hominis, fode parietem, & cùm fodiſſem parietem, apparuit oſtium vnum. Et dixit ad me, ingredere, & vide abominationes peſſimas, quas iſti faciunt hîc.* Ezech.8.3. Hodie conſtituit nos Deus inter terram, & cœlũ, vt obeuntẽ in terra matrẽ ſuam aſpiciamus; ſimulque exceptam in cœleſtibus, ibique gloria, & honore à Patre, filio, ac Spiritu ſancto coronatam. Quod ad obitum attinet alia iam perſpeximus concione; necnon concione alia aſcenſum ipſum, quo humano à territorio vſque ad cœleſtes fores euc-

cta est; Præsenti hac concione supereſt cõtuenda gloria illa, qua in cœlestibus excepta foribus, ad gloriæ thronum penetrauit; ibique summo fuit applausu coronata. Sed quonam modo intueri ego potero glorioſiſſimam hanc celebritatem, quæ à cœlesti ianua, & ſurſum coruſcat, cùm relinquar in terra; ex qua ſi, quod ſummum poſſum, aſcendam Spiritu, vſque ad aërem, cùm plurimum, aſcendero; mens ſuſpenſus inter cœlum, & terram? Quid faciam? In id, quod fecit Ezechiel, ad inſpiciendum ea, quæ in clauſo illo tẽplo fiebant? Aggrediarne, cœleſtem murum terebrare? Quo inſtrumento? Qua arte? Sanè, ſi inueniatur ars, aut inſtrumentum; multæ in terrâ hodie cadent cœli particulæ. Quidnam, niſi terram elicuit Ezechiel, quum templi illius fodit parietem? Quid, niſi terra à talibus potuit cadere parietibus: parietibus templi, in quo execrandæ indignitates apparebant? Quod ſi ita eſt; quid, niſi cœli fruſta hodie cadẽt in terram, ſi cœli murum excauare potuerimus? Sed ô Mariæ largitatem? Eſt vtique, fratres inſtrumẽtum; eſt quidem & ars, qua cœli parietes diſrumpamus. Aptum inſtrumentum eſt oratio: Dicat Eccleſiaſticus, *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit: & donec propinquet non conſolabitur*: id eſt, non quieſcet. Cui enim propinquabit, niſi Deo? Explicat contextus verbis illis: *Non diſcedet, donec Altiſſimus aſpiciat.* Ergo poſt penetratas nubes, cœlum penetrat oratio. Quid ſi humilis oratio gratiæ aſcendat adiuncta? Nonne ad cœlorum interiora penetrabit? Sed quiſnam dies eſt, in quo Patrona noſtra tantum nobis impetret gratiæ, quantum hodierna adipiſcitur die? Dies vtique eſt, in quo non terebrando conſpicimus ea, quæ ſupra cœlos celebrantur; ſed magna cœleſtis muri diruptione. Quid enim aliud ab ingrediente cœlos Regina potuit in terris expectari, quàm, vt ingreſſu ſuo rumpens cœli muros, cœlicas in terram glebas deijciat non exiguas? Cadunt hodie in terras glebę ingentes cœli, quibus & terra, & nos locupletamur. Tamen, vt ea, quæ in cœlis geruntur hodie, conſpiciamus, eoſque ad conſpiciendum, penetremus: gratia ante omnia opus eſt; & ad gratiæ auxilium humili oratione, qua Reginam ipſam ſalutemus, dicentes.

Maria in Assumptione particulæ cadunt muri cœleſtis.

Assumptionis Mariæ feſtiuitate cœleſtis muri candunt particulæ in terram.

Eccl. 35. 21.

AVE MARIA.

Gloria cœlestis minimè potest à viuentibus in terra cognosci.

Beatitudo cœlestis nullatenus ferè intelligitur mente hominis viuentis in terra.

Deus summa beatitudo obiectiua, sine quo nulla est beatitudo.

Lex noua quod charitatis sit lex, valde superat veterem.

QVàm eleuata sint à viuentiũ in terra hominum captu ea, quæ in cœlo iustis præparata sunt bona, eisdẽ verbis in vtroq; Deus affirmat testamẽto. In 1. verbis Isa. *A seculo non audierunt, neque auribus perceperũt: oculus non vidit Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te.* Quid est, Deus absq; te? Est quidem plane dicere; quandiu absque tuo conspectu viuit homo, minimè profecto potest videre ea, quæ illi præparasti. Nam, quæ præparasti ei sunt in te ipso; imo tu ipse sunt, atque ita absque te non videt ea, quæ ei præparasti, quantauis alioqui conspiciat. In testamento nouo Apostoli verbis, *Oculus nõ vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascẽdit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum.* Eadem ferè sunt vtriusque verba, præter vnum illud, Deus absque te, quod est Isaiæ: & illam etiam per mutationẽ extremi verbi, quod apud Isaiam est *expectantibus*; *Diligentibus Deum* apud Paulum. Quoniam in nouo testamento ea, quæ sunt dilectionis scribuntur; cùm expectata scribantur in veteri. Crescit hominum dignitas in noua supra veterem lege, quantũ chara supra expectationẽ dilectio. Nunc rogo; si tam grandia sunt, quæ expectantem hominem expectant, suntq; longè altiora, quæ expectant amantem: quænam erunt illa, quæ expectantem, amantem, & parentem credemus expectare? Quæ sunt expectantibus parata? *A seculo non audierunt, nec auribus percepere mortales*: at præparata diligentibus, nec in cor quidem hominis ascendunt. Quo igitur vsque perueniet hodie Deiparæ gloria; si illam, quæ amanti cuique præparatur, hominis cor nequaquam potest indagare?

Isa 64 4.

1. Cor. 2. 9.

Attentemus, si oculis videre placet, eum, quo cœlorum Regina excipitur in eis, apparatum, exultationem, gloriam, celsitudinem. Accedamus omnes ad cœli ianuã ascendentes, vt ea, quæ intus hodie geruntur intueamur. Ostẽdit nobis B. Ioannes cœlestem illam ciuitatem, qualis ei à Deo ostensa est. *Et erat structura muri eius ex lapide iaspide: ipsa vero ciuitas aurum mundum, simile vitro mundo. Et fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioso ornata. Fundamentum primum iaſ-*

Apoc. 21. 18.

pis, secundum sapphirus, tertium calcedonius, quartum smaragdus, quintum sardonix, sextum sardius, septimum Chrysolithus, octauum beryllus, nonum topazius, decimũ Chrysopraſſus, vndecimum hyacinthus, duodecimum amethiſtus. Mirum, quòd cùm tam sint pretiosi fundamentorum lapides, iaspidis sit, qui super eos eminet, paries. Nam quæ in parietibus eminent petræ, pretiosiores petris in fouea absconsis esse solent. Numquid iaspis pretiosissimus lapis? Est quidem lapis pretiosissimus iaspis. Quæ lapidem hunc summè faciũt præstabilem, sunt tria. Primum color, seu adspectus; in quo vniuersi vniuntur colores, mira resplendentes varietate. Secundum est, cohibens fluentem sanguinem virtus; quam Georgius Benetus testatur. Estque pulchrum indicium, appositaque significatio, qua innuitur cunctis, nullam à cœli muris & vltra esse iam fundendo locum sanguini, sed sistere ibi sanguinem omnem, qui in terris fundi solet. Nihil enim ab illinc cruentum est iam, nihil aut morti subiectum, aut morbo; sed æterna deinceps immortalitas. Tertium est gratia. Nempe lapide hoc gratiam conciliari persuasum est multis, vt Pierius est auctor. Quod sciens Poëta, ideo Ænæam apud Didonem Reginam plurimum gratiæ inuenisse, ait, quòd ensis eius iaspeus esset capulus. *Illi stellatus iaspide fulua ensis erat.* Quo quidem innuitur, primum ad ingressionem cœli requisitum esse Dei gratiam. qua destitutus, ne ad murum quidem quispiam potest accedere; quanto minus, introire?

Iaspis lapis pretiosissimus.

Iaspis restringit fluẽtem sanguinem.

Georgius Benetus in cant. 3. c. 2.

Beatitudinis locus nõ est fundendo sanguini locus.

Pier lib 41. c. Iaspis.

Vergi 4. Æneid.

Gratia necessaria ad cœli ingressum.

At, quamuis, qui Deo grati sunt, ad muros hos peruenire possint, nulli tamen in terra viuenti, quantumuis grato, conceditur, intra muros progredi, vt ea, quæ intus fiunt, intueatur. Quomodo igitur grandem hunc apparatum, quo excipitur Virgo, perspiciemus? Sed esto, nobis propter honorem tanti festi concedatur, hodie per murorum rimulas, imo per ruptos muros intueri; quo vsque perueniat adspectus, vltra ea, quæ muris intrinsecùs vicina sunt? Est autem iuxta murum mare quoddam magnum, quod Ioannes ipse his describit verbis. *Et vidi tanquam mare vitreum, mistum igne, & eos, qui vicerunt bestiam, & imaginem eius, & numerum nominis eius, stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei, & cantantes canticum Moysi, serui Dei, & canticum Agni.* Fa-

Beatitudinis vestibulum quale.

Mare vitreũ cœli vestibulum.

Apoc. 15. 2.

Mare in cœlo vitreum cur aqua igne mista.

teor mirabilem delectationem, videre, etiam per rimulas, vitreum hoc mare mistum igne, in quo tot elegantissimorum millia hominum recreantur; prouocantium citharis suis cœlestes illius maris pisces ad iucundandum, & saltandum alacriori longè iubilatione, quã in nostro pisces ebulliunt mari, diuagati. Recreantur profectò exultatione in enarrabili in misto illo aquæ, & ignis pelago; eò quòd adamantina illa cœlestis maris aqua mista sit ardenti ærumnarum igne, ac tribulationum, quibus validissimi viri, fœminæ constantissimæ hostilem bestiam peruicerunt. Ideo enim eorum ibi augetur gloria, quòd per ignem & aquam transeuntes, gloriæ inhiauerunt creatoris. Ideo & mari illo ignem aquæ misceri oportet, in transactarum recordationem angustiarum, quarum recordati, dulciter concinunt beati: *Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti; annis, quibus vidimus mala.* Quinam aspectus adeo delectabilis depingi potest, ac maris huius, ignei simul, ac Crystallini, pleni iucundissimis viris, elegantissimis fœminis, eisque honestissimis, perpetua oblectatione iubilãtibus? Nihilominus paruam quidem hodierni festi videmus partem, dum nihil vltra videre conceditur. Quoniã *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te.* Huc vsque enim non est repræsentata Dei visio: non ergo sunt hæc, quæ expectatoribus suis Deus præparauit. Quod summum hic ostenditur, sunt instrumenta illa, quæ vocat textus *Citharas Dei*: at nondum ostenditur dicitur Deus ipse.

Tribulationes huius seculi ignis sunt, quo Crystallinũ cœli mare decoratur.

Tribulationes huius vita magnã in cœlis afferunt beatis voluptatem.

Psal. 89. 15.

Simile.

Nec ideo moneo vos, vt à rimulis his statim discedatis. Potest enim per eas audiri musica psallentium his Dei citharis; quæ cùm iugiter suauissima sit, iucũdiori hodie ad ingressum Reginæ resonat suauitate: *Habentes citharas Dei, & cantantes canticum Moysi, serui Dei, & canticum Agni, dicentes; magna, & mirabilia sunt opera tua, Domine, Deus omnipotens: iustæ, & veræ sunt viæ tuæ, Rex seculorum. Quis non timebit te, Domine, & magnificabit nomen tuum: quia solus pius es? Quoniam omnes gentes venient, & adorabunt in conspectu tuo; quoniam iudicia tua manifesta sunt.* Quomodo concordat canticum hoc cum Dauidico Psalmo, quo canebat: *Iudicia tua abyssus multa?* Ecce hodie iudicia non in profundo abscondita abyssi, sed in maris, superficie manifesta conspiciuntur,

Apoc. 15. 2.

Iudicia Dei profundo in mari, dum viuimus, abscondita, in cœlesti mari manifesta sunt, emergentia ad maris superficiem.

Simile.

& fulgent: sanè dum procellis reuolutum est mare; omnes pisces submerguntur in fundum; emergunt ad libellam, quum viget clementia. Mundus hic mare est totus; totusq; procellis semper turbatus, adeo, vt iusti homines in profun-
2. Cor. 11. 25. do sint, sicut fuit Apostolus, qui dixit; *Nocte, & die in profundo maris fui*, maris quidem naturalis. Sunt in profundo turbinum iusti: in profundo abiectionis, humilitatis ærumnarum; in profundo absconditi, & igniti; atque adeo pariter sunt absconsa Dei iudicia in eodem abyssi profundo; non callentibus nobis iudicia ista, quibus disponit Deus, ita pios homines submersos dehonorari; emegere impios, & florere. Cùm autem in cœlesti illo gurgite perpetua vigeat clementia; emergunt iusti, & iustæ; gaudentque, ac collætantur, stantes in gurgitis planitie; ac consequenter ipsa Dei iudicia ad eandem emergunt superficiem, vt quibusuis cœlum introeuntibus statim pateant. Estque diuina hæc Dei iustitia, ac prouidentia gratum simul, & vrgens hominibus à fundo emersis incitamentum cantandi semper canticum istud; *Iudicia tua manifesta sunt*. Audiuntur ergo canticum Moysi, & Agni canticum, dulcisono concentu resonantia. Duarum vocum canticum est; iucũdissimum duo. Canit Christus altum; bassum Moyses: nam altus quidem superior est vox, inferior bassus. Tales sunt Christi, & Moysi. Vultis agnoscere Mosaycam vocem esse inferiorẽ, Christi, & Moysi. Vultis agnoscere Mosaycam vocem esse inferiorem, Christi supremam? Perpendite verba: *Cantabãt canticum Moysi, serui Dei, & canticum Agni*. Moysem nominat seruum, agnum Christum; quem & Dominum vocat, gloriæ Dominum. *Vidi, & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & seniorum, & erat numerus eorum*
Apoc. 5. 11. *millia millium dicentium voce magna, dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem*. Quam quidem Moysi, & Christi disparitatem expressit & Apostolus, dicens. *Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius, tanquam famulus, in testimonium eorum, quæ dicenda erant: Christus verò, tanquam Filius in domo sua, quæ domus sumus nos, si fiduciam, & gloriam spei vsque ad finem firmam retineamus*. Est autem hæc vocum concordia ea ipsa, quæ est veteris concordia legis, &

Lex noua, & vetus voces sunt dua, quarũ superior vox noua lex est, inferior vetus Christi cum Moyse collatio.

Moyses cum Dei Filio collatus, lõgè inferior est.

Testamenta duo omnino concordant.

nouæ: veteris,& noui testamenti. Nam Moses priscam cecinit legem,nouam Dei Filius;summa vterque vocũ compositione.Summa etenim est vtriusque conuentio testamẽti. Nec prætereundum Pauli verbum: *Moyses fidelis, tanquam famulus,in testimonium eorum, quæ dicenda erant.* Quoniam profectò Moysi canticum testimoniũ fuit eius, quod à Christo erat accinendum. Quid, si incepit Moyses priùs, quàm Christus? Numquid Mosis vox ideo erit præcipua? At qui talis videtur. Nam præcipua in cantu vox illa esse solet, quæ aliis præbet sonum, quem sequantur. Præbuit, (vt videtur) Moysi vox sonitum voci Christi, siquidem cœpit Moysi lex, Christi lex illam est secuta; *Moyses fidelis famulus in testimonium eorum, quæ dicenda erant.* At certè non rarò accidere videmus, vt cùm sublimis vox præcipua sit, & quam sequitur inferior, se ei cõformans, & attemperans; sonet nihilominus priùs inferior, alta subsequatur; nõ quidem ideo, quòd inferior in compositione sit regimen; sed quòd canticci auctor ita voces disposuerit, vt incipiat inferior, attendens sonũ illum, quo suprema statim sonabit. Non secus supremus legum auctor duas has voces ea arte disposuit, vt supremam, quæ Christi vox est, prius mente formans, inferiorem deinde formarit; eo tamen ordine, vt inferior inciperet prius. Non ergo Christi vox Moysi sequitur vocẽ; sed Mosis vox vocem Saluatoris. Sed quodnam Mosis canticum cantant cœlestes isti cantores? Non enim Mosis canticum vnum dumtaxat legimus in scripturis. At certè illud quidẽ est, quod trãsuectus à Deo per rubrũ mare cecinit ipse cum magno illo comitatu. Eductũ enim Israëliticum populum de Ægyptiaca illa, qua premebatur, seruitute, per rubrum Deus mare grandi transtulit miraculo; aperiens in multas gurgitem semitas, per quas homines illi sicco vestigio promissam in terram transierunt. Et quoniam persequentẽ eos Pharaonem cum exercitu suo operuerunt cadentes aquæ illæ, quæ pro Israëlitarum transitu cohibebantur muratæ; ideo, *Tunc cecinit Moyses, & filij Israel carmen hoc Domino, & dixerũt, cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est, equum, & ascensorem proiecit in mare.* Cùm enim illud, quod cœlestes hi musici cantant canticum Mosis, stantes in illo concinant mari, cuius aqua igne mista est, atque adeo rubra, non du-

Lex vetus ad normam ferẽdæ Christi legis facta est.

Cantica Beatorum.

Beatorum musica harmonia.

Exod. 15. 1.

bium est, quin huiusmodi maris symbolum fuerit rubrum illud, quod cum suis Moyses pertransiuit. Quod cùm ita sit; erit quidem illud Christi canticum, quo transiens ex hoc
Ioan. 19. 30. mundo ad Patrem, dixit, *Consummatum est*, quod illico secuta est diuina aquæ, & sanguinis profluens eius ex pectore
Matth. 27. 50. scaturigo, quæ rubrum est mare, per quod transeunt in cœlum quotquot in eis excipiuntur. Dicens enim *Voce magna*, consummatum est; cecinit luculenter, vocem illam suam esse consummationem Mosaycæ vocis, & legis. Cœlestes igitur musici hæc duo semper duabus vocibus concinunt
Deuter. 31. cantica, dicentes: *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est. equum, & ascensorem proiecit in mare.* O glorioſissime cœlorum, ac terræ, & maris imperator! Tu quidem benignus, & pius, tuorum misertus seruorum, ex duro nos iugo liberasti, sæua ex captiuitate, qua nos opprimebant hostes tui, mirabili arte reduxisti. Profundissimum ex pectore tuo gurgitem produxisti, aqua sanguine mista, per quam nos tutos in promissum cœli locum transuexisti. Per sacratissimũ hoc mare magna nos protectione traduxisti, donec in glorioſis his statueris sedibus, in quibus, perpetua exhilaras, perpetua beas, perpetua glorificas conspectus tui fruitione: Tuam grandem hanc, nostramque simul gloriam in eximiam gloriam filij tui ab æterno dispoſuisti: cuius vt in mortali vita certum præberes indicium; Israëlitas tuos per rubrum traduxisti mare à seruitute in libertatem. Ibi hostes tuos rubris suffocasti aquis, in certissimum symbolum, quòd nos, seruos tuos, per procedens tuo ex pectore mare, extinctis esses hostibus traducturus, in requiem hanc, qua vultu tuo absorpti gloriamur.

Mariam in Assumptione quibus canticis exceperint beati.

Quod si Beati omnes, fœminæ, ac viri, concinunt semper gloriabundi duo hæc duabus vocibus cantica, quænam cantabunt in die hac, cùm festum sit insolitum duplex, triplex, ducuplex, millies, & millies ducuplex, digniſſimũque quod inaudita vnquam iubilatione celebretur? Addetur quidem tertia vox, vt sit musica trina, vox nimirum cœlestium Angelorum, festum grande hoc cum veteribus Patribus, sanctisque nouæ legis dulcissima celebrãtium harmonia. Stant ergo in mari iucundissimi viri, elegantissimæ fœminæ, inter candidissimos Angelos, Reginam suam expectantes,

ctantes, si non corporibus induti, saltem induti pulchritudine: imo induti corporibus omnes illi Patres, ac matronæ illæ, quę cum Rege Christo induti ascenderant corporibus, sicut cum resurgente Rege ipso resurrexerant, dicente Matthæo, *Monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Matth. 27. 52.

Ascendebat ergo suprema terræ, cœlique Regina, Angelorum humeris assumpta; nouem nimirum Angelorum; nam ex quouis choro ad dignitatem hanc electus est vnus. Sed & præter hos, illustrissimus Angelorum omnium in ascensu erat comitatus: cuius & bona pars earum erat animarum, quæ vsque ad diem illam erant in purgatorio detentæ. Audeo enim dicere, nullam in die, quo ascendit supremus Rex, relictam in purgatorio hominis animam. Ad tanti enim Regis expectabat & benignitatem, & maiestatem, vt carcerum reserarentur portæ, daretur vinctis omnibus libertas. Quòd, si ita factum est; quis putabit audaciam affirmantis, easdem ergastulorum portas reseratas hodie propter honorem tanti festi; animasque ex eis exolutas, Reginam comitantes ascendisse? Vt ergo per cælestem ianuam introiuit Deipara Regina, iucundissima innumerabilium instrumentorum prorupit harmonia; tum buccinarum, quibus stantes in muris Angeli concrepabant; tum organorum, psalteriorum, cithararum, quibus prædicti illi, qui in crystallino stabant mari, dulciter psallebant. Nũquam tantus vspiam visus est apparatus, tumultus auditus tantus, quantus in die hac, & Dominicæ ascensionis die. Tunc mare illud apertum est, in tantæ Reginæ reuerentiã; sicut quondam rubrum Ægypti mare, vt Dei populus transiret: seu, sicut Iordanis fluminis aquæ ad transitum arcæ testamenti à superiori parte exaggeratę, expeditam reliquerunt viam. Sed quid dixerim? Nullum quidem est in cælestis maris profundo pauimentum; sed maris profundum etiam est mare; nam & mare ipsum, & profundum eius cælum est totum. Meliùs profectò loquar, si Reginam hanc in speciosissima per mare illud transuectam dixerim triremi, facta ex lignis vitæ, quæ in cœlesti platea secus adamantinum flumen in vtraque nascuntur ripa, de quibus Ioannes: *Ostendit mihi fluuium aquæ vitæ splendidum, tanquam* Apoc 22 1.

Purgatorij animas in die Ascensionis Domini, & Assumptionis Deiparæ exijsse omnes.

Ascensionis Dominicæ die animas purgatorij omnes libertate donatas.

Assumptione Virginis Deiparæ omnes detentæ in purgatorio animæ exierunt liberæ. Exod. 14. 21. Iosue 3. 16.

Assumptio Deiparæ Virginis quibus gaudijs in cælo celebrata.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

crystallum, procedentem de sede Dei, & agni. In medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum. Quæ quidem triremis suauissimo erat intrinsecus, ac extrinsecùs lita bitumine purissimæ ambræ, eductæ ex cœlestibus piscibus, qui in mari illo nantes recreantur. Qua de causa accersebat diuinam hanc sponsam cœlestis sponsus in die illa dicēs:

Cant. 4. 8. *Veni de libano sponsa mea, Veni de libano.* Quare de libano? dicit vtique sponsus sponsæ suæ: Veni de libano in supremum hunc montem, cuius ligna pretiosiora longè sunt, quàm, quæ in monte libano nascuntur. Sunt enim vitæ ligna, ligna incorruptibilia, pulchra, sempiterna. Ex his struxi tibi triremem, qua per rubrum mare traducaris. Sed & innumeræ aliæ Reginam hanc comitabantur triremes. Quisnam adeo iucundus adspectus vnquam esse potuit? Sanè, cùm serenæ tempore auroræ magna triremium in mari apparet classis, splendidissimis exornata vexillis, & aplustribus, resonantibus dulcissimè buccinis, ac tibiis; nullus in seculo hoc placidior potest desiderari aspectus oculorū. qualis ergo erit aspectus ille, quo innumerabilium classis triremium, tanto deauratarum emblemate, aplustribus tantis speciosarum, inter diuinas instrumentorum, musicorumq; voces nauigantium? Quid dicam de grandisono bombardarum strepitu, quorum puluis minimè sulphureus est, qualis æneorum pului; tormentorum: sed qualis aureas decet bombardas, amœnissimi puluis thymiamatis? At quo ego tot triremibus nauigo? Mare vtique illud vitreum est; atq; adeo solidum; non fluidum aquis; Vnde nec nauibus transibile. Fixis stant in eo pedibus homines: nulla ergo triremi, nullo est opus ad transitum nauigio. Fertur itaque humeris Regina; thronorum humeris cœlestium, qui in cœli ianua suis eam humeris accipiunt. Sic per mare illud magnifico portatur apparatu; Regia pompa. At certè id demum dicendum video: vniuersa illa, quæcumque in transitu quouis pulchra esse solent, quæcumque eximia, quæcumque læta, atque magnifica; in transitum hunc simul concurrisse. Nam vitreum hoc mare, mare quidem est; sed est vitreum mare; ac consequenter resplenduisse in eo hodie quæcumque nauali in classe sunt delectabilia, atque iucunda: &quę-

Simile.

cumque magnalia in montibus,& pratis, in hortis, in Regiis,in recensibus,merito censemus.

In lætissimo igitur Reginæ introitu,& transitu dulcissima resonat harmonia, cantico Moysi, Agni, & Angelorum. Resonabat ex lege Moysi, suauis sororis eius Mariæ vox, de qua legimus scriptum; *Sumpsit ergo Maria prophetissa, soror Aaron, tympanum in manu sua, egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis,& choris, quibus præcinebat, dicens: cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est.* Exod. 15. 20. Resonabat illa vox Isaiæ, *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel:* Isai 7.14. Et illa Ieremiæ, *Creauit Dominus nouum super terram, fœmina circundabit virum.* Ieremi.31.22. Hæ conformabātur Christi voci, accersentis è cœlis matrem suam canticis illis, quæ proprio nomine vocantur cantica in scripturis: *Surge, amica mea, speciosa mea, & veni. Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.* Cant.2.13. Tu, quæ in cauerna es, in terra videlicet, vallo circundata; quæ in foraminibus petræ, duræ nimirum vitæ, ac ærumnosæ: veni iam, surge, & veni cœlestem in requiem; vt in parato tibi sedeas throno. His concordabant tertia Angeli voce, concinentes: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, delicijs affluens, innixa super dilectum suum?* Cant.8.5. Sed quid ergo festiuitatis huius cantica referam? Non sunt cantica hæc, sicut nostra sunt cantica: sed sunt suauissima *cantica canticorum.* Hæc per apertos hodie cœlestes muros subaudimus: per quæ eosdem magnalia illa, quæ intra muros fiunt intuemur. Quid faciemus iam, cùm mater nostra à muris descendens, transfretauerit vitreum illud mare, ad vlteriora cœli procedens, quo humanus intuitus nequit penetrare? Sed quid, si etiam penetraret? Quid si penetraret vltima visus? Quid si auris audiret? Nunquid præparatam Deiparæ gloriam videremus? Imo verò *oculus non vidit, nec auris audiuit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum.* 1.Cor. 12. Multò quidem his sublimiora sunt, quæ dilectoribus suis præparauit, quanto magis ea, quæ parenti?

Quæret fortasse aliquis: si magnalia hæc nec auris assequitur, nec oculus; nunquid potuerunt manibus tangi? Nunquid palato degustari? Absit. Sensus isti crassiores sunt auditu, & visu. Multò ergo minus tangi, aut gustari possunt, quæ in die hac præparata sunt Virgini Deiparæ.

Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te. Omnia hæc, quæ in cœlesti hoc festo imaginatione figuramus, non sunt Deus ipse, nec ea, tanquam Deum figuramus. Hoc autem est, absque Deo oculum videre; atque adeo, non est videre ea, quæ ipse matri suæ præparauit. Deus enim sola conspicitur mente, non terrestribus sensibus. Ea igitur tantum, quæ iuxta muros fiunt, intuemur. Sed neque ea quidem; quoniam omnino cœlestia sunt illa; nos instar terrestrium contemplamur.

Mente ergo iam inspiciamus ea, quæ matri suæ præparauit altissimus. Sed quonam tendimus? *Nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum.* Multo igitur minùs in cor ascendet humanum, quæ matri suæ præparauit. Nam genitrix hæc pluribus gratiæ gradibus accepta est genito suo, quàm omnes simul Angeli, & homines, si omnium gratia à cunctis abstracta soli gratiæ Mariæ conferatur. Quod Sancti Patres partim dixerunt, partim indicarunt. Beatus præsertim Epiphanius Andreas Cretensis, Anselmus Euthymius, Augustinus, Bernardus, Damascenus, Ildefonsus, Chrysostomus, Laurentius Iustinianus, Bonauentura, Senensis Bernardinus: & qui ex instituto latè commendauit Suarez noster, cunctis acceptissimus. Scimus autem ad gratiæ mensuram esse cuiusque beatitudinem; vt cum Diuo Thoma Theologi definiunt. Cùm igitur beatitudinis mensura sit gratia, gratia verò Deiparæ omnem beatorum exsuperat gratiam: consequenter quidem omnem eorum gloriam vno in lance positam excedet. Quanta ergo erit beatitudo eius? Quanta Deo propinquitate fruetur? Minimè in cor hominis ascendit. Parum igitur dicere, parum valemus explicare. *Deus in cœlo, & tu super terram idcirco sint pauci sermones tui*, ait Ecclesiastes. Ecce manifestè dicit Sapiens, parum esse nobis, quod loquamur, quandiu Deum in cœlis non videmus. Quoniam reliqua omnia, modica absque eo reputantur.

Solus restabat odoratus, postquam nec aures assequuntur, nec oculi, quæ præparauit Deus matri suæ; multóque minus assequuntur tactus, & gustus; imo nec mentis callet cogitatio. At cunctis videretur inertia, si præsumeremur inquirere, possitne odoratus, quod sensus alij nequiuerunt;

Epiphan. orat. de laudibus Virginis. Andr. Cret. ser. de Dormitione Deiparæ. Anselm. de laudib Virgin. c. 9. Et lib. de excell. Virgin. c. 4. Euthy. ser. de Zona Virg. Aug. apud Bonau. in speculo. c. 6 Bernar. ser. 15. de festiuitatibus Virginis. Damascen. orat. de Dormit. Virginis. Ildefons. serm. 2. de Assumpt. Chrysost. in liturgia. Laurent. Iustin. de Assumpt. Bonauent. opuscul. de laud. Virg. cap. 7.

Maria Dei para grat superat gratiam beat. rum omn. in vnum omnibus al stractam.

Odoratus pra cæteris sensibus cœlestem è terris percipit beatitudinem.

Maria odorifera adeo, vt fragrantia eius è cœlis vsque ad terras diffundatur.

nec ipsa quidem mens, seu intellectus. Sed nihilominus, ne sensum hunc videamur contemnere, quidnam hodie valeat, perscrutabimur. Sunt in canticis admirabiles admirantium cœlitum voces, qui admiratione magna hodie canunt in cœlis: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* Ecce Dei genitrix Virgo in ascensu hoc virgula dicitur fumi, composita ex pulueribus cunctis, qui odoris sunt simul, & coloris. Coloris pulcherrimi, odoris fragrantissimi. Id enim significat dictio illa, *Vniuersi pulueris pigmentarij*. Nullum pulchrum pigmentum, nulla vllibi est odoriferi pulueris species, quæ in virgula hac non inueniatur. Quam virgulam considerans Dauid Kimhi, dicit vsum fuisse apud Hebræos, vt exquisitos ex Ægypto ducerent magistros in arte hac efficiendi odoriferas virgulas peritissimos. Est autem proprium ascendentis virgulæ, vt dum, aut ipsa ascendit, aut fumus, odor maneat in loco illo, ex quo eleuatur. Id ipsum est proprium defunctorum. Quidnam eorum manet in terra? Sola vtique fama mortis, ac vitæ. Fama autem odor est; odor vitę hominum, & mortis odor. Sic inuenio scriptum semel, & iterum in Epistolis Pauli. *Deo autem gratias: qui semper triumphat nos in Christo Iesu: & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco.* Estque acceptum patribus significatum, Hieronym. Gregor. Isidoro, Bernardo. Mirum, quòd licet in defuncto horrendus sit odor; nominis tamen eius, ac bonę famę soleat esse suauis. Quàm ergo diuinus erit odor Virginis illius, cuius non solus vitæ, ac mortis odor, sed ipsius etiam defuncti corporis, super pelecia spargebatur? Ascendit igitur Maria, sicut virgula odorifera; vt qui relinquimur in terra, nec cœlestem eius adspicimus gloriam; habeamus ex illa id, quod nobis proficuum est, vt pote, quod ad imitationem spectat, & vsum, suauissimarum reliquias virtutum Spargitur enim hodierno in ascensu ex virgula hac humilitatis odor profundissimæ, ex illo, qui in virgula est humilitatis puluere, diffusus; ex alijs item virtutum pulueribus, virginitatis, honestatis, verecundiæ, modestiæ mansuetudinis, circunspectionis, clementiæ, pietatis, silentij, orationis, contemplationis, abstinentiæ, & charitatis. Appositè Anselmus.

Bernardin. Senensis serm. 15. de fe iuit. Virgin. Suarez 3. p. tom. 2 disp. 20. sect. 4. conclus. vltima. Theologi in 2. 2. q 61. art. 4. & ad 1. Eccl. 5. 1. Cant 3 6. Dauid Kimhi in c. 3 cantica.

Fama odor est.

Defunctorũ nihil præter famam manet in terris.

Maria assumpta in cœlum perfectissima nobis reliquit exempla.

2. Cor. 2. 14. Hierony. Oseæ 14. Gregor. lib. 33. moral. c. 22. & in cantic. c. 7. Isidor. in Lcui. c. 2. Bernar. ser. 42. in cantica.

Mariæ virtutes.

Anselmus] opusculo de forma, & moribus B. Mariæ.

Mos suus erat modicæ loquelæ, expeditæ obedientiæ, mundæ proximationis, sine audacia, sine turbatione, sine ira, benignè salutans; perseuerans in orationibus, lectioni, ieiunio, & labori manuum, & omni bonæ, virtuosæq; operationi se dederat. Hi sunt, quos suauissimos sui purissima virgula reliquit odores. Hæ, quas eius virtutes imitemur. Hoc quod nobis expedit, vt ex hodierna celebritate sit notum. Cætera videbunt in cœlo, quotquot B. Virginem imitantes, huiusmodi virtutibus instituerint.

Maria rosea corona in cœlis redimita.

Quòd, si odores hi adeo sint nobis vtiles, ac proficui, vt & floreæ coronæ, qua hodie coronatur Dei mater, vsque ad nos transcendat fragrantia, atque suauitas? Quis tale quid existimaret? Nam ex multis illis, quæ magnalia hodie in cœlis fiunt, id solum vtcumque assequi valemus, quod in cœlesti celebratur vestibulo: reliqua ab introitu vsque ad thronum, quæ innumera manent conspicienda, nequaquam possumus, ne mentali quidem videre conspectu. Et tamen illud, quod extremum est, summum, vltimum, supremum, aliquatenus assequimur, eò quòd amœnissimos spargat odores, ad terram vsque penetrantes. Qualem (rogo) putatis Virginis Deiparæ coronam, qua diuinarum manibus personarum coronatur hodie, in earum throno collocata? Dicetis auream, multis ornatam margaritis, & gemmis? Talis profectò est corona Filij eius. *Corona aurea super mitram eius, expressa signo sanctitatis, & gloria honoris, opus virtutis*, ait Ecclesiasticus. Et ea quidem prætiosissimis baccata gemmis, dicente Rege vate: *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* Spectat autem ad elegantiæ varietatem, vt matris Virginis corona sit florea. Nec ideo aut auro carens, aut vnionibus. Quoniam sicut humano artificio bombycini, & aurei flores fiunt: ita naturales ipsi flores arte diuina auro, & vnionibus coruscant. Audio Ecclesiam hodie concinentem: *Sicut dies verni, circundabant eam flores rosarum; & lilia conuallium.* Quæ verba desumpta sunt ex 50. Ecclesiastici capite, *Quasi flos rosarum in diebus vernis; & quasi lilia, quæ sunt in transitu aquæ.* Propria quidem defunctæ Virginis corona, quum portatur ad tumulum. Sed intendo ego persuadere auditoribus, eam etiam coronam, qua in cœlis regnat Dei genitrix Virgo,

Corona Maria in cœlis.

Eccl. 45. 14.

Psal 20 4.

Maria ab originali peccato aliena.

Eccl 50. 8.

ex rosarum floribus esse compositam. Considerate (obsecro) pensiculatiùs peregrinam loquendi rationem. Flores rosarum, ait, non flores vtcumque; non vtcumque rosas. Quis talem vnquam locutionem audiuit? Sanè flores quicumque illius ligni, illius arboris, illius arbusculæ, aut radicis, dicuntur flores, ex quibus nascuntur, & erumpunt; non autem dicuntur rosarum rosæ, flores florum. Napha non dicitur flos naphæ; sed flos mali medici. Nec pelecia dicuntur peleciarum flores; sed arbusculæ illius, ex qua nascuntur. Sic nec rosæ dicuntur rosarum rosæ, nec flores rosarum; sed potius spinarum flores, eò quòd nascantur ex spinis. Quid ergo est flores rosarum? Nihil profectò aliud, quàm dicere flores hos, qui circundant Deiparam, tales esse flores, vt nascantur ex rosis, sicut rosæ nascuntur ex spinis. Itaque rosæ omnes, quas nouimus, rosæ spinarum sunt; sed Mariæ flores, flores sunt rosarum; vt quæ ex ipsis nascuntur rosis; suntque rosæ arbusculæ, ex quibus hi flores oriuntur. Tantum igitur excedunt Mariæ flores rosas nostras, quantum spinas rosæ; cùm Mariæ flores nascantur ex rosis, sicut ex spinis rosæ nostræ. Nunc perpendite vlterius dignitatem. Spiritales quæque hominum virtutes flores quidem sunt: at non florum flores: quoniam origo hominis minimè flos est, imo nec florida; sed spinea potius, ac cruenta, eò quòd in peccatis concipiatur. Atque ita, quæ in homine ex hac nascuntur radice, vitia multa sunt, prauæ inclinationes, turpia opera: nullæ virtutes, nulli flores. Quid ergo dicemus de persona illa, quam flores rosarum circundant? Huius vtique flores, cùm rosarum sint flores, virtutes quidem sunt, à rosis, tanquam à radice procedentes, ita vt radix rosa sit, flores sint virtutes: nempe, radix sit gratia, qua talis persona concepta est, non peccatum originis. Quapropter laudans sponsam sponsus eius, suauiter canit: *Sicut lilium inter spinas: sic amica mea inter filias.* Quoniam profecto quantumcunque candida sit sponsa, nempe anima grata, quantumcunque fragrans sanctitate; ducit tamen originem à spinis, inter quas concepta est; cùm peccatum quoduis acuta sit spina. At Deipara Virgo non quidem lilium inter spinas; sed purissimus flos ex rosa procedens nominatur; eò quod origo eius minimè spina

Napha Hispane Azahar.

Originale peccatũ spina cruentissima.

Cant. 2. 2.

fuerit, sed diuina gratia fragrans rosa. Scio, verba hæc, quæ nunc expendimus pro Simone, Oniæ Filio, esse prolata: at aliter quidem de B. Virgine ea canit Ecclesia. De illo enim ait textus. *Quasi flos rosarum in diebus vernis*: quibus verbis non dicitur Simeon rosarum flos, sed quasi flos rosarum: flores autem Mariæ non dicuntur, quasi flores rosarum, sed absque quasi, flores rosarum; nam dictio quasi non floribus quidem, sed diebus adiungitur vernis. Ita enim habet Ecclesiæ Canticum; *Vidi speciosam ascendentem super riuos aquarum: cuius inæstimabilis odor erat nimis in vestimentis eius. Et sicut dies verni, circundabant eam flores rosarum, & lilia conuallium.* Nec opus est, vt eodem modo accommodentur omnia diuersis personis, quæ inæquales sunt, ob dispares causas; sicut Maria, & Simeon sunt inæquales. Itaque ex rosis, inter quas concepta fuit purissima Virgo, flores virtutum eius prodierunt, qui crescentes in dies, cum ipsa ascenderunt Deipara; ex quibus contexta est ei gloriæ corona.

Responsorium primum in matutino officij Assumptionis B. Mariæ.

Quam vt luculentiùs explicemus, contextus totus expendendus est. *Sicut dies verni circundabant eam flores rosarum, & lilia conuallium.* Est apprimè notandum latissimum inter peccati tempora, & tempora gratiæ discrimen. Tempus enim gratiæ ver primum esse perhibetur; hyems tempus peccati. Antea enim quam delinquerent homines, cùm in gratia essent, vernum scribitur tempus: tum quoniam omnia describuntur germinantia, florida, & oblectantia; cum dixisset Deus: *Germinet terra herbam virentem, & lignum pomiferum: & factum est ita.* Præterea; quoniam *plantauerat Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio: in quo posuit hominem.* Plenum fructu, & flore Paradisum; cum afferat textus: *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, adspectúque delectabile:* quod longè quidem est ab hyemali tempore. Ad hæc, dicit textus ipse; *Non enim pluerat Dominus Deus super terram; sed fons ascendebat de terra, irrigans vniuersam superficiem terræ.* Quidnam proprius veris? Insuper; *erat autem vterque nudus, Adam scilicet, & vxor eius.* Non ergo erat hyems, sed ver, cùm nudi, minimè frigerent. Vbi verò commisere peccatum, rigidissimam protinus senserunt hyemem. Nam con-

Peccati originalis tempus est hyems.

Gratia tempus vernum tempus est, placidum, iucundum, delectabile.

Maria co na florea fit, est vir in aternu

Maria Virginis tempus semper vernum.

Gen. 1. 11.

Gen. 2. 8.

Gen. 3. 6.

Gen. 2. 5.

Gen. 1. 25.

iuges

iuges ipsi: *Cùm cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus; & fecerunt sibi perizomata.* Sunt autem ficus folia foliorum omnium candidissima. *Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & uxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Nihil autem tam hyemalis temporis proprium, quàm pelliceæ vestes, quæ apricæ nimis sunt, & tempore verno intolerabiles. Erat ergo tempus diuinæ gratiæ vernum tempus; hyems tempus peccati. Heu infœlices Adæ filios, quicũque Dei gratia destituti sunt! In continua isti viuũt hyeme; vbi nihil viride, nihil iucundum, nihil lucidum est; sed omnia tristia, arida, sterilia. Dies igitur isti, qui in hominibus alijs sunt, propter peccatum, aspera hyems, fuerunt in Maria dies verni. Ideo canit Ecclesia, tamquam dies verni; quoniam verni effectus habuerunt in Maria. Gen. 3. 7. Gen. 3. 21.

Cæterum terreno vitæ cursu peracto, translatam in cœlos Virginem matrem circundabant, sicut dies verni, flores rosarum. Non circundant eam verni dies: quoniam in cœlis nulli dies sunt: quandoquidem dies ex cœlorum gyro, seu volubilitate fiunt: seu potius sunt ipsi cœlorum gyri. Sunt verumtamen sicut dies verni; quoniam & si nulli dies sunt, sed perpetua vitæ consistentia, adest in ea iucunditas illa, quæ temporis verni propria esse solet. Ibi circundant B. Virginem flores rosarum; est corona eius florea corona, ex purissimis rosarum floribus. Vbi impensè notandum video, coronæ virorem esse perpetuum. Florum enim viror tunc marcescit, quum à propria arbuscula auelluntur, non item quandiu in ea intacti relinquuntur. Idcirco, si fieri posset corona rosarum, quæ in propria adhuc conseruaretur radice; tunc vtique possit corona illa per longum tempus virens permanere. Mariæ corona ex rosarum floribus facta est: sunt in corona flores à naturali arbuscula minimè auulsi; quoniam radix earum, & arbuscula rosæ ipsæ sunt: atque adeo perstant in corona flores procedentes à rosis, quæ in eadem etiam fulgent corona, cùm rosæ ipsæ non sint minus idoneæ, quàm earum flores, ad coronam. Quomodo ergo hi rosarum flores in corona Deiparæ marcescent? Nec omittendum verbum illud; *& illia conuallium*; vbi habet Vulgatus; *quasi lilia, quæ sunt in transitu aquæ.* Nam cùm lilia illa, quæ in transitu aquæ con-

Maria corona florea cũ sit, est virens in æternum.

sita sunt, non amittant virorem naturalem; significat textu hoc sanctus Spiritus, lilia, quæ sunt in Mariæ Virginis corona semper esse virentia, nunquam arida.

Sed rogo, si diuina hæc *fœmina circundabit virum*: nonne dignum est, vt eam flores circundent rosarum? Verum quidem eius lilia circundederunt in terra, dicente sponso: Cantic. *Venter tuus, sicut aceruus tritici, vallatus liliis;* digna ergo ratione translata iam, in Regium thronum, capite lilijs redimitus glorioſissima Regina. Estque tantæ fragrantiæ corona eius; vt ad nostras vsque penetrans terras, diffundatur.

Maria in cœlis assidua pro nobis interuentrix.

Grandis quidem lętitiæ, grandis nobis est exultationis dies, in quo Regina nostra tam glorioſis sertis coronatur. Sed grandis etiam vtilitatis, grandisque spei parati nobis in cœlis ornamenti glorięque nobis præparatæ. Degens quippe in cœlis iuxta Deum semper Domina nostra; est ibi iugis hominum cum Deo reconciliatrix, & patrona. Appo-

Pieria ex Ionibus filia Pythis, & Iapygia symbolum B. Virginis Deipara.

sita est, quam de Iona Pieria Plutarchus scribit, hiſtoria. Plutarchus lib. de claris mulieribus cap. 6. tom 1. moralium. Fuit magna quondam inter habitatores Mileti orta seditio, aduersus præsertim filias Regis, Nilei nomine. quæ ex eo processit, vt pars illa, quæ eis infesta erat, relicta vrbe, in Miunte sedes constituerit. Erat frequens inter Miuntinos, & Miletios iurgium, crebri incursus. Tamen cùm templo esset in Mileto; minimè poterant excusare Miuntini ingressum in vrbem, vt festis diebus assisterent templo; si non viri, saltem fœminæ. Inter has frequens visitabat fanum illud Pieria Virgo, filia Pithis, viri nobilitate, opúmque excellentis, & vxoris eius, nomine Iapygiæ. Pieriam hanc cùm toties templum ingredientem videret Phrygius, filius Regis maior, captus amore eius, dixit ad eam, vt quidquid gratum ei posset ab ipso præstari, confidenter exigere, minimè dubitaret. Petiuit illa solam accedendi ad templum, quoties ei placeret, facultatem, comitantibus eam quotquot ex viris Miuntinis vellent eam comitari. Concessit Phrygius libentissimè: nec minus illa libens vsa fuit data facultate. Ingressa est itaque ciuitatem, & templum magno virorum comitatu: quos cùm Phrygius intueretur; egit cum Rege, Patre suo, vt Miuntinos omnes in suam admitteret amicitiam, & gratiam; facerétque in Miletum restitui, ac

permanere. Quod & ita factum est; nomenque Pieriæ miris vbique encomijs celebratum. O auditores mei! Quanti nostra interest, hodiernus Mariæ in cœlum ingressus! Est amabilis valde vnico cœlestis Regis filio: excipit eam hic multis ex propria illius patria hominibus comitantibus: quidnam inde sperari potest; nisi, vt Filius, & Pater in suam excipiant beneuolentiam, & gratiam, atque adeo in cœlestem ipsam ciuitatem, omnes, quotquot voluerint ei conciliari; debita ex parte eorum dispositione interueniente?

Maria in cœlis sollicita pro filijs quos reliquit in terra.

Tu igitur es, ô diuina Virgo, patriæ tuæ patrona, tu ornamentum, tu decus, tu reconciliatrix, & pacifera. Scimus, te in throno tuo patronæ nostræ munere fungi; tamen interim, dum ad videndam faciem tuam non ascendimus. Cant. 6 12. *Reuertere, reuertere, Sunamitis: reuertere, reuertere, vt intueamur te.* Consolare nos, filios tuos, suauissima vultus tui ostensione. Dicite mecum vos, ô Filij Mariæ; *reuertere, reuertere, vt intueamur te.* Forte videtur vobis non bene consultum, si in die, quo suprema Regina omnium comitatu Regnorum ducitur ad thalamum, & thronum, rogetur ab aliquo, vt curet de rebus, quæcumque illæ sint, dum in media est festiuitate. At potius si filiolos habet Domina illa, tantum abest, vt eos propter festum, obliuiscatur, vt magis videatur festum propter illos obliuisci. Est enim toto intenta corde filijs, quos reliquit domi; caputque passim conuertit versus locum, in quo illi sunt; dicitque frequenter; heus vos, videte pueros illos; curam illorum gerite; prospicite illis, ne eos solos deseratis. Videte, amici, quomodo valeant filij mei; quidnam habeant; quid velint, quid eis desit; quid desiderent. Video te hodie, ô Regina cœli, mater nostra: Video te hodie in medio summæ solemnitatis tuæ, quum Regina cœli coronaris, intenta corde nobis, filijs tuis, nostri gerens curam, consulens nobis, ac prospiciens. Hoc est, quod inter grandia hæc festa in te apertè perspicimus: cætera, quasi per ænigma, & in speculo. Ne ea quidem, quæ in ipso cœlorum vestibulo geruntur, videt oculus noster, nec auris audit, quæ ibi cantica accinuntur. Quantò minus ea, quæ interius celebrantur; præsertim beatitudi-

Simile.

nem tuam in visione Dei consistentem, quæ nec in cor hominis ascendit? Solus vtique amœnissimus virtutum tuarum manet nobis odor, nostros ad te sequendum excitans animos. Peruenit ad nos & odor ille, qui ex rosea tua efflatur corona, facta ex floribus rosarum, quæ nullibi reperiuntur in terris. Hac nos suauitate consolaris; sed & tuo in cœlis patrocinio tueris, defendis, foues, protegis. Inde prospicis nobis; esque apud filium tuum continua pro nobis interuentrix; vt in odorem florum tuorum ad eandem nos perducat beatitudinem.

Laus Deo: & B. Mariæ, matri eius.

FINIS.

INDEX
SCRIPTVRARVM
GENESIS.

3. FIAT lux: & facta est lux. 353 CAP. I.
27. Masculum & fœminam creauit eos, benedixitque illis Deus, & ait: crescite & multiplicamini, & replete terram. 549
28. Dominamini piscibus maris & volatilibus cæli. 527
8. Plantauerat autem Dominus Deus, paradisum voluptatis à proprio, in quo posuit hominem quem formauerat. 278 II.
15. Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis vt operaretur & custodiret illum. 278
17. Ex omni ligno Paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. 279
17. In quacumque enim die comederis, ex eo morte morieris. 8
18. Non est bonum hominem esse solum. 70
19. Donec reuertaris in terram. 23 III.
22. Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malũ. Nunc ergo ne forte mittat manum suam, & sumat de ligno vitæ, & comedat & viuat in æternum: emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis. 8
15. Vt operaretur terram, de qua sumptus est, eiecitque Adam, & collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubim & flammeum gladium, atque versatilæ ad custodiendam viam ligni vitæ.
5. Eritis sicut Dij. 427
10. Timui, eo quod nudus essem, & abscondi me. 8
8. Comedit, deditque viro suo qui comedit, & aperti sunt oculi eorum, cumque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. 9
6. Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, pulchrum oculis adspectuque delectabile. 9
17. Maledicta terra in opere tuo. 279
17. In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ spinas, & tribulos germinabit tibi. 277
10. Fluuius egrediebatur de Paradiso voluptatis vbi nascitur aurum optimum ibi inuenitur bdelium & lapis onychinus. 277
In sudore vultus tui vesceris pane tuo. 278
527

15. *Ipsa conteret caput tuum.* 25. 122. 129. 397
15. *Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* 15
4. *Abel obtulit de primogenitis gregis, & de piscibus eorum.* 276
IV. 3. *Factum est autem post multos dies vt offerret Caim de fratribus terræ munera Domino.* 278
17. *Cognouit autem Cain vxorem suam, quæ peperit Henoch, & ædificauit ciuitatem, vocauitque nomen eius ex nomine filij sui Henoch.* 518
3. *Post multos dies obtulit Cain de fructibus terræ, munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis suis.* 506
12. *Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos.* 518
29. *Iste consolabitur nos in terra, cui maledixit Dominus.* 116
V. 26. *Iste cœpit inuocare nomen Domini.* 518
23. *Ambulauit Henoch cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.* 518
VI. 3. *Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est.* 379
14. *Fac tibi arcam de lignis lænigatis, & bitumine lineis intrinsecus & extrinsecus.* 116
12. *Eius quippe caro corruperat viam suam.* 70
14. *Bitumine lineis intrinsecus & extrinsecus.* 307
8. *Noë vero inuenit gratiam coram Domino.* 321
5. *Videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra, delebo inquit hominem quem creaui à facie terræ.* 325
VII. 16. *Inclusit eum Dominus deforis.* 115
1. *Te enim vidi iustum coram me in generatione hac.* 321
17. *Factum est diluuium quadraginta diebus super terram.* 553
VIII. 18. *Egressus est ergo Noë & filij eius, vxor illius & vxores filiorum eius cum eo. Sed & omnia animantia, iumenta & reptilia, quæ reptant super terram. Ædificauit autem Noë altare Domino, & tollens de cunctis animantibus & volucribus mundis, obtulit holocausta super altare.* 279. 519
21. *Odoratusque est Dominus odorem suauitatis, & ait: nequaquam vltra maledicam terræ propter homines. Non igitur vltra percutiam omnem animam, viuentem sicut fecit.* 279. 546
22. *Cunctis diebus terræ sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hyems nox & dies non requiescent.* 274
20. *Cum egressus ab arca post diluuium noctu obtulit holocausta super altare odoratus est Dominus, odorem suauitatis.* 315
25. *Maledictus Chanaan seruus seruorum erit fratribus suis.* 280
X. 10. *Ædificauit altare Domino.* 519
13. *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram.* 540
1. *Benedixitque Deus Noë & filijs eius, & dixit ad eos: crescite & multiplicamini, & replete terram.* 546
XI. 27. *Creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam: ad imaginem Dei creauit illum, masculum & fœminam creauit eos.* 197. 276
20. *Cœpit Noë vir agricola exercere terram, & plantauit vineam, bibensque vinum inebriatus est, & nudatus in tabernaculo suo, quod cum vidisset Cham Pater Chanaam nunciauit duobus fratribus suis foras.* 280

4. *Faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum & celebremus nomen nostrum.* 579

1. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo, Patris tui, faciãq; te in gentem magnam, & benedicam tibi, atque in te benedicentur vniuersæ cognationes tuæ.* 245 XII.

2. *Et inuocauit nomen eius.* 518

1. *Noli timere Abraham ego Presbyter tuus sum.* 346 XV.

17. *Cum occubuisset sol facta est caligo tenebrosa & apparuit Clibanus fumans, cum Abraham dicens: semini tuo dabo terram hanc à fluuio Ægypti vsque ad fluuium magnum Euphratem Cinhos & Cenezæos, Cedmonæos, & Hethæos & Pherezæos; Raphaim quoque & Amorrhæos, & Chananæos, & Giergesæos & Iebusæos.* 375

11. *Erant ambo senes prouectaque ætatis, & desiderant Saræ fieri muliebria.* XVIII. 245.

20. *Clamor Sodomorum & Gomorræ multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis: descendam & videbo.* 373

13. *Dixitque Dominus ad Abraham: quare risit Sara? Nunquid Deo, quidque est dificile? Negauit Sara dicens: non risi. Dominus autem: non est inquit ita: sed risisti.* 423

10. *Sara risit post ostium tabernaculi.* 424

12. *Risit occulte.* 424

18. *Benedicendæ sint in Abrahamo omnes nationes terræ.* 424

4. *Viri ciuitatis vallauerunt domum à puero vsque ad senem: omnis populus simul dixeruntque ad Lot, educ eos huc, vt cognoscamus eos.* 392 XIX.

1. *Visitauit Dominus Saram.* 423 XXI.

16. *Per memetipsum iuraui dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ est in littore maris.* 228. 199 XXII.

18. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* 41. 199

16. *Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia fecisti hanc rem.* 232. 424

2. *Vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum.* 191

11. *Ecce Angelus Domini de cælo clamauit dicens: Abraham non extendas manum tuam super puerum: nunc cognoui quod times Deum. Leuauit Abraham oculos suos, appellauitque nomen loci illius, Dominus videt.* 191.

22. *Risum fecit mihi Deus.* 418. 419

17. *Ecce odor filij mei odor agri pleni, cui benedixit Dominus seruiant tibi populi & adorent te tribus; esto Dominus fratrum tuorum & incuruentur ante te filij matris tuæ qui benedixerit tibi benedictionibus repleatur.* 398 XXVII.

29. *Qui benedixit tibi benedictionibus repleatur.* 535

1. *Caligauerant oculi.* 536

22. *Vox quidem vox Iacob est: sed manus, manus sunt Esau.* 536

29. *Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus; & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* 546

28. Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini, & seruiant tibi populi, & adorent tribus, esto Dominus fratrum tuorum. 542

XXVIII. 18. Tulit lapidem quem, supposuerat capiti suo, & erexit in titulum fundens oleum desuper. 41

XXX. 15. Dormiat tecum hac nocte Iacob pro mandragoris filij tui. 381

14. Egressus autem Ruben tempore messis triticeæ in agrum reperit mandragoras, quas matri Liæ detulit: dixitque Rachel; da mihi partem de mandragoris filij tui. Illa respondit: parum-ne tibi videtur, quod præripueris maritum mihi, nisi etiam mandragoras filij mei tuleris. 380

29. Quare diuisa est propter te materia. 459

XLV. 28. Obstupefacti turbatique mutuo dixerunt: quidnam est hoc quod fecit nobis Deus? 337

3. Dixit Ioseph fratribus suis: ego sum Ioseph, non poterant respondere fratres, nimio terrore perterriti, ad quod ille clementer: accedite inquit, ad me, ego sum Ioseph frater vester quem vendidisti, nolite pauere. 350

15. Accedite ad me: osculatus est Ioseph omnes fratres suos. 350

3. Ruben effusus est sicut aqua. 434

5. Simeon & Leui vasa iniquitatis. 434

9. Catulus leonis Iuda. 435

EXODI.

CAP. II. 1. Egressus est posthæc vir de domo Leui, & accepit vxorẽ stirpis suæ quæ concepit & peperit filium, & videns eum elegantem abscondit tribus mensibus cumq; iam celare non posset, sumpsit fiscellam scirpeam & liniuit eum bitumine ac pice, posuitque intus infantulum, & exposuit eum in carecto ripæ fluminis vt bitumine duplici lita fiscella nõ penetraretur fluminis aquis. 306

III. 14. Ego sum qui sum. 175

14. Sic dices filiis Israël: qui est misit me ad vos. 194

IIII. 17. Virgam hanc sume in manu tua in qua facturus es signa. 175. 182

XII. 26. Quum dixerint vobis filij vestri, quæ est ista religio? dicetis eis: Victima transitus Domini est. 451

48. Quod si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phase Domini, circumcidetur prius omne masculum eius, & tunc rite celebrabit. 285

XIII. 2. Sanctifica mihi omne primogenitum tam de hominibus, quam de iumentis. 185.

21. Quumque duceret eum per desertum, præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis. 378.

XV. 20. Sumpsit ergo Maria Prophetissa soror Aaron, tympanum in manu sua, egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris, quibus præcinebant, dicentes cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est. 415

XIX. 16. Ecce cœperunt audiri tonitrua, & micare fulgura, & nubes densissima operire montem. 22

XII. 23. Transibit enim Dominus percutiens Ægyptios; cumque viderit sanguinem

guinem in superliminari, & in vtroque poste, transcendet ostium domus, & non sine percussorem ingredi domus vestras & lædere. 94

26. Cum dixerint vobis filij vestri: quæ est ista religio? dicetis eis: victima transitus Domini Dei est, quando transierit per domos Israël in Ægypto percutiens Ægyptios, & domos nostras liberans. 94

4. Hæc sunt quæ accipere debetis, aurum & argentum, & æs hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum. 13 XXV.

10. Arcam eius longitudo habeat duos & semis cubitos, latitudo cubitum & dimidium, altitudo cubitum similiter ac semissem. 76

19. Iratus valde proiecit de manu tabulas, & confringit eas. Accipiensque vitulum, quem fecerant, combussit, & contriuit vsque ad puluerem. 7 XXXII.

28. Ceciderunt in die illa quasi viginti & tria millia hominum. 7

25. Videns ergo Moyses populum quod esset nudatus, spoliauerat enim eum Aaron propter ignominiam sordis & inter hostes nudum fecerúntque filij Leui iuxta sermonem Moysis. 9

2. Tollite inaures aureas de vxorum filiorúmque & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me. Quas cum ille accepisset, fecit ex eis vitulum conflatilem. 22

3. Fecitque populus qui iusserat deferens inaures ad Aaron, quas cum ille accepisset formauit opere fusorio: & fecit ex eis vitulum conflatilem. 58

4. Dixerúntque: hi sunt Dij tui Israel. 59

1. Præcide tibi duas tabulas lapideas instar priorum, & scribam super eas verba, quæ habuerunt tabulæ quas fregisti. 42 XXXIV.

1. Duas tabulas lapideas ad instar priorum. 18

28. Fuit ergo ibi cum Domino quadraginta dies & quadraginta noctes panem non comedit & aquam non bibit, & scripsit in tabulis verba fœderis decem, cumque descenderet Moyses de monte Sinai tenebat duas tabulas testimonij & ignorabat quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini. 21

30. Videntes autem Aaron & filij Israel cornutam Moysi faciem timuerunt prope accedere, impletisque sermonibus ponit velamen super faciem suam. 21

20. Omnis multitudo filiorum obtulerunt mente promptissima atque deuota primitias Domino ad faciendum opus tabernaculi testimonij. 12 XXXV.

22. Viri cum mulieribus præbuerunt armillas & inaures, anulos & dextralia, omne vas auri: in donarium Domini separatum est si quis habebat hyacinthum & purpuram coccumque bis tinctum byssum argenti aris que metalla obtulerunt Domino. Princeps vero obtulerunt lapides onychinos & gemmas. 13

30. Ecce vocauit Dominus ex nomine Beseleel, impleuitque eum Spiritu Dei, Sapientia & intelligentia, & scientia, & omni doctrina ad excogitandum & faciendum in auro & argento & sculpendisque lapidibus & opere carpentario quidque fabri adinueniri post dedit in corde eius. 12

14. Candelabrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi. 313

15. Altare Thymiamatis & Thymiama ex aromatibus. 311

XXXVI. 4. *Artifices venire compulsi dixerunt Moysi: plus offeret populus quam necessarium est.* 14

XXXVII 6. *Duos etiam Cherubim de auro ductili quos posuit ex vtraque parte propitiatorij extendentes alas & tegentes propitiatorium.* 15

6. *Fecit & propitiatorium, id est, oraculum de auro mundissimo.* 12

6. *Duorum cubitorum & dimidij in longitudine, & cubiti ac semis in latitudine.* 13

1. *Fecit ergo Beseleel arcam de lignis cetim, vestiuitque eam auro purissimo intus ac de foris, & fecit illi coronam auream per gyrum.* 12

XXXVIII. 8. *Mulierum, quæ excubabant ante faciem tabernaculi,* 292. 298

8. *Fecit & labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi.* 309

LEVITICI.

XII. 2. *Mulier, si suscepto semine peperit masculum, immunda erit septem diebus, cumque expleti fuerint dies purgationis suæ, deferet agnum anniculum.* 550.

XXVI. 12. *Ero Deus vester, vosque eritis populus meus.* 516

NVMERI.

VI. 5. *Nouacula non transibit per caput eius vsque ad completum diem, quo Domino consecratur, factus eris crescente cæsariæ capitis eius.* 504

XVII. 8. *Sequenti Die regressus inuenit germinasse virgam Aaron & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt.* 401

XIX. 2. *Ista est religio victimæ, quam constituit Dominus. Præcipue filiis Israel, vt adducant ad te vaccam rufam, ætatis integræ, in qua nulla sit macula, nec portauit iugum, quia pro peccato vacca combusta est.* 57

XXI. 14. *Vnde dicitur in libro bellorum Domini, sicut fecit in mari rubro, sic faciet in torrentibus.* 466

XXV. 6. *Adscortum Madianitidem vidente Moyse & omni turba filiorum Israel, qui stebant ante fores tabernaculi: surrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione perfodit ambos simul, virum scilicet & mulierem.* 229.

6. *Et ecce vnus de filiis Israel intrauit adscortum Madianitidem vidente Moyse, & omni populo: quod cum vidisset Phinees, arrepto pugione ingressus est post virum Israelitem in lupanar, & perfodit ambos simul, virum scilicet & mulierem, cessauitque plaga à filiis Israel, dixitque Dominus ad Moysem: Phinees auertit iram meam à filiis Israel, ecce do ei partem fœderis mei, & erit tam ipsi quam semini eius pactum sacerdotij sempiternum, quia Zelatus est pro Deo suo, & expiauit scelus filiorum Israel.* 524

14. *Erat autem nomen viri Israelitæ, qui occisus est cum Madianitide, Zamri dux de cognatione & tribu Simeonis.* 524

DEVTERONOMII.

IV. 24. *Ignis consumens est.* 317

21. *Deus ignis consumens est.* 514.539

3. *Seniores ciuitatis illius tollent vitulam de armento, quæ non traxit iugum, nec terram scidit vomere, & ducent eam ad vallem asperam atque saxosam, quæ nunquam arata est, nec sementem recepit, & cædent in ea ceruices vitulæ, lauabuntque manus suas super vitulam, & dicent: manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, propitius esto populo tuo Israel, quẽ redemisti Domine: & ne reputes sanguinem innocentem in medio populi tui.* XXI.

9. *Tollet Calceamentum de pede eius.* 35

25. *Tollite librum istum, & ponite eum in latere arcæ fœderis Domini.* 130 XXV.

14. *Sanguinem vuæ biberunt meracissimum.* 145 XXXI.

5. *Audite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei; Peccauerunt ei & non filij eius in sordibus.* 65 XXXII.

18. *Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui: dixi vbinam sunt.* 155

40. *A planta Pedis vsque ad verticem capitis non est sanitas in eo.* 156

Leuabo ad cælum manum meam. 163

14. *Sanguinem vuæ biberent.* 226

2. *Fluat vt ros eloquium meum quasi imber super herbam.* 68

2. *Fluat vt ros eloquium meum.* 552

1. *Hæc est benedictio, qua benedixit Moyses homo Dei Filiis Israel, ante mortem suam.* 552 XXXIII.

15. *Si audire nolueris vocem Domini Dei tui, vt custodias & facias omnia mandata eius, venient super te omnes maledictiones in agro, Maledictum horreum tuum, & maledicta reliquiæ tuæ; Maledictus fructus ventris tui & fructus terræ tuæ, armẽta bobum tuorum, & greges ouium tuarum: maledictus eris ingrediens, & maledictus egrediens, mittet super te Dominus famem, & esuriem, & increpationem in omni opera tua quæ tu facis, donec cõterat te, & perdat velociter propter adinuentiones pessimas, in quibus reliquisti me: percutiat te Dominus egestate, febri, & frigore, ardore & æstu, & aëre corrupto, ac rubigine, & persequatur, donec pereas; sit cælum quod supra te est æneum, & terra, quam calcas, ferrea.* 548.553 XXVIII.

1. *Si autem audieris vocem Domini Dei tui, vt facias atque custodias omnia mandata eius, faciet te Dominus Deus excelsiorem cunctis gentibus, quæ versantur in terra, venientque super te vniuersæ benedictiones istæ, Benedictus tu in ciuitate, & benedictus in agro: Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fructusque iumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, & caulæ ouium tuarum: Benedicta horrea tua, & benedictæ reliquiæ tuæ, Benedictus eris ingrediens & egrediens, immittet Deus Benedictiones super cellaria tua, & super omnia opera manuum tuarum; Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, vt tribuat pluuiam terræ tuæ in tempore suo.* 553 XXVIII.

2. *Fluat, vt ros, eloquium meum.* 530.552 XXXII.

IOSVE.

III. 11. *Ecce arca fœderis Domini omnis terræ antecedet vos per Iordanem.* 479
16. *Et ſtatuerunt aquæ deſcendentes in loco vno, & adinſtar montis intumeſcentes, apparebant procul ab vrbe.* 479
IV. 9. *Tunc vero alios duodecim lapides poſuit Ioſue in medio Iordanis alueo, vbi ſteterunt Sacerdotes qui portabant arcam, & ſunt ibi vſque in præſentem diem.* 199
VI. 2. *Ecce dedi in manu tua Iericho: circuite vrbem cuncti bellatores ſemel per diem: ſic facietis ſex diebus.* 397
12. *Tulerunt Sacerdotes arcam Domini, & ſeptem ex eis ſeptem buccinas, quarum in iubilæo vſus eſt, præcedebãtque arcam Domini ambulantes, atque clangentes, & armatus populus ibat ante eos: vulgus autem reliquum ſequebatur arcam, & buccinis perſonabat, circuieruntque ciuitatem ſecundo die ſemel, & reuerſi ſunt in caſtra: ſic fecerunt ſex diebus. Die autem ſeptimo diluculo ſurgentes circuierunt vrbem, ſicut diſpoſitum erat ſepties, cúmque ſeptimo circuitu clangerent buccinis Sacerdotes. Dixit Ioſue ad omnem Iſrael. Vociferamini, tradidit enim vobis Dominus ciuitatem. igitur omni populo vociferante & clangentibus tubis, muri illius corruerunt.* 479. 486
15. *Die autem ſeptima circuierunt vrbem ſepties.* 482
13. *Tulerunt ſeptem Sacerdotes ſeptem buccinas, quarum in iubilæo vſus eſt.* 486
X. 13. *Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Ailon, ſteteruntque Sol & Luna donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis.* 126
XV. 18. *Quæ cum pergerent ſimul ſuſpirauit, cui Caleb: quid habes?* 49

IVDICVM.

V. 24. *Benedicta inter mulieres Iahel, & benedicatur in tabernaculo ſuo, aquam petenti lac dedit, & in phiala Principum obtulit butyrum.* 396
26. *Percuſſit Siſarum quærens in capite vulneri locum & tempus valide perforans, inter pedes eius ruit voluebatur ante pedes eius.* 397
VIII. 5. *Paries Filium, cuius non tanget caput nouacula: erit enim Nazareus Dei.* 504
IX. 49. *Factum eſt vt fumo & igne mille homines necarentur. Viri pariter & mulieres.* 23
53. *Ecce vna mulier fragmen molæ deſuper iaciens illiſit capiti Abimelech, & confregit cerebrum eius.* 23
54. *Qui vocauit cito armigerum ſuum, & ait ad eum euagina gladium tuum & percute me, ne forte dicatur quod à fœmina interfectus ſim.* 43
53. *Fragmen molæ.* 46
45. *Itaut ſal in ea diſpergeret.* 23
XI. 31. *Si tradideris filios Ammon in manus meas quicumque primus fuerit egreſſus de foribus domus meæ mihique occurrerit reuertenti cum pace eum hola-*

causto offeram Domino. 557
39. *Exinde mos increbuit in Israel, & consuetudo seruata est post anni circulum conueniant in vnum filiæ Israel, & plangant filiam Iephte Galaaditæ diebus quatuor.* 558
34. *Non enim habebat alios liberos.* 556
8. *Iudicauit Israel Abesan de Bethlehem, qui habuit triginta filios & totidem filias: quas emittens foras maritis dedit: & eiusdem numeri filijs suis accepit vxores introducens in domum suam.* 237 XII.
14. *Si non arasſetis in vitula mea, non inuenissetis propositionem meam.* 57

RVTH.

10. *Si inueni gratiam ante oculos tuos.* 323 II.
13. *Sed si inueni gratiam ante oculos tuos.* 320
8. *Expauit homo & conturbatus est, & ait illi: quæ es?* 338 III.
8. *Tolle calceamentum tuum: quod statim soluit de pede suo.* 130 IV.

I. REGVM.

24. *Adduxit eum secum, post quam ablactauerat in vitulis tribus & tribus* I.
modijs farinæ & Amphora vini: & adduxit eum ad domum Domini in silo. Puer autem erat minister in conspectu Domini. 298
8. *De stercore eleuat pauperem.* 30 II.
10. *Dabo ei Domino omnibus diebus vitæ eius, & nouacula nõ ascendet super* I.
caput eius. 504
30. *Quicumque honorauerit me, glorificabo eum.* 580 II.
1. *Exultauit cor meum in Domino: dilatatum est os meum.* 425.504
2. *Tulerunt Philistiim arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon, & V.*
statuerunt eam iuxta Dagon: cumque surrexisset Azotij altera die, ecce Dagon iacebat pronus in terra ante arcam Domini, & tulerunt Dagõ, & restituerunt eum in locum suum, Rursumque mane die altera consurgentes inuenerũt Dagoni iacentem super faciem suam in terra coram arca Domini, caput autem Dagon & duæ palmæ manuum eius abscissæ erant super limen. 481
23. *Quasi peccatum ariolandi est, repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle* XV.
acquiescere. 8
9. *Et peperit Saul Agag, & optimis gregibus ouium & armentorum & vestibus, & arietibus, & vniuersis quæ pulchra erant.* 232
23. *Pro eo quod, abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus, ne sis Rex.* 232.
32. *Siccine separat amara mors?* 303
6. *Egressæ sunt mulieres de vniuersis vrbibus Israel cantantes, choreasque* XVIII.
ducentes in tympanis lætitiæ & in sistris. 84
10. *Linea sit Spiritus Dei malus Saul. Dauid autem psalebat manu sua: tenebatque Saul lanceam, & misit eam, putans quod configere posset Dauid cum pariete.* 84

6. *Percussit Saul mille, & Dauid decem milia.* 85
6. *Egressæ mulieres de vniuersis vrbibus Israel cantantes, choroſque ducentes in occursum, & præcinebant mulieres ludentes atque dicẽtes: percussit Saul mille, & Dauid decem millia.* 85
8. *Iratus est Saul nimis, dixitque quid ei supereſt niſi ſolum Regnum? Non rectis ergo oculis Saul aſpiciebat Dauid à die illa, tenebatque Saul lanceam, & miſit eam, putans quod configere poſſet.* 85
XXI. 5. *Si de mulieribus agitur: continuimus nos, ab heri, & nudiuſtertius, quando egrediebamur, & fuerunt vaſa puerorum ſancta, porro hæc polluta eſt.* 135.

II. REGVM.

V. 6. *Non ingredieris huc, niſi abſtuleris cæcos & claudos dicentes: non ingreditur Dauid huc.* 121
VI. 11. *Habitauit arca Domini in domo Obededon Hæthæi tribus mẽſibus, & benedixit Dominus Obededon & omnem domum eius; Nunciatũq; eſt Regi Dauid, quod benedixiſſet Dominus Obededon omnia eius propter arcam Dei. Abiit ergo Dauid, & adduxit arcã Dei de domo Obededon in ciuitatem Dauid cum gaudio, & Dauid ſaltabat totis viribus.* 410
II. 12. *Tu feciſti abſcondite: ego autem faciam in conſpectu omnis Iſrael, & in conſpectu ſolis.* 508
XXV. 15. *O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in Bethelehem.* 493

III. REGVM.

II. 5. *Effudit ſanguinem belli in pace, & poſuit cruorem belli in balteo ſuo, qui erat circa lumbos eius & in calceamento ſuo, quod erat in pedibus eius.* 130.
III. 5. *Poſtula quod vis vt dem tibi.* 375
VI. 20. *Operuit illud atque veſtiuit auro puriſſimo.* 12
20. *Oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, & viginti cubitos altitudinis.* ibid.
35. *Operuit omnia laminis aureis ad regulam.* 76
22. *Nihil erat in templo, quod non auro teperetur.* 568
VIII. 9. *In arca autem non erat aliud, niſi duæ tabulæ lapideæ, quas poſuerat Moyſes in Horeb.* 12
7. *Cherubim expandebant alas ſuper locum arcæ, & protegebant arcam, & veſtes eius deſuper.* 15
XII. 28. *Excogitato cõcilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: nolite vltra aſcendere in Ieruſalem. Ecce dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* 60.
20. *Eo quod venundatus ſis, vt faceres malum.* 152
XV. 3. *Nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo ſuo, ſicut Dauid Patris eius, eo quod feciſſet Dauid rectum in oculis Domini, & non declinaſſet ab omnibus, quæ præceperat cunctis diebus vitæ ſuæ, excepto ſermone vriæ Hethæi.* 99

6. *Cum ergo illa dissimularet se esse quæ erat, audiuit Abias sonitum pedum* XIV.
eius, & ait: ingredere vxor Ieroboam. 133

41. *Ascende, comede & bibe, quia sonus multæ pluuiæ est. Elias autem ascen-* XVIII.
dit in verticem Carmeli, & pronus in terram posuit faciem suam inter ge-
nua sua, & dixit ad puerum suum: ascende, & prospice contra mare; qui
cum ascendisset & contemplatus esset, ait: non est quidquam: & rursum ait
illi: reuertere septem vicibus. In septima autem vice ecce nubecula parua,
quasi vestigium hominis ascendebat de mari; cumque se verteret huc atque
illuc, ecce cæli contenebrati sunt, & nubes venti & facta est pluuia grandis.
746. 432.

43. *Reuertere septem vicibus.* 432

11. *Ne glorietur accinctus equi vt discinctus.* 397 XX.

IV. REGVM.

8. *Erat autem ibi mulier magna.* 171 IV.

17. *Video ergo globum.* 455 IX.

22. *Pax est Iehu: at ille respondit quæ pax? adhuc fornicationes vigent.* 455

30. *Iezabel pinxit oculos suos stibio, & ornauit caput suum, & respexit per fe-*
nestram. 465

12. *Quæ pax? adhuc fornicationes Iezabel matris suæ, & veneficia eius multa*
vigent. 465

2. *Tollens Iosaba filia Regis Joram, Ioas filium Ochosiæ & nutricem eius,* XI.
abscondit eum cum ea sex annis clam in domo Domini. 292. 465

28. *Ponam itaque circulum in naribus tuis, & camum in labijs tuis.* 474 XIX.

11. *Inuocauit Isaias Dominum, & reduxit vmbram per lineas quibus iam* XX.
descenderat in horologio Achaz retrorsum decem gradibus. 126

11. *Scidit Vestimenta sua.* 144 XXII.

I. PARALI.

Non surrexit autem Satan contra Israel. 465 XXI.

II. PARAL.

13. *Mortuus est Asa, posueruntque eum super lectulum suum plenum aro-* XVI.
matibus, & vnguentis meretriciis; & combusserunt super eum ambitione ni-
mia. 209

15. *Cantores filij Asaph, stabant in ordine suo iuxta præceptum Dauid: Ia-* XXXV.
nitores vero per portas singulas asseruabant, ita vt nec puncto quidem dis-
cederent à ministerio. 137

III. ESDR

27. *Multi perierunt, & iugulati sunt, & peccauerunt propter mulieres.* 38. IV.
140. 465.

28. *Magnus est Rex in potestate sua; quoniam omnes regiones verentur tangere eum: videbar tamen Apemem, filiam Bezacis, mirifici concubinam Regis, sedentem iuxta Regem ad dexteram & auferentem diadema de capite eius, & imponentem sibi & palmis cædebat Regem de sinistra manu, & super hæc aperto ore intuebatur eam, & si amiserit ei, ride, nam si indignata ei fuerit, blanditur, donec reconcilietur ad gratiam.* 348

TOBIAS.

I. 9. *Genuit filium nomen suum imponens ei, quem ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato.* 288

4. *Cumque esset iunior omnibus in tribu Nephtali, nihil puerile egisset in opere; hic solus fugiebat consortia omnium: sed pergebat in Ierusalem, ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israel omnia primitiua sua, & decimas suas fideliter offerens.* 188

IIII. 5. *Cum autem & ipsa compleuerit dies vitæ suæ, sepelies eam circa me.* 571

V. 11. *Gaudium sit tibi semper: & respondit Tobias; quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* 420

VII. 7. *Benedictio sit tibi filij mei, quia boni & optimi viri filius est.* 400

XII. 15. *Ego sum Raphael Angelus, turbati sunt & trementes ceciderunt in terram.* 339

19. *Videbatur quidem vobiscum manducare, & bibere: sed ego cibo inuisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor; & cum hæc dixisset ab aspectibus eorum ablatus est.* 340

XIII. 10.19. *Ego autem & anima mea in Domino lætabimur Benedicimus Dominum omnes electi eius: agite diem lætitiæ, & confitemini illi. Anima mea, benedic Dominum: quoniam liberauit Ierusalem, ciuitatem suam à cunctis tribulationibus eius; Beatus ero si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Ierusalem.* 417

IVDITH.

VIII. 5. *In superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur: & habens super lumbos suos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ, & erat hæc in omnibus famosa, quoniam tenebat Dominum valde; nec erat qui loqueretur de illa verbum malum.* 233

XIV. 25. *Vt non recedat laus Iudith de ore hominum.* 231

XV. 10. *Tu gloria Ierusalem; quia fecisti viriliter, eo quod castitatem amaueris, & post virum tuum, alterum nescieris.* 545

10. *Tu gloria Ierusalem; tu lætitia Israel; tu honorificentia populi nostri.* 545.

ESTER.

III. 12. *Scriptum est ad omnes Satrapas Regis ex nomine Regis Assueri, & litteræ signatæ ipsius annulo.* 167

12. *Litteræ signatæ ipsius annulo.* 448

IOB.

5. *Offerebat holocausta pro singulis, & sanctificabat eos.* 503 I.
5. *Sic faciebat Iob, per singulos dies, sanctificabat filios suos: consurgensque diluculo offerebat holocausta per singulos.* 506
20. *Posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihi metipsi grauis.* 230 VII.
26. *Scribis enim contra me amaritudines; & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.* 303 XIII.
5. *Nonne lux impij extinguetur: nec resplendebit flamma ignis eius, lux obtenebrescet in tabernaculo illius; & lucerna, quæ super eum est, extinguetur.* 420 XVIII.
23. *Quis mihi det, vt exarentur sermones mei in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice?* 42 XIX.
25. *Scio enim, quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum saluatorem meum.* 42
11. *Ossa eius implebuntur vitijs, adolescentiæ suæ, & cum eo in puluere dormient.* 304 XX.
13. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferos descendunt.* 141 XXI.
12. *Sapientia vbi inuenitur, nescit homo prætium eius. Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius, non conferetur tinctis Indiæ coloribus: nec lapidi Sardonyco, nec commutabuntur pro ea vasa auri: Non adæquabitur ei topazius de Æthiopia; nec tinctura mundissimæ rem ponetur.* 441 XXVIII.
3. *Posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihi metipsi grauis. Egestate & fame steriles, qui rodebant in solitudine squallentes calamitate & miseria.* 209. XXX.
27. *Si lætatum est in abscondito cor meum; & osculatus sum manum meam ore meo.* 9 XXXI.
28. *Quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum.* 9
22. *Ab Aquilone aurum venit.* 254 XXXVII.
10.16. *Vide, obsecro te, Behemoth.* 1344
10.16. *Ecce Behemoth sub vmbra dormit, in secreto calami, & in locis humentibus, protegunt vmbræ vmbram eius, circundabunt eum salices torrentis.* 342. XL.
21. *Numquid pones circulum in næribus eius.* 471

PSALMI.

Beatus vir qui non abit in concilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit. 487 I.
4. *Tanquam puluis, quem proiecit ventus à facie terræ.* 56
7. *Filius meus es tu ego hodie genui te.* 109 II.
9. *Reges eos in virga ferrea & tanquam vas figuli confringes eos.* 226

V. 4. *Ad te clamabo Domine, mane exaudies vocem meam, mane astabo tibi.* 140.
XV. 51. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo; delectationes in dextera tua vsque ad finem.* 418
IX. 5. *Inquinatæ sunt viæ illius omni tempore.* 134
XVII. 10. *Inclinauit cælos, & descendit, & caligo sub pedibus eius.* 325
XVIII. 1. *Cæli enarrant gloriam Dei.* 45
XIX. 5. *Scuto circundabit te veritas eius non timebis.* 447
XXI. 7. *Ego sum vermis.* 444
XXII. 4. *Nam & si ambulauero in medio vmbræ mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es.* 573
XXIII. 7. *Attollite portas Principes vestras, & introibit Rex gloriæ.* 448
XXVIII. 9. *In templo eius omnes dicent gloriam.* 105
3. *Vox Domini super aquas Deus maiestatis intonuit.* 142.
XXX. 11. *Factus sum tanquam vas perditum.* 226
XXXI. 4. *Conuersus sum in ærumna mea dum configitur spina.* 210.
XXXII. 6. *Verbo Domini cæli firmati sunt.* 124.354
XXXV. 7. *Iudicia Dei abyssus multa.* 36.5
10. *Apud te est fons vitæ.* 310.
XXXI. 1. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* 136
XXXIII. 4. *Magnificate Dominum Deum.* 414.
XXXV. 10. *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* 420.422
XXXIII. 6. *Accedite ad Deum, & illuminamini.* 420
XXXVII 8. *Lumbi mei impleti sunt illusionibus, non est sanitas in carne mea.* 420
XXXIX. 8. *In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui.* 530
XL. 1. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem.* 487
XLI. 1. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus: sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei.* 496
XLIV. 1. *Eructauit cor meum verbum bonum, lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* 412
3. *Diffusa est gratia in labijs tuis.* 386
9. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem; propterea vnxit te Deus. Deus tuus oleo lætitiæ.* 466
4. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.* 466
XLVII. *Circundate Sion, & complectimini eam, ponite corda vestra in virtute eius.* 492
3. *Deus in medio eius non commouebitur.* 463
1. *Magnus es tu.* 416
XLIV. 10. *Adstitit Regina à dextris tuis.* 62
14. *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus in frimbrijs circumamicta varietatibus.* 63
XLVIII. 6. *Iniquitas calcanei mei circundabit me.* 164
XLIX. 11. *Pulchritudo agri mecum est; meus est enim orbis terræ & plenitudo eius.* 399.

10. *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata.* 426. L.
16. *Libera me de sanguinibus.* 64
7. *Tibi soli peccaui & malum coram te feci.* 129
8. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* 129
4. *Errauerunt ab vtero locuti sunt falsa.* 307 LVII.
4. *Errauerant ab vtero.* 307
12. *Semel locutus est Deus duo hæc audiui.* 157. 588 LXI.
18. *Currus* Dei *decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in Sinai in sancto, Ascendisti in altum.* LXVII.
7. *Qui exasperant si exaltentur in semetipsis.* 17
8. *Deus cum egrederis in conspectu populi tui, cum pertransieris in deserto,* 152 LXV.
cæli destilauerunt à facie Dei Israel. 386 LXVII.
1. *Te decet hymnus Deus in Sion.* 438 LXIV.
14. *Pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in palore auri.* 500. LXVII.
14. *Quis Deus magnus sicut Deus noster.* 416 LXXVI.
18. *Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium.* 17. 461 LXVII.
19. *Vox tonitrui in rota.* 462
57. *Anticipauerunt vigilias oculi mei, & exercitabar, & scopebam Spiritum meum.* 508
6. *Descendet sicut pluuia.* 432 LXXVIII.
17. *Et de petra melle saturauit eos.* 186 LXXX.
7. *Beatus vir cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo posuit, ibunt* LXXXIII.
de virtute in virtutem, videbitur Deus *deorum in Sion.* 584
3. *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* 422 LXXXVIII.
16. *Beatus populus qui scit iubilationem.* 487
1. *Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur,* XC.
super aspidem & basiliscum ambulabis & conculcabis leonem & draconem. 339
5. *Quoniam omnes Dij gentium* Dæmonia. 520 XCV.
11. *Lux orta est iusto: rectis corde lætitia.* 378 XCVI.
8. *Flumina plaudant manibus.* 194 XCVII.
29. *Auertente autem te turbabuntur.* 346 CIII.
1. *Domine Deus meus magnificatus est vehementer amictus lumine sicut vestimento.* 525
2. *Confessionem & decorem induisti amictus lumine sicut vestimento.* 61. 448.
3. *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum.* 258 CIX.
1. *Beatus vir qui timet Dominum.* 487 CXI.
4. *Exortum est in tenebris lumen rectis.* 420
5. *Iucundus homo qui miseretur & commodat disponet sermones suos in iudicio.* 408
16. *Funes peccatorum appellauit.* 422 CXVIII.
140. *Ignitum eloquium tuum vehementer & seruus tuus dilexit illud.* 168 CXVIII.

162. *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa.* 337
103. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo.* 551
1. *Beati immaculati in via qui ambulant in lege Domini.* 446
CXXVIII. 6. *Dominus Iustus concidet cervices peccatorum. Fiant, sicut fœnum tectorum, quod priusquam evellatur, exaruit: de quo non implebit manum suam qui metet.* 240
8. *Non dixerunt qui præteribant, benedictio Domini super vos; benedicimus vobis in nomine Domini.* 240
CXXIX. 7. *Copiosa apud Deum redemptio.* 425
CIII. 1. *Domine Deus meus, magnificatus es vehementer confessionem, & decorem induisti amictus lumine sicut vestimento.* 327
2. *Decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento.* 61
CXXXVIII. 16. *In libro tuo omnes scribentur.* 3.10.112.145.176
16. *In quo omnes scribentur.* 10
5. *Tu formasti, me & posuisti super me manum tuam: Mirabilis facta est scientia tua ex me.* 529
CXLIII. 10. *Redemisti Dauid servum de gladio maligno.* 90
7. *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me.* 149
CXLIV. 15. *Oculi omnium in te sperãt Domine, & tu das illis escam in tempore oportuno: aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* 249.
CXLVIII 5. *Ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt.* 354
CXLIX. 3. *In tympano & psalterio psallant ei.* 426
CIX. 4. *Tu es sacerdos in æternum.* 14
XIII. 1. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus, sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant. Venenum aspidum sub labijs eorum, quorum os maledictione, & amaritudine plenum est.* 403

PROVERBIA.

I. 8. *Audi fili mi, disciplinam Patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.* 8
II. 14. *Lætantur cum male fecerint & exultant in rebus pessimis.* 405
1. *Si susceperis sermones meos, & absconderis mandata mea penes te: inclina cor tuum ad prudentiam.* 581
III. 1. *Ne obliuiscaris legis meæ; misericordia & veritas te non deserant, scribe eas in tabulis cordis tui.* 8
VIII. 27. *Quando præparabat cælos aderam.* 391
27. *Quando certa lege & gyro vallabat abyssos, cum eo eram cuncta componens.* 371
28. *Quando æthera firmabat sursum & librabat fontes aquarum.* 371
35. *Qui me invenerit, invenerit vitam & hauriet salutem à Domino.* 193. 320.
29. *Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo erat Maria cuncta componens.* 369
IX. 1. *Sapientia ædificauit sibi domum.* 73
6. *Benedictio Domini super caput iusti.* 542

6. *Benedictio Domini super caput iusti.* 549 X.
22. *Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra & fatua.* 471 XI.
27. *Per timorem Domini declinat omnis à malo.* 86 XV.
15. *In hilaritate vultus Regis vita.* 419 XVI.
6. *Corona sunt senum filij filiorum, & gloria filiorum parentes eorum.* 545 XVII.
10. *Turris fortissima nomen Domini.* 385 XVIII.
15. *Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam.* XXII. 287.
23. *Ab æterno ordinata sum.* 295 XXIII.
6. *Adolescens iuxta viam suam: etiam cum senuerit non recedet ab ea.* 302
13. *Noli subtrahere à puero disciplinam; si enim peruicerit cum virga non morietur.* 304
35. *Qui me inuenierit vitam, & hauriet salutem à Domino.* 320
22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquã faceret, à principio quando, &c.* 369
16. *Septies in die cadet iustus.* 49 XXIV.
23. *Quomodo si argento sordido ornare velis vas fictile; sic labia tumentia* XXVI.
cum pessimo corde sociata. 227
22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* 369
23. *Nobilis in portis vir eius.* 217 XXXI.

ECCLESIASTES.

1. *Est aliud malum quod vidi sub sole, & quidem frequens apud homines,* VI.
vir cui dedit Deus diuitias. 58
3. *Et substantiam & honorem: nec tribuit ei potestatem Deus, vt comedat ex eo, hoc vanitas, & miseria magna est.* 90
1. *Omnia tempus habent: tempus flendi, & tempus ridendi.* 52
3. *Si genuerit quispiam centum liberos, & vixerit multos annos; & anima illius non vtatur bonis substantiæ suæ, sepulturaque careat; de hoc ego pronuntio, quod melior illi sit abortiuus.* 59
22. *Cunctis sermonibus qui dicuntur ne accommodes cor tuum; ne forte audias* VII.
seruum tuum maledicentem tibi; scit enim conscientia tua, quia & tu crebro maledixisti alijs. 404

CANTICA.

1. *Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia, vnguentis optimis: curremus* I.
in odorem vnguentorum tuorum: adolescentulæ dilexerunt te. 398
16. *Lectulus noster floridus.* 563
11. *Dum esset Rex in accubitu suo; nardus mea dedit odorem suum.* 564
19. *Ego flos campi.* 198. 563 II.
10. *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Flores apparuerunt in terra nostra; tempus putationis aduenit, vox turturis audita est in terra nostra.* 286 513. 575
14. *Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* 416. 430

5. *Fulcite me floribus; stipate me malis; quia amore langueo.* 563
16. *Dilectus meus mihi; & ego illi: qui pascitur inter lilia donec aspiret dies, & inclinentur umbræ.* 552
6. *Læua eius sub capite meo, & dextera illius complexabitur me.* 572
7. *Adiuro vos, filiæ Ierusalem per capreas, cernosque camporum, ne suscitetis dilectam quoad vsque ipsa velit.* 570

III. 11. *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* 478
9. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constrauit, propter filias Ierusalem.* 425.596
1. *In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea: surgam & circuibo ciuitatem, per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea.* 568.
3. *Sicut fragmẽ mali punici, ita genæ tuæ. Sicut vitta coccinea labia tua.* 269

IV. 13. *Emissiones tuæ paradisus.* 575
3. *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ absque eo, quod intrinsecus latet.* 568.
9. *Vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* 137.505.
12. *Hortus conclusus, fons signatus.* 300
11. *Fauus distillans labia tua: & eloquium tuum dulce.* 301.430.567
3. *Sicut vitta coccinea labia tua.* 430
11. *Mel, & lac sub lingua tua.* 297.430
1. *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es! sicut fragmẽ mali punici, ita genæ tuæ, odor vnguentorum tuorum super omnia aromata, fauus distillans labia tua, sponsa: mel, & lac sub lingua tua: & odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris, Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus cypri cum nardo. Nardus & crocus, fistula & cinnamomum cum vniuersis lignis libani, mirrha & Aloe cum omnibus primis vnguentis.* 299
15. *Fons hortorum.* 300
12. *Hortus conclusus soror mea, sponsa hortus conclusus.* 212

V. 13. *Labia sicut eius lilia.* 115
6. *Anima mea liquefacta est, vt loquutus est sponsus.* 351
2. *Aperi mihi: soror mea, columba mea, immaculata mea.* 567
2. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* 570

VI. 12. *Reuertere, reuertere, vt intueamur te.* 600
9. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis, vt castrorum acies ordinata.* 140.159.467
9. *Pulchra vt luna, electa vt sol.* 153
8. *Vna est columba mea vna est matri suæ electa genitricis suæ pulchra vt luna, electa, vt sol.* 160.468

VII. 2. *Venter tuus, sicut acerus tritici vallatus liliis.* 113.164.511.552
1. *Quid videbis in sulamite, nisi choros castrorum?* 141

11. Veni dilecte mi; mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt; ibi dabo tibi vbera mea. 286
4. Oculi tui sicut piscinæ Hesebon. 313
5. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delicijs affluens, innixa super dilectum suum. 105.160 VIII.
6. Lampades eius, lampades ignis atque flammarum. 313
10. Ego murus & vbera mea, sicut turris; ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens. 481.561
6. Fortis est vt mors dilectio. 561
2. Dabo tibi poculum mustum malorum granatorum. 566
7. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. 583

SAPIENTIÆ.

6. Benignus est Spiritus Sapientiæ: & non liberabit maledictum à labijs suis. 407 I.
23. Deus creauit hominem inexterminabilem, ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. 529 II.
1. Dixerunt enim, cogitantes apud se non recte; exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis: & non est qui agnitus est reuersus ab inferis, quia ex nihilo nati sumus, & post erimus quasi non fuerimus, cinis erit corpus nostrum & spiritus diffundetur tanquam mollis aër & transibit vita nostra tanquam vestigium nubis; & sicut nebula dissoluetur: venite ergo & fruamur bonis quæ sunt: vino pretioso, & unguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis, coronemus nos rosis antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. 209
13. Infelix est vacua spes illorum & labores sine fructu. 422 III.
14. Infinitus est thesaurus hominibus. 58.357 VII.
4. Sapientia infinitus thesaurus est. 441
16. Non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius. 420 VIII.
14. Incertæ prouidentiæ nostræ. 397
21. Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filio habes, ostendebat. 423. XVI.
2. Dum persuasum habent iniqui, posse dominari nationi sanctæ perpetuæ vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti inclusi sub tectis, fugitiui prouidentiæ iacuerunt. 152 XVII.

ECCLESIASTICI.

5. Fons Sapientiæ Verbum Dei. 441 I.
20. Quanto maior es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam, quoniam Deus ab humilibus honoratur. 359 III.
19. Humilia valde spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impij ignis & vermis. 358 VII.

XI. 16. *Error & tenebræ peccatoribus concreata sunt.* 151
XIII. 11. *Noli esse humilis in sapientia tua.* 580
XVII. 9. *Addit illis disciplinam & legem vitæ hæreditauit illos : testamentum æternum constituit cum illis, & iustitiam & iudicia sua ostendit illis ; & dixit illis, attendite ab omni iniquo : & mandauit illis vnicuique de proximo suo.* 7
5. *Consilium dedit illis, & disciplina intellectus repleuit illos.* 8
XXI. 31. *Susurro coinquinabit animam suam, & in omnibus odietur, & qui cum eo manserit odiosus erit : Tacitus & sensatus honorabitur.* 407
XXII. 30 *Ante ignem camini vapor & fumus ignis in altatur, sic & ante sanguinem maledicta, & contumeliæ & minæ.* 403
XXIV. 27. *Spiritus meus super mel dulcis.* 567
32. *Hæc omnia liber vitæ.* 112
23. *Flores mei fructus honoris & honestatis.* 211
XXV. 5. *Quæ in iuuentute non congregasti, quomodo inuenies in senectute?* 258
XXVI. 12. *Fornicatio mulieris in extollentia oculorum, & in palpebris eius agnoscitur.* 10
XLI. 10. *De patre impio queruntur filij : quoniam propter illum sunt in opprobrio.* 302.
XLIV. 17. *Noe inuentus est perfectus.* 281
XLVI. 19. *Vidit Deum lucis, & inuocauit Dominum omnipotentem.* 517
XLVII. 21. *Potestatem habuisti in corpore tuo.* 35
2. *Quasi adeps separatus à carne, sic Dauid à filijs Israel, inuocauit Dominum omnipotentẽ; & dedit in dextera eius tollere hominem fortem in bello, exaltare cornu gentis suæ, sic in decem millibus glorificauit eum in benedictionibus Domini in offerendo illi coronam gloriæ in omni opere dedit confessionem sancto & excelso in verbo gloriæ, de omni corde suo laudauit Dominum & dilexit Deum qui fecit illum, & stare fecit cantores contra altare, & in sono eorum dulces fecit modos, & dedit in celebrationibus decus, & ornauit tempora vsque ad consummationẽ vitæ : vt laudaret nomen sanctum Domini ; & amplificaret mane Dei sanctitatem. Dominus purgauit peccata ipsius, & dedit illi testamentum & sedem regni Israel.* 99.
XLIX. 10. *Ezechiel qui vidit conspectum gloriæ, quam ostendit illi in curru cherubim.* 461
L. 8. *Quasi flos rosarum in diebus vernis : & quasi lilia, quæ sunt in transitu aquæ.* 613
10. *Simon Onias filius quasi vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso.* 227.
I. 1. *Visio Isaiæ filij Amos, audite cæli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus loquutus est.* 182
II. 2. *Præparatus mons domus Domini in vertice montium.* 413
V. 24. *Radix eorum quasi fauilla erit.* 24
7. *Vinea Domini exercituum domus Israel est.* 65
VII. 14. *Dabit Dominus ipse vobis signum, ecce Virgo concipiet & pariet.* 160. 162.

1. *Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis; Velociter spolia detrahe, cito prædare, & accessi ad prophetissam, & cõcepit & peperit filiũ, & dixit Dominus ad me; voca nomen eius, accelera spolia detrahere: festina prædare.* 169 VIII.

6. *Pro eo quod abiecit populus iste aquas Siloë, quæ vadunt cum silentio; & assumpsit magis Rasim, & filium Romeliæ; Dominus adducet aquas fluminis fortes, & multas, Regem Assyriorum, & omnem gloriam eius.* 171

18. *Ego mittam in fundamentis Sion lapidem probatum angularem pretiosum.* 513

18. *Succensa est enim quasi ignis impietas, & conuoluetur superbia fumi.* 24 IX.

6. *Paruulus filius datus est nobis.* 418

7. *Princeps Pacis.* 484

5. *Erit iustitia cingulum lumborum eius.* 130 XI.

1. *Egredietur virga de radice Iesse & flos de radice eius ascendet; & requiesset super eum Spiritus Domini. Non secundum visionem oculorum iudicabit, neque secundum auditum aurium arguet.* 446

4. *Notas facite in populis adinuentiones eius.* 329

2. *Ecce Deus Saluator meus fiducialiter agam, & non timebo, Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris: & dicetis in illa die, confiteminî Domino & inuocate nomen eius.* 332

6. *Quia magnus in medio tui.* 325

1. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum.* 246.433. XIX.

21. *Dabo clauem Dauid super humerum eius; & aperiet, & non erit qui claudat, & claudet & non erit qui aperiat.* 447 XXII.

1. *Vrbs fortitudinis nostræ Sion. Saluator ponetur in ea murus antemurale.* 589. XXVI.

15. *In silentio & in spe erit fortitudo.* 583 XXX.

7. *Fraudulenti vasa pessima.* 227 XXXII.

22. *Dominus legifer noster, Dominus iudex noster.* 450 XXXIII.

27. *Ponam circulum in naribus tuis, & frænum in labijs tuis.* 467 XXXVII.

8. *Gloriam meam alteri non dabo.* 67 XLII.

6. *Omnis caro fœnum.* 240 XL.

9. *Væ qui contradicit factori suo, testa de samijs terræ,* 225 XLV.

8. *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* 247

15. *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel saluator.* 375

3. *Dabo tibi Thesauros absconditos.* 375

9. *Seruus meus es tu, elegi te.* 526 XLI.

1. *Attendite ad petram vnde excisi estis: attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos.* 74 LI.

1. *Brachium Domini cui reuelatum est.* 423.427 LIII.

7. *Oblatus est quia ipse voluit.* 522

7. *Ad punctum in medio reliquite.* 141 LIV.

1. *Vtinam disrumperes cælos, & descenderes.* 427 LXIV.

Cælum sedes mea. 432.459 LXVI.

BIBLIOTE
UNIVERSI
GRANA

1. *Quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum.* 487.

IEREMIÆ.

I. 6. *A. A. A. Domine, ecce nescio loqui.* 438
II. 19. *Vide, quia malum, & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum.*
20. *A seculo confregisti iugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti non seruiam.* 503
36. *Quam vilis est iterans vias tuas.* 100
XIII. 16. *Expectabitis lucem, & ponet eam in vmbram mortis.* 554
XVII. 1. *Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo in vngue adamantino, & exaratum super latitudinem cordis eorum.* 225
5. *Maledictus homo qui recedit à Domino, habitabit in ciuitate, in deserto in terra salsuginis, & inhabitabili* 46
XVIII. 6. *Sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea.* 225
XIX. 11. *Sic conteram populum istum, sicut conteritur vas figuli, quod non potest vltra instaurari.* 9
XXIII. 6. *In diebus illis saluabitur Iuda.* 322
XXXI. 22. *Virum circundans.* 162
21. *Fœmina circundabit virum.* 334.354
22. *Vsquequo delicius dissolueris filia vaga.*
XXXI. 30. *Iugiter facientes malum in oculis meis ab adolescentia sua, cœperunt malefacere ab infantia.* 287

BARVCH.

VI. 58. *Melius est esse Regem, aut vas in domo vtile, in quo gloriatur qui possidet illud.* 227

EZECHIEL.

I. 16. *Quasi sit rota in medio rotæ.* 333
3. *Nubes magna, & ignis inuoluens, & splendor in circuitu eius, & de medio eius quasi species electri, & similitudo quatuor animalium, & hic aspectus eorum, quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni. Duæ pennæ singulorum iungebantur, & duæ tegebant corpora eorum; & vnumquodque ante faciem suam ambulabat, cumque aspicerem animalia, apparuit rota vna super terram, & aspectus rotarum, & opus earum quasi visio maris, & aspectus earum, & opera, quasi sit rota in medio rotæ.* 461.543
26. *Et super firmamentum quod erat imminens capiti eorum, quasi aspectus lapidis Sapphiri similitudo throni.* 461.538
16. *Aspectus rotarum, & opus earum quasi visio maris.* 464
26. *Et super similitudinem throni similitudo quasi aspectus hominis desuper, & vidi quasi speciem electri, velut aspectum ignis intrinsecus eius per circuitum: velut aspectum arcus, cum fuerit in nube in die pluuiæ.* 538
28. *Hic erat aspectus splendoris per gyrum.* 540

16. *Quasi erat rota in medio rotæ.* 543

5. *Similitudo hominis in eis quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni. Similitudo autem vultus eorum, facies hominis, & facies leonis, facies bouis & facies aquilæ, vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, cum ambularent quasi sonus erat multitudinis vt sonus castrorum, Hæc visio gloriæ Domini.* 543

12. *Audiui post me vocem commotionis magnæ: benedicta gloria Domini de loco sancto suo.* 546 III.

1. *Comede volumen istud; & vadens loquere ad filios Israel, & aperui os meum, & cibauit me volumine illo, & factum est in ore meo quasi mel dulce.* 104

1. *Sume tibi laterem & scribis in eo ciuitatem Ierusalem.* 42 IV.

3. *Signum est domui Israel.* 42

1. *Et vidi, & ecce in firmamẽto, quod erat super caput Cherubim, quasi lapis saphirus, & dixit ad virum, qui indutus erat lineis; ingredere in medio rotarum; & eleuata est gloria Domini super Cherubim, & sonus alarum Cherubim audiebatur, ingressus ille stetit iuxta rotam.* 16. 461 X.

13. *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum; sardius, Topazius, & Iaspis, Chrysolitus, & Onyx, & Berillus, Saphirus, & Carbunculus, & Smaragdus, aurum opus decoris tui, & foramina tua in die, qua conditus es præparata sunt.* 253 XXVIII.

22. *Saluabo gregem meum, & non erit vltra in rapinam, & iudicabo inter pecus, & pecus, & suscitabo inter eos pastorem meum.* 450 XXXIV.

22. *Non propter vos ego facio domus Israel; sed propter nomen sanctum meũ.* XXXVI.

33. *Hæc dicit Dominus, in die qua mãdauero vos, ex omnibus inquinamentis vestris, & inst aurauero ruinosa, & terra deserta fuerit exculta, quæ quondam erat desolata in oculis omnis viatoris: dicent; terra illa inculta facta est vt hortus voluptatis.* 427

3. *Funiculus lineus in manu eius, & calamus mensuræ in manu eius.* 461 XL.

3. *Ecce vir eius species erat quasi species æris, & funiculus lineus in manu eius, & calamus mensuræ.* 76

2. *Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam: eritque clausa Principi.* 560. XLIV.

DANIEL.

35. *Ferrũ, testa, æs, argentum, & aurum: & redacta quasi in fauillam æstiuæ areæ, quæ rapta sunt vento.* 44 II.

1. *Nabuchodonosor fecit statuam magnam auream altitudine cubitorum sexaginta, latitudine cubitorum sex.* 60 III.

2. *Somnium vidi, quod perterruit me: & cogitationes meæ conturbauerunt me.* 338 IV.

Apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis. Tunc facies Regis commutata est, & cogitationes conturbabant eum: & compages renum eius soluebantur & genua eius adse V.

inuicem collidebantur. 337

VII. 17. *Aspiciebam ergo in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli, quasi filius hominis veniebat, vsque ad antiquum dierum peruenit, & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi tribus, & linguæ ipsi seruient.* 363.

XIV. 13. *Signantes annulo Regis abierunt.* 448

35. *Et apprehendit eum Angelus Domini in vertice eius, & portauit illum capillo capitis sui.* 135

OSEE.

V. 8. *Clangite buccina in Gabaa.* 482

VIII. 1. *In gutture tuo sit tuba.* 482

8. *Israel factus est, quasi vas immundum.* 226

XI. *Puer Israel, & dilexi eum.* 433

IOEL.

III. 18. *In die illa stillabunt montes dulcedinem; & colles fluent lacte.* 431.552

AMOS.

IV. 4. *Offerte mane victimas vestras.* 506

VIII. 10. *Ponam nouissima eius, quasi diem amarum.* 303

IX. 13. *Ecce dies venient. Dicit Dominus, stillabunt montes dulcedinem, & omnes colles culti erunt.* 413.553

IX. 13. *Ecce dies venient; stillabunt montes dulcedinem.* 553

MICHÆAS.

V. 2. *Tu Bethlehem. Ephrata, paruulus, es in millibus Iuda ex te mihi, egredietur qui sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio, à diebus æternitatis.* 438

2. *Egressus eius ab initio, à diebus æternitatis.* 439

AGGÆVS.

II. 9. *Meum est aurum, meum est argentum.* 61

20. *Numquid iam semen in germine est; & adhuc vinea, & ficus & malogranatum, & lignum oliuæ non floruit.* 111

16. *Ponite corda vestra à die hac, & supra antequam poneretur lapis super lapidem in templo Domini.* 111

II. 8. *Veniet desideratus cunctis gentibus; & magna erit gloria domus istius nouissimæ plusquam prima.* 144

ZACHARIAS.

II. 4. *Absque muro habitabitur Ierusalem pra multitudine hominum, & ego*

exo ei murus ignis in circuitu & in gloria, O, O, fugite de terra aquilonis, qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. 490

6. *Hæc est amphora egrediens, & ecce talentum plumbi portabatur: & ecce mulier vna sedens in medio amphoræ, & dixit Angelus: hæc est impietas: & proiecit eã in medio amphoræ, & misit massam plũbeam in os eius.* 589 V.

7. *Ecce mulier vna sedens in medio amphoræ: & dixit Angelus: hæc est impietas: & misit massam plumbeam in os eius, & ecce duæ mulieres egredientes, & spiritus in alis earum, & habebant alas, quasi alas milui: & leuauerunt amphoram inter terram, & cælum, vt ædificetur ei domus in terra Sanaar.* 234.589.593 V.

9. *Ecce duæ mulieres egredientes, & spiritus in alis earum, & habentes alas, quasi alas Milui: & leuauerunt amphoram inter terram & cælum, vt ædificaretur ei domus in terra Sanaar.* 589 V.

12. *Ecce vir oriens nomen eius.* 448 VI.

MALACHIAS.

1. *Veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis, & sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui.* 551 III.

1. *Ecce mitto Angelum meum, qui præparabit, &c.* 246.413.429

1. *Statim veniet ad templum suum, quem vos queritis, & Angelus testamenti.* 551

I. MACHABÆORVM.

3. *Siluit terra in conspectu eius.* 438 I.

II. MACHABÆORVM.

20. *Supra modum autem mater mirabilis & honorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios sub vnius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat propter spem, quam in Deum habebat, &c.* 220 VII.

MATHÆVS.

1. *Liber generationis Iesu Christi.* 73.80.83.103.110.143.167.195 I.

15. *Mathan autem genuit Iacob; Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* 34.40.73.107

20. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* 34.107.185

21. *Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* 322

6. *Ex te enim exiet dux, qui regat populum suum Israel.* 438 II.

17. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene placui.* 109.183 III.

3. *Beati pauperes spiritu.* 580 V.

18. *Amen dico vobis, donec transeat cælum, & terra Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege.* 123

44. *Diligite inimicos vestros, vt sitis filij Patris vestri.* 156

22. *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex; totum corpus tuum lucidum erit.* 151 VI.

26. *Respicite volatilia cæli; non serunt, neque metunt, & Pater vester cælestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant, neque nent. Dico enim vobis, quod nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis. Nolite ergo soliciti esse, scit enim Pater vester, quia iis omnibus indigetis.* 498

VII. 21. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum; sed qui facit voluntatem Patris mei.* 331

VIII. 20. *Filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet.* 363

28. *Occurrerunt ei duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes, sæui nimis, ita vt nemo posset transire per viam istam.* 387

IX. 2. *Dixit paralytico, remittuntur tibi peccata tua.* 243

6. *vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem dimittendi peccata.* 363.

22. *Quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis; & salua facta est mulier ex illa hora.* 387

X. 16. *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* 500

23. *Non consummabitis ciuitates Israel, donec veniat filius hominis.* 364

34. *Non veni pacem mittere, sed gladium.* 466

XI. 10. *Hic est enim, de quo scriptum est: ecce ego mitto Angelum meũ ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* 246

11. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* 218

29. *Tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiem animabus vestris: iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* 16

XII. 6. *Dico autem vobis, quia templo maior est hic. Dominus enim est filius hominis.* 363

22. *Curauit eum ita vt loqueretur, & videret.* 288

42. *Ecce plusquam Salomon hic.* 228

XIII. 31. *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* 124

XIV. 26. *Quia Phantasma est.* 341

XVI. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* 463

XVII. 17. *Et curatus est puer ex illa hora.* 388

XVIII. 20. *Vbicunque fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo; ibi sum in medio eorum.* 420

11. *Venit filius hominis, quærere, & saluum facere, quod perierat.* 370

XXII. 13. *In tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium.* 410

XXV. 3. *Quinque ex eis erant fatuæ; quæ non sumpserunt oleum secum.* 331. 471

15. *Vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij autem vnum. Ego elegi vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.*

30. *Cum autem venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit in sede maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes. Tunc dicet Rex eis, qui à dextris eius erunt: venite benedicti Patris mei.* 364

31. *Cum venerit filius hominis in maiestate sua, & congregabuntur ante eum omnes gentes: & separabit eos ad inuicem, sicut pastor segregat oues ab hædis: tunc dicet rex his, qui à dextris eius erunt: venite benedicti Patris*

mei, possidete paratum vobis regnum: discedite à me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius. 449
26. *Serue male & piger. Tollite itaque ab eo talentum; & inutilem seruum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus, & stridor dentium.*
26. *Accipite, & comedite.* 532 XXVI.
42. *Pater mi, si non potest calix hic transire, nisi vt bibam illum, fiat voluntas tua.* 530
13. *In toto mundo dicetur, quod hæc fecit in memoriam eius.* 230 XXVII.
54. *Centurio autem, & qui cum eo erant viso terræ motu, & his, quæ fiebant, timuerunt valde dicentes; vere filius Dei erat hic.* 183

MARCVS.

17. *Non necesse habent sani medico: sed qui male habent. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores.* 332 II.
37. *Facta est procella magna venti; & fluctus mittebat in nauim, ita vt impleretur nauis, & surgens comminatus est vento. Et dixit mari. Tale, obmutesce, & cessauit ventus, & facta est tranquilitas magna.* 243 IIII.
31. *Inter medios fines Decapoleos.* 388 VII.
9. *Erant autem qui manducauerant quasi quatuor millia.* 388 VIII.
22. *Habete fidem Dei.* 582 XI.

LVCAS.

28. *Turbata est in sermone eius.* 335 I.
31. *Ecce concipies in vtero, & paries: & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus.* 173
66. *Quis putas puer iste erit?* 196
57. *Audierunt vicini & cognati Elisabeth, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei.* 215
28. *Dilexit multum.* 223
35. *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* 316. 330. 384.
30 *Ne timeas, Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum, hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur.* 316. 336
28. *Aue gratia plena.* 358
34 *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* 316. 384
29. *Turbata est in sermone eius.* 115. 335
27. *Missus est Angelus Gabriel à Deo ad virginem desponsatam viro.* 328.
38. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* 353
29. *Cogitabat qualis esset ista salutatio.* 369
78. *Per viscera misericordiæ Dei nostri.* 370. 377
39. *Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione, in ciuitatem Iuda, & intrauit domum Zachariæ, & visitauit Elisabeth.* 373

30. *Inueniſti gratiam apud Deum.* 384
78. *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto: illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.* 425
41. *Vt audiuit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, repleta eſt Spiritu ſancto.* 379.385.
30. *Inueniſti gratiam apud Deum: ecce concipies.* 384
44. *Ecce enim vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo.* 374.387.401
41. *Repleta eſt Spiritu ſancto Eliſabeth; & exultauit voce magna, & dixit. Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* 374.393
47. *Exultauit ſpiritus meus.* 374.400
5. *Fuit in diebus Herodis ſacerdos quidam nomine Zacharias.* 401
56. *Magnificat anima mea Dominum.* 374.393
Benedicta tu inter mulieres. 374
39. *Exurgens Maria in diebus illis, abiit in montana, & viſitauit Eliſabeth.* 373.
42. *Benedictus fructus ventris tui.* 374
47. *Exultauit ſpiritus meus, in Deo ſalutari meo.* 374.426
68. *Benedictus Dominus Deus Iſrael: quia viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ.* 425
48. *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* 426
49. *Quia fecit mihi magna qui potens eſt.* 427
50. *Et miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.* 428
52. *Depoſuit potentes de ſede: & exaltauit humiles.* 429
53. *Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes.* 429
55. *Sicut loquutus eſt ad Patres noſtros: Abraham & ſemini eius in ſæcula.* 429
7. *Non erat eis locus in diuerſorio.* 492
II. 9. *Claritas Dei circumfulſit paſtores.* 161
32. *Lumen ad reuelationem gentium.* 182.514
34. *Poſitus eſt hic in ſignum, cui contradicetur.* 183
36. *Erat Anna Prophetiſſa, hæc proceſſerat in diebus multis, & hæc vidua vſque ad annos octoginta quatuor, quæ non diſcedebat de templo ieiuniis, & obſecrationibus ſeruiens nocte, ac die.* 292
52. *Ieſus proficiebat ætate & gratia apud Deum.* 323
14. *Gloria in Altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* 466.
Facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis laudantium Deum, & dicentium. 484
22. *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ.* 498
32. *Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.* 514
22. *Tulerunt illum in Hieruſalem, vt ſiſterent eum Domino.* 516
34. *Benedixit illis.* 535
28. *Benedixit eum.* 533.535

30. *Viderunt*

30. *Viderunt oculi mei salutare tuum. Lumen ad revelationem gentium.* 534
24. *Par turturum, aut duos pullos columbarum.* 544
25. *Homo iustus, & timoratus expectans, solationem Israel, &c.* 545
19. *Maria conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* 589
25. *Ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, vt putabatur filius Ioseph.* III.
17. *Et erant Pharisæi sedentes, & legis doctores qui venerant ex omni castello Galilææ, & Iudeæ, & Hierusalem, & virtus Domini erat ad sanandum eos.* 388 V.
44. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ad inuicem accipitis.* 581
37. *Attulit alabastrum vnguenti, & stans retro, &c.* 229 VII.
50. *Fides tua te saluum fecit.* 230
47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* 230
15. *Dedit illum matri suæ.* 388
35. *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite.* 183 IX.
38. *Intrauit Iesus in quoddam castellum.* 555.601 X.
27. *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* 297 XI.
20. *Si in digito Dei eijcio dæmonia: profecto peruenit in vos regnum Dei.* 249
49. *Ignem veni mittere in terram.* 324 XII.
2. *Capilli capitis vestri omnes numerati sunt.* 498.504
18. *Pater peccaui in cælum, & cõtra te, iam non sum dignus vocari filius tuus.* 154. XV.
20. *Cum adhuc longe esset, vidit eum pater ipsius, & accurrens cecidit super colum eius, & osculatus est eum.* 156 XV.
16. *Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem: ex eo regnum Dei euangelizatur.* 402. XVI.
10. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus.* 489. XVII.
19. *Nemo bonus nisi solus Deus.* 400 XVIII.
25. *Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris Cæsari.* 503 XX.
25. *Erunt signa in sole, luna, & stellis, & in terris pressura gentium, arescentibus hominibus, præ timore, & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi.* 449. XXI.
20. *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine.* 112.480. XXII.
46. *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* 532 XXIII.
34. *Pater dimitte eis.* 532
45. *Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas.* 103 XXIV.

IOANNES.

14. *Verbum caro factum est.* 33.39.182. I.
1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* 39.243
7. *Venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine.* 109
34. *Ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei.* 109
12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* 155
27. *Non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti.* 160
9. *Erat lux vera, illuminans omnem hominem venientem in hunc mũdũ.* 161. 182.376.419.

1. *Deus erat Verbum.* 182
1. *In principio erat Verbum: erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem.* 182.
1. *In principio erat verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum.* 182
2. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* 236
14. *Dominum Christum plenum gratiæ, & veritatis.* 182
16. *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus.* 320
17. *Gratia, & veritas per Iesum Christum facta est.* 322
9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem.* 353
11. *In propria venit.* 370.483
9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* 377
8. *Non erat ille lux sed vt testimonium perhiberet de lumine.* 379
29. *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* 442
11. *In propria venit, & sui eum non receperunt.* 483
36. *Ecce agnus Dei.* 524

II. 11. *Hoc fecit initium signorum Iesus.* 182
19. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* 484

III. 3. *Nisi quis renatus fuerit denuo: non potest videre regnum Dei. Quomodo potest homo nasci, cum sit senex: numquid potest in ventrem matris suæ iterum introire, & renasci?* 154.385
7. *Oportet vos nasci denuo.* 312
13. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo.* 364
5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei.* 384

IIII. 10. *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi; da mihi bibere, tu forsitan, &c.* 310
48. *Nisi signa, & prodigia videritis, non credetis.* 446

V. 35. *Lucerna ardens, & lucens.* 361
9. *Et statim sanus factus est homo ille; & substulit grabatum suum, & ambulabat.* 388

VI. 12 *Colligite fragmenta ne pereant.* 80.
14. *Illi homines videntes, quod Iesus fecerat signum, dixerunt, quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum.* 175
26. *Quæritis me, non quia vidistis signum: sed quia saturati estis. Operamini cibum, qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis. Hunc Pater signauit Deus.* 186

VII. 12. *Quia bonus est, alij non, sed seducit turbas.* 568

VIII. 33. *Semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquam.* 148
37. *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* 148
44. *Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.* 148
34. *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* 137.367
42. *Ego ex Deo processi.* 181
56. *Abraham exultauit, vt videret diem meum: vidit & gauisus est.* 424

34. *In peccatis natus est totus.* 164 IX.
1. *Præteriens Iesus vidit hominem cæcum à natiuitate.* 388
3. *Infremuit spiritu, & turbauit se ipsum.* 242 XI.
47. *Hic homo multa signa facit, si dimittimus eum sic, omnes credent in eum.* 446.
13. *Ecce quem amas infirmatur.* 565
14. *Nisi granũ frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem, &c.* 329. 312 XII.
31. *Nunc princeps mundi huius eiycietur foras.* 466. 480
31. *Nunc princeps huius mundi eiycietur foras: & ego si exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipsum, hoc autẽ dicebat significans qua morte esset moriturus.* 479
8. *Domine ostende nobis Patrem.* 11 XIV.
6. *Ego sum via, veritas, & vita: nemo venit ad Patrem, nisi per me.* 370
9. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.* 172
7. *Si cognouissetis me, & Patrem meum vtique cognouissetis.* 173. & 177
1. *Ego sum vitis, & vos palmites.* 69. 457 XV.
4. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, sic nec vos, nisi in me manseritis.* 533
18 *Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit.* 465
28. *Exiui à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* 448 XVI.
7. *Manifestaui nomen tuum hominibus.* 585
37. *Ego in hoc natus sum, vt testimonium perhibeam veritatis.* 183. 446 XVIII.
5. *Quem quæritis? Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.* 242
37. *Ego in hoc natus sum; & ad hoc veni in mundum, vt testimoniũ perhibeam veritati.* 446
35. *Qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius.* 185 XIX.
25. *Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius.* 296. 481
30. *Multa quidẽ & alia signa fecit Iesus, quæ nõ sunt scripta in libro hoc.* 188 XX.
25. *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula; nec ipsum arbitror mundum capere eos posse, qui scribendi sunt, libros.* 188 XXI.

ACTA APOSTOLORVM.

20. *Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* 55 VIII.
10. *Iugum quod nec patres nostri, nec nos portare potuimus.* 42. 462 XV.
10. *Nunc ergo quid tentatis Deum imponere iugum super ceruices discipulorum: sed per gratiam Domini Iesu Christi credimus saluari.* 43
28. *In ipso viuimus, mouemur, & sumus.* 526 XVII.

AD ROMANOS.

28. *Sicut non probauerunt Deum habere in notitia; tradidit Deus illis in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniunt, &c.* 139 I.
14. *Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt; eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* 7 I.
5. *Secundum duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die*

iræ, & reuelationis iudicis iusti Dei, qui reddet vnicuique secundum opera eius. 226

V. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum.* 56.117 251.581.

12. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* 87.94.125.

18. *Per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ.* 333

15. *Non sicut delictum, ita & donum.* 511

VI. 20. *Cum enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ.* 151

23. *Gratia Dei vita æterna.* 320

VII. 22. *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* 51.88

18. *Velle adiacet mihi: perficere autem bonum, non inuenio. Non enim quod volo bonum hoc facio, sed quod odi malum hoc ago.* 88

14. *Carnalis sum venumdatus sub peccato.* 152

6. *Ita vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate litteræ.* 457

VIII. 20. *Hæc ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* 155.260

16. *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei. Si autem filij, & hæredes, hæredes quidem Dei: cohæredes autem Christi.* 155

3. *Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum.* 361

6. *Prudentia carnis inimica est Deo.* 581

IX. 21. *An non habet potestatem figulus luti, ex eâdem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?* 225

22. *Deus sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ, in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* 228

XI. 36. *In ipso sunt omnia.* 441

33. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei.* 441

XII. 1. *Obsecro itaq; vos fratres per misericordiã Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiã viuentẽ, sanctã, Deo placentem, rationabile obsequiũ vestrum.* 524

2. *Nolite conformari huic sæculo.* 489

XIII. 12. *Abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* 161

XV. 4. *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* 530

16. *Vt fiat oblatio gentium accepta, & sanctificata in Spiritu sancto.* 503

I. CORINTH.

I. 5. *Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei.* 572

III. 11. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus.* 463

23. *Omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* 357

IV. 7. *Quid habes, quod non accepisti?* 522

VI. 20. *Empti enim estis pretio magno.* 357

XIV. 4. *Qui loquitur lingua se ipsum ædificat.* 579

XV. 14. *Si Christus non resurrexit, inanis est fides vestra.* 467

II. CORINTH.

14. *Odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco.* 523 II.
15. *In Christo euacuatur.* 566 III.
7. *Habemus thesaurum in vasis fictilibus.* 225 IV.
17. *Æternum gloriæ pondus.* 235 VI.
15. *Quæ ergo conuentio lucis ad tenebras?* 422
16. *Est is templum Dei viui.* 228 IX.
7. *Hilarem enim datorem diligit Deus.* 190
4. *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum.* 489 X.
7. *Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus sathanæ: propter quod ter Dominum rogaui, vt discederet à me, & dixit mihi, sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.* 51 XII.
11. *Idem sapite, pacem habete.* 470 XIII.

AD GALATAS.

11. *Cum autem venisset Cephas ad Antiochiam, in faciem ei restiti: quia reprehensibilis erat.* 47 II.
16. *Vt iustificemur ex fide Iesu Christi.* 585
22. *Concluſit scriptura omnia sub peccato.* 71 III.
1. *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati; ante quorum oculos præscriptus est Christus Iesus in vobis crucifixus?* 187
4. *Misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege.* 325.372 IIII.
4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere, vt adoptionem filiorum reciperemus.* 217.371
22. *Scriptum est enim, quoniam Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera. Sed qui de ancilla est secundum carnem natus est, qui autem, &c.* 367
12. *Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, cõtinentia, castitas.* 400 V.
13. *Vos enim in libertatem vocati estis fratres: tantum ne libertatem in occasionem detis carnis: sed per charitatem spiritus seruite inuicem.* 368
15. *Quod si inuicẽ mordetis, & comeditis, videte ne ab inuicẽ cõsumamini.* 405
17. *Caro enim concupiscit aduersus spiritum; spiritus autẽ aduersus carnẽ.* 467 VI.
15. *Noua creatura.* 136

AD EPHESIOS.

4. *Elegit nos in Christo ante mundi constitutionem, &c.* 93 I.
5. *Prædestinauit nos in adoptionem filiorum, in laudem gloriæ gratiæ suæ.* 347
13. *Signati estis spiritu promissionis sancto: qui est pignus hæreditatis nostræ.* 254
3. *Eramus natura filij iræ.* 215 II.
17. *In charitate radicati, & fundati.* 580 III.
27. *Nolite locum dare diabolo.* 235 IV.
18. *Implemini Spiritu sancto loquentes vobismetipsis in Psalmis, &c.* 385 V.
11. *Induite vos armatura Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli.* 344 VI.
12. *Contra mundi rectores tenebrarum harum.* 161

AD PHILIPPENSES.

5. *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cum in forma Dei* II.

esset. 41.61.360.535
7. In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. 244.530
6. Qui cum in forma Dei esset. 356
7. Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens. 351.418
10. Vt in nomine Iesu omne genu flectatur. 67
2. Implete gaudium meum vt idem sapiatis, eandem charitatem habentes vnanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem, &c. 361

AD COLOSSENSES.

I. 15. Primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cœlis, & in terra, visibilia, & inuisibilia. 14.541
15. Qui est imago Dei inuisibilis. 332
II. 3. In quo omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ sunt absconditi. 54.276.357. 485.523.
2. Vt consolentur corda ipsorum instructi in charitate, & in omnes diuitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterij Dei Patris & Christi Iesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi. 442
9. In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. 244
III. 9. Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis: inducite nouum eum, qui renouatur in agnitionem secundum imaginem eius, qui creauit illũ. 332
14. Charitas vinculum perfectionis. 139

I. AD TIMOTHEVM.

III. 16. Manifestè magnũ est pietatis sacramẽtũ, quod manifestatũ est in carne. 318

II. AD TIMOTHEVM.

II. 20. In magna autem domo non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed, & lignea, & fictilia: & quædam quidem in honorem: quædam autem in contumeliam. Si quis autem mundauerit se ab istis, erit vas in honorem, sanctificatum, & vtile Domino ad omne opus bonum paratum. 225

AD TITVM.

III. 5. Secundum misericordiam suam saluos nos fecit, per lauacrũ regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quẽ effudit in nos abũde, per Iesum Christũ saluatorem nostrum, vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ. 325
4. Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos; sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. 489

AD HEBREOS.

I. 2. In filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit, & sæcula, qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, purgationem peccatorum faciens, sedet à dextris maiestatis in excelsis. 109 187
3. Cum sit figura substantiæ eius. 176
1. Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissime diebus istis loquutus est vobis in filio. 187
2. Quem constituit hæredem vniuersorum. 535
II. 17. Debuit per omnia fratribus similari. 493
III. 3. Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricauit illam, &c. 367
IV. 12. Viuus sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, &

pertingens, vsque ad diuisionem animæ, & spiritus, compagum quoque, ac medullarum. 415

4. *Arcam testamenti, in qua circũ amictum ex omni parte auro, in qua vrna* I X.
aurea habẽs mãna, & virga Aarõ, quæ frõduerat, & tabulæ testamẽti. 12

5. *Ingrediens mundum dicit, hostiam oblationem noluisti; corpus autem ad-* X.
aptasti mihi, tunc dixi ecce venio. 530

13. *Iuxta fidem defuncti sunt, non acceptis repromissionibus, sed à longe eas* XI.
aspicientes, & salutantes. 433

31. *Fide Rahab meretrix non periit, cum incredulis, excipiens explorator &*
cum pace. 491

IACOBI.

18. *Voluntarie genuit nos verbo veritatis.* 154 I.

10. *Factus omnium reus.* 164 I I.

12. *Sic loquimini, & sic facite, sicut per legẽ libertatis incipientes iudicari.* 155

6. *Lingua ignis est; vniuersitas iniquitatis.* 407 I I I.

6. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* 359 I V.

I. PETRI.

6. *Lapidem electum, pretiosum.* 448 I I.

22. *Qui peccatum non fecit.* 109

8. *Sobrij estote, & vigilate; quia aduersarius vester diabolus, tanquam leo* V.
rugiens circuit quærens, quem deuoret.

II. PETRI.

4. *Vt diuinæ simus consortes naturæ.* 217 I.

19. *Libertatem promittentes cum ipsi serui sint corruptionis.* 368 I I.

I. IOANNIS.

5. *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ.* 419 I.

31. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* 467 X I I.

APOCALYPSIS.

5. *Princeps regum terræ.* 419 I.

8. *Ego sum Alpha, & Omega, principium & finis.* 436. 460

1. *Vidi in dextera sedentis in throno librum scriptum intus & foris.* 5 V.

7. *Accepit de dextera sedentis in throno librum, & cum apperuisset librum,*
quatuor animalia, & viginti quatuor seniores acciderunt corã agno. 103

5. *Vicit leo de tribu Iuda.* 523

14. *Hi sunt qui venerũt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, &* V I I.
dealbauerunt in sanguine Agni. 65

13. *Vocatur nomen eius Verbum Dei.* 164 I X.

9. *Et proiectus est Draco magnus serpens antiquus, qui vocatur diabolus, &* X I I.
Satanas, qui seducit vniuersum orbem. Nunc facta est salus, & virtus, &
regnum Dei nostri, & potestas Christi eius, 339

9. *Draco ille magnus serpens antiquus, qui vocatur diabolus.* 66

10. *Nunc facta est salus, quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui*
accusabat illos ante conspectum Dei, & ipsi vicerunt eum propter sangui-
nem Agni. 67

1. *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, & luna sub pedi-*
bus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim. 157

3. *Et visum est aliud signum in cælo, & ecce Draco magnus stetit ante mulierem, quæ erat paritura: vt cum peperisset, filium deuoraret eius, & proiectus est Draco ille magnus serpens antiquus.* 158
4. *Draco stetit ante mulierem, vt cum peperisset, filium eius deuoraret; sed proiectus est in terram, & Angeli eius cum eo missi sunt.* 158
13. *Postquam vidisset Draco, quod proiectus esset in terram, prosequutus est mulierem.* 158
17. *Et iratus est Draco in mulierem, & abijt facere prælium cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata Dei.* 158
9. *Etenim Draco ille magnus serpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Satanas, qui seducit vniuersum orbem.* 66
1. *Signum magnum apparuit in cælo; mulier amicta sole.* 157
XIII. 11. *Vidi aliam bestiam ascendentem de terra, & loquebatur sicut Draco.* 66
XIV. 14. *Ecce nubem candidam; & similem filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam, quia venit hora, vt metatur.* 449
XVI. 2. *Factum est vulnus sæuum, & pessimum in homines, qui habebant characterem bestiæ.* 64.226
1. *Ite, & effundite septem phialas iræ Dei in terram.* 226
XVII. 14. *Dominus dominorum est, & Rex regum.* 419
XIX. 8. *Et datum est illi, vt cooperiat se byssino splendenti, & candido: byssinum enim sunt iustificationes Sanctorum.* 144
11. *Vidi cœlum apertum, & equus albus, & qui sedebat super eum vocabatur fidelis, & in capite eius diademata multa; & vocabatur nomen eius Verbum Dei. Et exercitus, qui sunt in cœlo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo, & mundo.* 513
XXI. 1. *Vidi cœlum nouum.* 459
2. *In medio plateæ eius ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem.* 512
17. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* 512
23. *Cælestis Ciuitas non eget sole, neque luna; nam lucerna eius est Agnus.* 517.
22. *Ciuitas non eget sole, neque luna, vt luceant in ea, nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius est Agnus.* 543
10.23. *Sustulit me in spiritu, & ostendit mihi sanctam ciuitatem, & ciuitas non eget sole, neque luna, nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius est Agnus.* 575

INDEX RERVM

A.

A & O tribus diuinis personis competunt, an vni dumtaxat tribuantur. pag. 436.

A litera conuenit propriè Deo Patri. 438.

Abigail.

Abigail exaltata ad Regiam dignitatem occasione pacis, quam inter desidiam prudenter composuit. 229.

Abraham.

Abrahami sacrificium quid mysticè. 71, & 83.

Abraham factus pater innumeræ posteritatis; quoniam vnicum filium immolauit Deo, 228.

Abraham, & Sarra cur steriles, ac senes genuerunt Isaac, 245.

Abraham iussus egredi de cognatione sua; quoniam in Dei cognatum præparabatur, 245.

Abrahami sacrificia, 521.

Acaz.

Acaz vndecim annorum genuit Ezechiam, 291.

Actus.

Actus boni generant, & perducunt habitus bonos, sicut prauos praui, 251.

Adam.

Adamus & Heua tabulæ duæ legis Dei, 7.

Adam & Heua quot peccata commiserunt, 7.

Adam & Heua tribus pœnis puniti, 8.

Adami & Heuæ excellentia perfectissima, 219.

Adam imago Dei in genere causę exemplaris, 222.

Adam iussus operari in paradiso, vt proprij laboris offerret fructus Deo, 279.

Adam cur prohibitus comedere fructum scientiæ, 279.

Adami, & Noeti collatio in nuditate, 281.

Adam, quemnam fructum comedens, deliquit, 282.

Adam, & Heua ingratissimi creatori, 501.

Adinuentio.

Adinuentiones Dei mirabiles in mysterio Incarnationis, 323.

Ædificium Ædificare.

Ædificare spiritualiter pro exaltatione nominis Dei, est ipsa ædificij consummatio, 585.

Ædificijs terreſtribus nimis, qui occupantur; tepidi circa diuinum cultum, cæteraſque res animi languent, 518.

Ædificij ſpiritalis partes, & finis quales eſſe debeant, 579.

Ædificium ſpeciale homo ipſe, 579.

Ædificij ſpiritalis finis, eſt Dei gloria, 580

Ædificium ſpirituale habet theologicas virtutes pro lapidibus, pro coagmento, morales, 580.

Ædificij ſpiritalis perfectiſſima connexio, 581.

Ædificio ſpiritali aſſumpto, in Dei gloriam, omnia fouent, & creaturæ, & creator, 582.

Ædificio ſpiritali aſſumpto in Dei gloriam, omnia cooperantur, & fouent, 585.

Æmulatio.

Æmulatio mulierum cauſa fœcunditatis, extraordinario Dei dono prouenientis, 380.

Ætas.

Ætas B. Virginis 72. anni, 561.

Alexander Magnus.

Alexander Magnus magnanimis copia thura puer obtulit templo, 314. 544.

Alexander Magnus quanto in Babylonem apparatu exceptus, 544.

Amatoria herba.

Amatoria herba mandragora, 381.

Ambitio.

Ambitio maximum peccatum, 9.

Ambitio facit hominem homicidam, quatenus faciens metuentem, quod à multis poteſt dilecta pelli dignitate; curat de medio tollere eos omnes, quos ſic ſuſpectos habet, 85.

Amicitia.

Amicitia ſecurum reddit animum amici, circa ea, quæ amico ſubijciuntur, 346.

Amicitia eſt gratia mutua, 347.

Amicitia eſt amicorum ſtricta vnio, 347.

Amicitia facit pares quadamtenus perſonas alioqui prorſus inæquales, 347.

Amicitia audax erga amicũ, 347.

Amor.

Amor carnalium deliciarum, timorem horrendarum rerum ſuperat, etiam in animis natura timidis, 343.

Amoris effectus ſecuritas amati, circa omnia, quæ ſunt in amantis poteſtate, 345.

Amor facit æquales quodammodo perſonas alioqui diſpares vndecumque, 343.

Amor audax erga amantem, 347.

Amor nõ ſinit ſui iuris eſſe amatores: ne Deum quidem ipſum, quem patitur eſſe ſui iuris, ſed adſtrictum dilectis, 361.

Amor in Deum deſignatur potu mandragorarum, 382.

Amor in Deum abſtrahit animam à ſenſibus, 382.

Amor fortis ſicut mors, 561.

Amor impurus debilis, ac debilitans, 563.

Amor purus floribus puritatis pulchrè vireſcit, 563.

Amor etiam exorbitans nullam ſui euacuationem permittit, 566.

Amor ordinatus in mediocritate, ſicut virtutes reliquæ, conſiſtit, 566.

Amor humanus tanta egens eſt moderatione, vt omnium virtutum munus ſit, eum moderari, atque componere, 566.

Amor diuinus non mediocritate, ſed ſumma intentione perficitur, 567.

Amygdalum.

Amygdalū incertum perſico, 511.

Ancilla.

Ancilla ducta in ſponſam à Domino ſuo manet libera, tam ipſa, quàm filij; inde nati, 366.

Angelus.

Angelorum ſubtilitas, 135.

Anna.

Anna cur ſterilis, & vetula Mariam genuit, 245.

Anna Samuëlis viſitatione Dei exhilarata, 425.

Annulus.

Annulis in Regijs ſtemmata cuduntur, 448.

Anſa.

Anſis homines capiuntur, tenentur, feruntur, raptantur, 228.

Apis.

Apes mel clam omnino conficiunt, 300.

Apum artificium ſymbolum Incarnationis, 327.

Appetitus.

Appetitus fruendi Deo vehementiſſimus, 496.

Aqua.

Aquæ Iordanis exaggeratæ ad arcæ Dei tranſitum, 479.

Aratus.

Aratus ſymbolum luxuriæ, 37.

Arbor.

Arbores inſertæ ſymbolum incarnati Verbi, 511.

Arca.

Arca teſtamenti quidnam continuerit, 12.

Arca Noe immaculatæ conceptionis Marię luculenter applicata, 115.

Arcæ Noe facta à Deo extrinſecus clauſura, qualis fuerit, 115.

Arca Noe Virgo Maria, 319.

Arca teſtamenti dux Iſraëlitici, populi, 477.

Ariſtipus

Ariſtipi patientia, 398.

Arnulphus Imperator.

Arnulphus Imperator carnibus corruptus, adhuc viuens, abijt in vermes, 564.

Aſcenſio, Aſcenſus.

Aſcenſione ſua præmiſit Chriſtus in Regio ſtemmata apparatu, 448.

Aſcenſus hominum ad cœlos duobus fit modis, 578.

Aſſumptio B.V. Mariæ.

Aſſumptionis die, cur legitur euangelium: Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum. 564.

Auaritia.

Auaritia omni tempore colit aurum tanquam Deum, 58.

Auguſtus Cæſar.

Auguſtus Cæſar valde liberalis, 386.

Aurum.

Aurum ſymbolum gratię, 54.

Aurum tribus conſtat qualitatibus, 55.

Aurum apud aliquos habetur Deus, 58.

Aurum à Barbaris exiſtimatur non ſolùm Deus, ſed omnes ſimul Dij, 59.

Aurum pulchra diuinæ gratiæ repræſentatio: præſertim, cùm eſt foraminibus vacuis præparatum ad gemmas, 254.

Auro pulchritudo deſignatur, 254.

Auxilium.

Auxilio Dei vincuntur hoſtes animæ, ſed operatio hominis exigitur, 489.

Auxilium diuinum auro comparatur, propter fulgorem, & afflatum, 55.

Auxilij gratia diſponit hominem ad quamlibet aliam gratiam acci-

piendam, 55.

B

Baptismus.

BAptismus aqua dulcis est, qua vestes salsa maris aqua madefactæ abluuntur, 46.

Beatitudo.

Vide Fœlicitas.

Beatitudo est videre Deum, 418.

Beatitudo viuentis in terra hominis, illa vnica est, si se integrè Deo offerat totum, 505.

Benedictio. Benedicentes.

Benedicentes Deum, benedicuntur ab eo, 546.

Benedictio super Iacob inducta à patre suo, 535.

Benedictio data infanti Christo à Simeone, 535.

Benedictionibus repletur, quicumque Christo benedicit, 536

Benedictio Dei Christo largissime impensa, 546.

Benedictio Dei descendit super homines, qui se ei offerunt, & tradunt, 546

Benedictio non solis verbis, sed operibus etiam integratur, 547.

Benedictionibus multis cumulat iustos Dominus Deus, 547.

Benedictio Mariæ super castos, ac puros, 572.

Benedictione purissimæ matris priuantur impudici, 574.

Bonum.

Bonum hominis offerre se totum Deo, 503.

Booz.

Booz miræ pudicitiæ, 538.

Buccina.

Buccinas iubilæi iubilationis esse buccinas, 488.

C

Cain.

CAin primus ædificiorum auctor terreorum, 518.

Caius Cæsar.

Caius Cæsar priuauit vita fautores suos, quòd potentes videret, à quibus imperio priuaretur, 85.

Caius Cesar nimio ambitionis liuore interemit Ptolæmeum, 85.

Calamitas.

Calamitates commonent homines vt reuertantur ad Dominum, 539.

Calamus.

Calamus vitij symbolum, 342.

Calamus talis est, vt lætæ ex eo fistulæ, & lætales fiant sagittæ, 342.

Calceus.

Calceus symbolum iustitiæ, 130.

Camus.

Camus, fœminarum ornamentum, vinculũ, quo illicitur fœmina, 474.

Candelæ.

Candelarum festiuitas, 542.

Canticum.

Canticum Magnificat, omnium etiam cœlestium, iucũdissimũ, 412.

Canticis profanis intẽti filij Cain, atque nepotes, 519.

Capillus.

Capillus nullus detrahẽdus oblationi, quam sui Deo quisque debet facere, 504.

Caprimulgus.

Caprimulgus notandus pro puellarum custodia, 290

Caro.

Carnis vitium designatum Iezabela, 463.

Caro vrget quodam modo seruiẽtes ei homines, vt ad Dominum reuertantur, 531.

Castitas.

Castitatis rarum exemplum, 338.

Castitas muro duplici muniẽda, 583.

Charitas.

Charitas aureus puluis sancto in corda Spiritu diffusus, 56.

Charitas bitumen rimularum, defendens ab aquis peccatorum. 117.

Charitas, & gratia iuxta intellectum vnum, eadem vna qualitas est; qualitates distinctæ secundū alium intellectum, 117.

Charitas regimen virtutum, 138.

Charitatis exemplum Maria, visitans prægnantem Elizabethā, 380.

Charitas fundamentum, nempe cœmentum ædificij, 580.

Charitatis cum prudentia connexio, 581.

Charitatis feruor prudentiam exigit, 581

Charitate deficiente non est integra prudentia, 581.

Christus. Christianus.

Christianus populus à Deo benedictus, 347.

Christi naturæ duæ, descriptæ in libro, quem vidit Ioannes scriptum intus, & foris, 5.

Christus & Maria duæ tabulæ diuinæ legis, 9.

Christus & Maria tabulæ generationis Iesu Christi, 10.

Christus auriga currus Ecclesiæ apud Ezechielem, 16.

Christus Rex Regum, qui nulli vnquam genu nouit flectere; imo omnes flectunt coram illo, 67.

Christus cum Dracone congressus, cadens super illum, suo pondere interemit, 67.

Christi nobilitas probatur, 109.

Christus liber vitæ, omnia continens, 112.

Christi symbolum Noë, 116.

Christi diuinitas, & humanitas sunt subscriptio, & signum in Scriptura, 182.

Christo Domino cur contradictio facta sit, 182.

Christus originali diuinitatis processui collatus, auctoritate Dei Patris, 185.

Christi Incarnatio nouam hominibus obligationem induxit, 187.

Christi genealogia ducitur ad Ioseph, non ad Christum ipsum; quòd in eo id, quod diuinum est, intētiùs, quàm humanum attendatur, 241.

Christus quosnam humanitatis habuit defectus, 234.

Christus præscisum habet, quod humanum est; plenissimum, quod diuinum, 241.

Christi diuina generatio plenissimè narratur in Scriptura, 243.

Christus pluuia, terram fœcundans, ex nube Maria ortus, 247.

Christus fauus suauissimus Mariæ, 297.

Christus instaurator mundi altior Noëto, 321.

Christus genitor iustorum omnium, 322.

Christi Incarnatio facta est eo instanti; quo consumauit Maria verba consensus, 355.

Christus, vt formam serui acciperet, natus est de matre, quæ ancillam vocauit se, quū concepit illum, 356.

Christo in forma serui apparente honoratus est summopere Deus, Pater eius, 356.

Christus duplici titulo vocatur Oriens. Quatenus Deus, oriens, vt sol: oriens sicut germen in quantum homo, 356.

Christus in quātū homo, coronat⁹ simul secū, in quātum est Deus, 359.

Christus provt Deus habet in capite coronā, sibi naturaliter debitam: quā provt homo est, manibus tenet propriis, videlicet operum meritis suorum, 360.

Christum esse verè Deum verum,

ac verum hominem, explicuit Apostolus, verbis illis: Qui cùm in forma Dei esset, & seqq. 360.

Christus cur vsurpauerit nomen hoc suum, filium hominis; frequentiùs, quàm aliud aliquod nomen suum, 363.

Christus per matrem suam seruos homines in libertatem vindicauit, 366.

Christus in forma serui verus est Dominus, 367.

Christi munera altiora eis, quæ ante incarnationem sunt hominibus data, 387.

Christus quacumque transibat, magnalia præstabat hominibus, 382.

Christus in se continet omnia, 387, 399.

Christus brachium Dei, 428.

Christus expectatus quondam à Patribus: tanquam cœli pluuia, 432.

Christi Domini aduentum præcesserunt vexilla stemmatum eius, 434.

Christus est finis rerum vniuersarum, 437.

Christi Domini septem egressiones, 439.

Christus est sapientia ipsa, 441.

Christum ex matris vtero ducem nostrum egressurum præcedit in vexillo insigne O, 443.

Christi diuinitas, & humanitas commendata à Michea, 443.

Christus dux noster in spiritali, militia in vexillo suo educit insigne, O, 443.

Christi ducis nostri vexillum bombycinum, in quo est insigne O, 444.

Christum inuocabant antiqui Patres redemptorem, 447.

Christi mors stupendam admirationem incussit, 447.

Christus mortis suæ grandia admirationis gerit stemmata, 447.

Christus clauis Dauid, promissa Eliacimo, 447.

Christus lapis annuli, in quo sunt Dei stemmata, 449.

Christus legislator iudex, 449.

Christus est O, 460.

Christus veniens in terram, destruxit tres animæ hostes, 465.

Christum videntes, varij nimis fuerunt Dæmones, circa eius personam, 466.

Christus coronatus Rex in die incarnationis, 478.

Christus destruxit tres animarum hostes congressibus tribus, incarnatione, ortu, & interitu suo, 479.

Christus in cruce vicit Diabolum, 475.

Christus in præsepio vicit mundum, 476.

Christus natiuitate sua mundanam subuertit vanitatem, 484.

Christus, nec homo alius potuit Deo planè soluere debitum, 510.

Christus fructus insertus ex persico, & amygdalo, 510.

Christus viuens in terra circundatus erat prætoria cohorte ex cœlestibus adducta, 512.

Christus materno in vtero non fuit incluſus pallio illo, quo infantes omnes obuoluuntur, 513.

Christi oblatio est bonorũ oblatio vniuersorum, 522.

Christo infante præsentato lætatur supra modum Pater, cui offertur, 524.

Christi humanatio vrgens titulus offerendi se ei, hominibus cunctis, 530.

Christus diuinum lumen, 536.

Christus cereus constans cera, & igne, diuinitati humanitate coniuncta, 536.

Christus repręsentatus visione Ezechielis, 537, 538.
Christus electro repræsentatus, 540.
Christus Iride coronatus, 540.
Christus lucidus intrinsecus, & extrinsecus, 541.
Christus natura, non adiectione glorioſus, 541.
Christus suauissima odorifer fragrantia, 542.
Christus cereus accensus Patri Deo alacriter oblatus, 542.
Christus laterna plena lucido igne iugis in Ecclesia, 542.
Christus gloria Israëlitici populi, 545.
Christus lumen gentium, 545.
Christus fauus, 552.
Christus medicus, infirmarius, & omnia, 564.
Christus natura sua lucerna est, 575.

Cicada.

Cicada ventre, non ore canit, 112.

Circumcisio.

Circumcisio cur præcepta Abrahamo, 245.

Claritas.

Claritas oriens, & recepta, 541.

Claudius Cæsar.

Claudij Cæsaris tyrannide trucidati, qui inter somnia eum corona priuare videbantur, 85.

Clauis.

Clauis Dauid insigne Christi in obitu suo, 447.

Cœlum.

Cœlum cur sedes Dei, 459.

Columba.

Columbæ, quòd Virginis filium Patri Deo offerendum comitantur, fœliciſſimæ sunt, 499.
Columba Mariæ Deiparæ symbolum, 567.
Columbæ propria, 567.

Conceptio B. V. Deiparæ.

Conceptio Deiparæ primitiis omnium virtutum, & gratiæ diuinitus ornata, 13.
Conceptio Mariæ immaculata summam filio gloriam conciliat, 18.
Conceptio Mariæ, quo arbitrio accepta S. Thomæ, 26.
Conceptio B. Virginis ostenditur pura per comparationem ad vitulam, cuius pellis aptissimum est folium, ad scribendum, 39.
Conceptionis Mariæ præseruatio gloria Christo fuit maior, quàm si lapsam redimeret, 45.
Conceptio Mariæ immaculata legitur in glossis libri generationis Iesu Christi, scriptis sanctorum Patrum manu, 48.
Conceptio Mariæ ex effectibus ostenditur pura, 48.
Conceptionis Marię puritas probatur ab effectibus, vt huiusmodi effectus à cõfirmata post peccatum gratia minime prouenire videantur, 51.
Conceptio Deiparæ Virginis, quoniam cœli influxu, tanto diebus nostris apparatu, & applausu celebrata, 51.
Conceptio Mariæ cur celebretur quouis anni tẽpore extra propriam conceptionis diem, & octauam, 53.
Conceptio B. Virginis purissimum absque fœcibus sanguinem, ad scribendum Dei verbum præparauit, 54.
Conceptio Mariæ Virginis purissimo sanguine facta, 62.
Conceptionis tempore purissimus fuit Mariæ sanguis, 63.
Conceptio Mariæ facta sanguine, cuius symbolũ est purpurissum, 63.
Conceptionis Mariæ sanguis purpurisso purior, ac pretiosior, 64

Conceptionis Mariæ ſanguis cuſtoditus inter conchas duas, 64.
Conceptionis Mariæ ſanguis gratiæ diuinitus infuſus, 64.
Conceptionis tempore Maria habuit purpuream tunicam ſanguinis Chriſti, quo ſemper induta fuit, ac ſemper grata, 68.
Conceptio B. Virginis, quo impenſiùs abſconditur, eo luculentiùs fulget, 77.
Conceptio Mariæ gratiæ plena ex Chriſti redemptione, 78.
Conceptionis Mariæ puritas, & claritas intimis fidelium præcordiis ſentitur, 101.
Conceptio immaculata Mariæ, vel ore pronuntiata, vel auribus percepta, dulcis eſt, ſuauis, exhilarans, iucunda, lætificans, grata, 104.
Cóceptionem Deiparæ, etiam qui infectam dicunt, fatentur gloriam, 106.
Conceptionis Mariæ ſanctitas ex ijs, quæ ſcribuntur de ea in textu, non obſcurè deducitur, 107.
Conceptionis Mariæ nobilitas, & immunitas Scripturis ſacris commendata, 108.
Conceptio Deiparæ Virginis, clauſo manu Dei oſtio arcæ Noeticæ, diuinitus deſignata, 115.
Conceptionis Mariæ gloriam vel munitiſſima ipſa ſcripturarum puncta commendant, 121.
Conceptionis Mariæ puritas ad Dei honorem ſpectat, 124.
Conceptio Mariæ multas habuit cauſas diſpenſandi ſibi in communi curſu contrahendi peccati originalis, 124.
Conceptio Mariæ diabolo ſtupenda, 129.
Conceptionis Mariæ immunitas non eſt ex ſacris litteris petenda: ſed ex incarnato in ea Dei Verbo, 188.

Confeſſio.

Confeſſio ante celebrationem Miſſæ præmittenda, 509.

Confirmatio in gratia.

Confirmatio hominis in gratia non eximit eum à contradictione in operibus bonis; ſed corroborat, vt victor euadat, 50.

Congregatio B.V.

Congregatio B. Virginis Mariæ fœliciſſima, 450.
Congregatio Mariæ eſt, O, 450.
Congregatio Mariæ eſt ambitus quidam, in quem armenti Dominus cogit pecus, 450.
Congregatio B. Virginis celebrans appoſitè feſtum Expectationis partus, 468.
Congregatio B. Virginis eſt littera O, 468.
Congregatio B. Virginis vtiliſſima vniuerſæ Eccleſiæ 464.
Congregatio B. Virginis de la O, 469.
Congregatio B. Virginis eſt armatus exercitus, præcedens arcam, 482.

Conſanguinei.

Conſanguinei arcendi à puellarum cubilibus, 291.

Conſuetudo.

Conſuetudo ab ineunte ætate in bonum inchoanda, 287.

Contemplatio.

Contemplatio diuinæ dulcedinis collata turpi vitiorum iucunditati, infinito ſuperat exceſſu, 486.

Conuerſatio.

Conuerſationes quales eſſe debeant in viſitationibus mutuis fœminarum, 389.
Conuerſationibus indecoris concitatur ad turpia caro circumſtantium, 390.
Conuerſationibus ſanctis aſſiſtit Deus, fugit ab indignis, 420.

Conuersio.

Conuersione, vt ad Dominum reuertantur homines, stimulat mundus, 531.

Conuiuium.

Conuiuijs in opiparis gentes se rosis coronabant,

Cooperatio.

Cooperatio hominis requiritur, quamuis, qui vincit animæ hostes, Deus ipse sit, 489.

Cornix.

Cornix garrula nimis rostro generat filios, 149.

Coronæ.

Corona Iouis aurea cur conflata à Sergio Galba, 60.

Coronis rosaceis vtebantur antiqui in conuiuiis, 196.

Cultus.

Cultus diuini obliti homines, qui temporalibus nimis ædificiis intendunt, 518.

Curiositas.

Curiositas superflua hominum, 454.

D.

Dæmon. Dæmonium.

DÆmones hostes manifesti, 463.

Dæmones fictilia hominum capita exigebant, 521.

Dæmonia singula singulis vitiis metiendis sunt præposita, 131.

Dæmonia à gentibus culta, 520.

Dauid.

Dauid, & Bethzabee post infamiam abluti, 508.

Delitiæ.

Delitiæ mundi multa mixtæ amaritudine, 106.

Deus.

Deus aurum est increatum, purissimum, fulgentissimum, pretiosissimum, 58.

Dei nomen est verbum Dei, 175.

Dei verbum, est nomen Dei, 175.

Dei verbum sigillum Dei, 175.

Deus in verbo perspicue cognoscitur, 176.

Deus, si quid à quopiam tollit, reddit centuplum, 199.

Dei amicitia animum à turbatione reddit quietum, 345.

Deus mature descendit ad puniendum; ascendit celeriter ad benefaciendum, 373.

Deus ad conferenda grandia in homines munera, accidit absconditus, 375.

Deus lux est, quæ est obiectiua beatitudo exultationem infundens, 378.

Deus summè munificum se exhibet in omnibus locis, per quæ transit, 385.

Deus vberiora præstitit hominibus, humanatus iam, quam ante assumptam carnem præstitisset, 387.

Deo pro solis propositis suis cantatur gloria, perinde, ac si iam esset finis obtentus. 397.

Deus, quòd humanatus formam serui acceperit, summoperè magnificatur, 418.

Deus præsentia sua adstantes exhilarat omnes, 418.

Deus lumen est, & fons luminis: atque adeo summopere exhilarans adstantes. 419.

Deus veniens in terras corporaliter, insignia stemmatum suorum in vexillis, & sarcinis præmittit, 434.

Deus est A, & O, 436.

Dei laudes simul sunt, præ admiratione, silentium, & voces, 438.

Deus eminenter continet in se res vniuersas, 440.

Deus est intellectus, ac ipsum intelligere, 440.

Deus murus hominibus fortissimus, eos in circuitu defendens, 490.
Deus lucis nomine cognoscitur, 517.
Deus repræsentatus figura hominis ostensi Ezechieli, 539.

Diabolus.

Diabolus appellatur Draco, 66.
Diabolus accipit ansam crimen hominis, eiusve inclinationem, ad perdendum eum, 229.
Diabolus adest coopertus in conuenticulis luxuriantium, ludentium, vt hominum, ac mulierum, 342.
Diabolus interest coopertus choreis, ac iocis impudicis, & luxuriantium conuenticulis, 342.

Diluuium.

Diluuium mellis per quadraginta dies fluens à Maria, 553.

Dispositio.

Dispositio necessaria his, qui expectant Deum, 445.

Diuersorium.

Diuersorium, in quo Dei filius natus est, suauissimi odoris, & gloriæ, 492.

Dominari.

Dominandi libido homines facit homicidas, 85.

Draco.

Draco pugnans cum Elephanto interemit, & perimit, succumbens cadenti super se interempto, ex quorum sanguinum mistione fit cinnabaris, 66.
Draco nomen diaboli, 66.

Dubia virtus,

Dubia virtus non virtus est, 589.

Duritia.

Duritia cordis, quo supplicio castigatur. 226.

E.

Ecclesia.

Ecclesia est currus gloriæ Dei, ductus mirabilibus rotis, 461.

Educatio.

Educatio filiorum ab infantia locum habet, 256.
Educatio filiorum, 282.
Educatio puerorum, ac puellarum, per quam diligenter attendenda, 302.

Electrum.

Electrum quid sit, 538.
Electrum succinum, 538.
Electrum metallicum, 538.
Electrum symbolum Christi. 541.

Elephantus.

Elephas occisus à Dracone, cadens super eum, interimit pondere; Eitque cinnabaris ex vtriusque sanguine sic mixto. 61.
Elephas symbolum Christi, 66.
Elephas perfectissimus animantium, 66.
Elephas videtur pollere intelligentia; estque prudentiæ Rex. 66.
Elephantus iustitia, & æquitate mirabilis, 66.
Elephanto magna munditiæ cura. 66.
Elephanti temperantia, 66.
Elephantus liberalis, magnanimus, & munificus, 67.
Elephantus virium fortitudine validissima, 67.
Elephantus Rex tam corporis, quàm animi notis, ac indiciis. 67.
Elephantes tenentur circulo natibus traiecto, 471.
Elephantus oblationem Deo factus, diligentissimè ante Solis ortum se purificat, 507.

Elisabeth.

Elisabeth laterna pellucida, 379.
Elisabeth gratulatur Mariæ ver-

bis, quibus victrici Iaheli Debbora fuerat gratulata, 395.
Elisabeth, concipiens anus, palmæ comparata, 396.
Elisabeth virga Aaron, 401.
Elisabetha, & Maria virgæ duæ mirabiliter floridæ, 401.

Eloquium.

Eloquia casta quantum in visitationibus exigantur, 390.
Eloquia impura maxime noxia, 390.

Embrio.

Embrio quandiu in sordibus moratur in vtero, 531.

Examen conscientiæ.

Examen conscientiæ exactissimum, ac tempestiuum, 507.

Exemplum.

Exemplum purificationis præbuit nobis Virgo Deipara, 511.

Exequiæ.

Exequiæ furoris B. Virginis, 595.

Expectatio B. M.

Expectatio partus antiquo nubis Eliæ aspectu designata. 433.
Expectatio partus festum est, quo Deus veniens in terras, sua in sarcinis, atque vexillis præmittit insignia, 434.
Expectatio B. Virginis, 443.
Expectatio partus, quàm intima fuerit in corde Virginis, 444.
Expectatio partus festiuitas spiritu plenissima, 457.
Expectationis festiuitas celebrat prægnantis Virginis vterum, 467.
Expectationis festiuitas illa quidem est; in qua Romana Ecclesia mittit Hispaniam legatam, ad salutandum aduenientem Regem, & matrem eius. 468.
Expectatio partus festum est, quo Hispana nobilitas ab Ecclesia legata exit, excipere aduenientem Regem, & Reginam, 477.
Expectationis partus festiuitas quæ? 481.

Expectans. Expectare.

Expectare nostra in corda verum Deum summe oportet omnes 440.

Exterior.

Exteriori hominum intuitu opera bona facienda sunt, 532.

Ezechiel.

Ezechielis visio Christum repræsentauit, 539.

F.

Fama.

FAma fœminarum magnus index, 135.
Fama designatur odore mandragoræ, 375.

Fatuus.

Fatuus, cum multa idonea inueniat, illud duntaxat eligit, quod vnice ineptum est, 472.

Fauus.

Fauus designat Christum Deum, & hominem, 301.
Fauus symbolum Christi, 552.

Fel.

Fellis notanda conditio, 304.

Festa.

Festorum institutum expendendum coram populo, 456.

Ficta virtus.

Ficta virtus facile apparet, ficta 227.

Fides.

Fides consignatio fidelium in vna Ecclesia, 117.
Fides, spes, charitas in nemine sunt, ni à Deo infusæ. 251.

Fide vera exhilarantur credentes, 419.
Fides fouea ædificij animæ. 580.
Fidei cum humanitate connexio, 581.
Fides sine charitate informis, 581.

Fiducia.

Fiducia obstinatorum inanis, 548.

Filia.

Filię magnæ diligentia seruandę, 288.

Filius.

Vide Parentes. Pater.
Filius quisque quasi Verbum est Patris, qui filio repræsentatur, & agnoscitur, 169.
Filij recte ab incunte infantia instituendi, 257.
Filiorum educatio, 287.
Filiorum custodia, 289.
Filium hominis cur appellet se Christus frequentissimè, 363.
Filius Dei consubstantialis est Patri, 440.

Flos.

Florum ingenij prædicatoris, & Florum virtutum sanctorum, de quibus prædicant diuersitas, 211.
Flores symbolum virtutum, 297.

Fomes.

Fomes peccati quid sit, 23, & 87.
Fomes peccati nullus in Deipara, 216.

Fœcunditas.

Fœcunditas à mandragoris, 382.

Fœlicitas.

Vide Beatitudo.
Fœlicitas impiorum scintilla paruula, 421.

Fœmina.

Vide Mulier.
Fœminarum vita, & mores ex exteriori conuersatione ac vultu cognoscuntur, 19.
Fœminis periculosè committuntur secreta, 38.
Fœminarum pudicitia modico indicio suspicioni subiecta, 340.
Fœminæ modestæ frequentius manus, quàm pedes ostendunt, è contra leues, 163.
Fœminæ in bellis signiferæ, 451.
Fœminæ memorabile facinus, 451.
Fœminæ honestę tutissimo Mariæ vallo circumseptæ, 420.
Fœmina fatua vallum sibi statuit pulchritudinem, 471.
Fœminarum solicita custodia, 471.
Fœminas expugnatarum vrbium summa à victoribus custodiri diligentia, ne à quopiam suorum inuadantur, 485.
Fœminarum malicia grauidarum, 492.

Fortuna.

Fortuna aurea super rotam antiquum insigne Romanorum, 435.

Fructus.

Fructus scientiæ videntur vuæ, 282.

Fucus.

Fucus fœminarum fatuitas, 472.

G.

Gaudium.

Gaudium in Dei præsentia consistit, 418.
Gaudia impiorum scintilla modica, vix oriens extincta, 420.
Gaudia mundi ictibus violenter extorta, 421.
Gaudia mundi, & data à Deo gaudia valde differentia, 423.
Gaudia à Deo data substantia sunt, non vanitates, 423

Genealogia.

Genealogia Christi cur ad Ioſephum, non ad Chriſtum trahatur, 4. 72. 73. 277.

Genealogia Marię cur trahatur ad Ioſeph, 109. 216

Genus.

Genus nobile vnde nobile ſit, 146.

Globus.

Globus cingens electum Regem Iehu, ſymbolum litteræ O, celeberrimæ in feſto expectationis partus, 455.

Gloria. Glorioſus.

Gloriæ præparamentum ius, & menſura gratia iuſtificans eſt, ſeu gratia habitualis, 254.

Gloria Dei repræſentata in principio prophetiæ Ezechielis, 537.

Gloria claritas oriens, non recepta claritas, 541.

Gloria eſt clara cum laude notitia, 541.

Gloria Chriſto naturalis, non oppoſita, 542.

Glorioſi homines gloria ſunt filiorum, 545.

Gratia.

Gratiæ confirmatio non omnino liberat à venialibus culpis, 49.

Gratiæ confirmatio non delet omnem in operibus bonis difficultatem; ſed vincit, 50.

Gratia auro deſignatur, 55.

Gratiæ ſpecies tres, tribus auri excellentijs deſignatæ, 55.

Gratia gratum faciens aurum eſt ob ſplendorem, 55.

Gratia gratis data aurum eſt, cauſa prætij, 55.

Gratia auxilij aurum eſt ob nitorem & afflatum, 55.

Gratia Dei aureus puluis ſancto in corda ſpiritu diffuſus, 56.

Gratia, & charitas ſint-ne diſtinctæ, 117.

Gratia iuſtificans, gratumque faciens hominem, ornamentum eſt, ſeu veſtis candidiſſima, 151.

Gratia gratum faciens ſplendor eſt animæ, 151.

Gratiæ, & gloriæ inter ſe conuenientium ſymbolum elegans in Luciferi indumentis, 255.

Gratia aurum foraminibus præparatum, ad gloriæ margaritas, & gemmas, 254.

Gratia ſplendor, ac decus animæ; eiuſque pulchritudo, puritas, candor, ornamentum, 254.

Gratia gratum faciens, oleo deſignata, 315.

Gratiæ inuentio apud Deum; & inuentio gratiæ coram Deo valde diſtant, 325.

Gratia radix amicitiæ, 346.

Gratiæ effectus ſedare animum, 345.

Gratiarum actio debita creatori, 501.

Gratia neceſſaria ad cœli ingreſſum, 604.

H

Habitus.

HAbitus tam boni, quàm praui, quàm efficaces ſint ad malos, ac bonos actus, 251.

Habitus habitibus gignuntur, & augentur, 251.

Hiſpania.

Hiſpania Romanæ ſedis, legata ad ſalutandum venientem Regem in virginis vtero, in die expectationis, 468.

Hiſpania valde à Romana Eccleſia nobilitata feſto expectationis partus Virginis Deiparæ, 478.

Homo.

Hominum bis facta renouatio: prima deletis ſordidis hominibus:

altera deletis ab hominibus sordibus, 321.
Homines debent tanto se humilius subdere Christo, quanto nobilius ab ipso redacti in libertatem, 368.
Homo imago creatoris, 529.
Homo imago Dei tanquam artificis sui, 529.
Homo imago Dei tanquam eius, eam possidet, estque Dominus eius, 529.

Humanitas.

Humanitas Christi signum exterius supremo sigillo signatum, 186.

Humilitas. Humilis.

Vide superbia, superbus, ambitio.
Humiles Deo sunt gratissimi, 358.
Humilitas vilitatem sæpe significat, 427.
Humilitatis exemplum Virgo Deipara, 427.
Humilitas Martæ sæpius ostensa, 427.
Humilitatis exemplum Maria pariens in stabulo, 479.
Humilitas fouea ædificij, 482. 580.
Humilitatis, cum prudentia connexio, 582.

Hypostatica.

Hypostatica vnio, 510.

I

Iacob.

IAcob qua ratione motus erigendum pro summo Dei beneficio monumentum lapidem delibutum erexerit, 41.

Iactabundi. Iactantia.

Iactabundi homines nobilitatem generis sui magnificantes, magnum præbent indicium nobilitatis nullius, aut exiguæ, 149.
Iactantia ex nobili genere vana, & sæpius falsa, 149.

Iaspis.

Lapis prætiosissimus, 604.
Restringit fluentum sanguinis. ibid.

Idololatria. Idolum.

Idolis inclusi Dæmones ambigua præbebant responsa, 520.

Iephte. Iephtea.

Iephte obtulit vnicam Deo filiam, 522.
Iephte votum de offerenda Deo re, quæ victori illi occurreret prima, 557.
Iephtea filia Iephte, quo holocausti genere, oblata sit, 558.

Ierichuntini muri.

Ierichuntini muri ad arcæ præsentiam corruentes, 479.

Ieroboam.

Ieroboam curnam aureos fecerit vitulos in Deos, 59.

Ierusalem.

Ierusalem cur in luteo latere ab Ezechiele descripta, 42.

Impius.

Vide peccator.
Impij homines, cum leues sint, debili quauis à Satana ansula capiuntur, 232.
Impij priuantur luminis lætitia, 420.
Impiorum prosperitas vanissima, 421.
Impiorum gaudia scintilla modica, 421
Impij sibi ipsis attendunt, non Deo, 519.

Imprecari.

Imprecandi abusus, præsertim apud fœminas, 405.

Incarnatio. Incarnatus.

Vide Christus.
Incarnatio Christi eo facta est,

vt ipse, in quantum homo, esset index libri, qui est verbum, cui humanitas vnitur, 10.

Incarnationis mysterium multis scatens mirabilibus, 321.

Incarnationis mysterium artificium mellis conficiendi, 330.

Incarnatio Verbi musica suauissima, 332.

Incarnatio Verbi artificium horologij, 333.

Incarnatio Domini hypostatica vnio, 359.

Incarnationis Dominicæ dies festiuissimus omnibus seruis, nimirum cunctis Adæ filiis, 365.

Incarnatio Christi principium viarum Dei, 370.

Incarnatione Christi composuit Deus omnia, 370.

Incarnatio Verbi ędificauit genitricem, 588.

Indumentum.

Indumentorum Christi apparatus grandis, signatus stemmatibus in die resurrectionis, 448.

Infantes.

Infantes Deo offerendi, 286.

Ingratitudo.

Ingratitudo hominis erga Deum, 501.

Inimicus.

Inimici animæ tres, designati mystice duobus Regibus, & vna Israelitica Regina, 465.

Innocentia.

Innocentia probatur innocua vitula perspecta, 35.

Innocentia illustrior, quam pœnitentia, 157.

Inuentores.

Inuentores rerum magna culti veneratione, & habiti Dij, 318.

Inuentores rerum, & artium multa apud Reges gratia accepti, 319.

Inuentores rerum vniuerso populo, & aliquando vniuerso mundo acceptissimi ac dilectissimi, 319.

Inuocatio.

Inuocatio Christi coniuncta interiectioni, O, 446.

Ioachim.

Ioachim & Anna cur steriles, & senes genuerunt Mariam, 245.

Ioannes Baptista.

Ioannes Baptista cur ex sterilibus, ac senibus natus, 246.

Ioannes lucerna ardens, & lucens, facit matrem, eius ventre portatus, esse lucernam, 379.

Ioannes Baptista sanctificatus in vtero, 385.

Ioannes vsus ratione in vtero matris, 401.

Ioannes in ventre matris sanctificatus, 401.

Iocus.

Iocus puellarum cum pueris paruulis noxius, 290.

Iordan.

Iordanis aquæ muratæ ad arcæ transitum, 479.

Ioseph.

Ioseph nobilissimus factus, propter sponsam, 216.

Ioseph auctus temporali gloria, & æterna, occasione dimissi pallij in manu allicientis mulieris, 229.

Isidorus.

Isidorus fecit laternas duas ex-

quisiti artificij: in quibus semel accensa lux, nunquam defecit, cum nullo foueretur alimento, 379.

Israeliticus.

Israeliticus populus in duo diuisus Regna, 455.

Index.

Iudices superiores absque multo scriptorum strepitu peccantes debent cohibere. 133.

Iudices non possunt licitè inquisitionem facere delictorum absque legitima fama, aliisque requisitis precedentibus, 134.

Iudicium.

Iudicio finali exhibit iudex Christus afferens stemmata mœroris, & gaudij, 449.

Iudicij finalis die mœrebunt perditi: justi lætabuntur, 449.

Iudicium ad finale veniet Christus, tanquam legifer, & iudex, 44.

Iulij Cæsaris.

Iulij Gæsaris insigne factum, seruandi ab aquis librum, dum nans in mari, librum elata ferret manu, 47.

Ius.

Ius triplex, 523.
Ius diuinum, 523.
Ius humanum triplex, 523.
Ius gentium, 523.
Ius commune, 523.
Ius Regni, 523

Iure gentium adstringuntur homines offerre se Deo, 526.

Iustitia.

Iustitia calceo designatur, 130.

Iustus.

Vide impius, peccator.

Iustus homo nobilis est, & clarus, atque à misero immunis tributo. 151.

Iusti lege Euangelica, non solum sunt à sordido immunes tributo perpetuo, sed etiam hæredes bonorum cœlestis Regis. 155.

Iusti lętantur summopere diuina luce Deo, 420.

Iusti cultui Dei iugiter intendũt, 518.

Iusti Deo soli, non sibi ipsis sedulo intendunt, 519.

L

Lætitia.

Lætitia mundi multa miscetur agonia, 106.

Lapis.

Lapis stemmatum Dei, insertus annulo, est Christus, 449.

Lasciuus.

Lasciuus vir olfacit semper putris carnis odorem, instar porci, 474.

Later.

Later cur assumptus ab Ezechiele, ad scribendam in eo ciuitatem, 42.

Laterna.

Laterna, in qua permansit indeficiens lumen excogitata à Casiodoro, 377.

Laus.

Laudes Dei silentium sunt simul, & locutio, 438.

Lex.

Vide præceptum.

Lex vetus dura grauis, ferrata: suauis noua lex, 462.

Lex vetus oblationibus inchoata, 522.

Lex noua, lex amoris, atque adeo æterna, 566

Lex vetus, quòd amoris non fuerit, sed oneris, euacuatur in Christo, 566.

Liber.

Liber generationis Iesu Christi, est mater eius, 169.

Liber

Liber bellorum Domini scriptura sacra, 466.

Liberalitas.

Liberalitas Peruani cuiusdam inaudita, 178.

Libido. Libidinosi.

Libido carnis feruens fuit mustum, diluuij tempore, 70.

Libidinosi auersi à Mariæ Virginis purissimis oculis, 330.

Libido mortificata extinguit libidinis stimulos, 342.

Libidinis ministræ fœminæ, & Leones, 590.

Lignum.

Lignum scientiæ cur Adamo vetitum, 279.

Lignum scientiæ videtur fuisse vitis, 282.

Lilium.

Lilia circundabant Christum in Virginis vtero, 552.

Litteralis.

Litterales scripturarum sensus spiritu repleti, 457.

Lucij Sylla.

Lucij Syllæ carnes adhuc viuentis corruptæ, 564.

Lumen.

Lumen verum est Christus, 536.

Lux.

Lux, cum Deus ipse sit, est obiectiua beatitudo summopere exhilarans, 378.

Lux est Deus, & ideo summopere lætificans, 419.

Luxuria. Luxurioſi.

Vide caro, Libido.

Luxuria talis est indolis, vt ipsummet effrenari hominem vinciri sit iugo peccatorum, 35.

Luxuria grauissimas gignit in corpore, & in animo afflictiones, 36.

Luxuriæ opera aratu congruè designata, 37.

Luxuria numquam satiatur, 209.

Luxuriantium in conuenticulis fœminarum, ac virorum adest Diabolus coopertus, 342.

Luxurioſi benigna Mariæ benedictione priuantur, 574.

M

Macula.

Macula semel homini impressa, quantumuis ab eo funditus deleatur, non tamen ab hominum memoria, 88.

Maculas perfectorum hominum funditus deletas non parcit scriptura afferre in medium inter præclarissimas eorum excellentias, 98.

Malacia.

Malacia prægnantium, seu pica, 493.

Malaciæ affectus multi decipientes, 493.

Maledictio. Maledicere.

Maledicendi abusus, præsertim fœminarum, 403.

Maledictionibus percutiens alios, debet patienter ferre maledictiones mancipiorum, 404.

Maledictiones in transgressores mandatorum, 548.

Maledictio nulla vnquam à Deo immissa: sed ipsæmet veniunt maledictiones, 246.

Malum.

Malum hominis est indigna præsentandi se Deo iniuria, 505.

Mandragora.

Mandragoræ quid sint, & quæ earum qualitates, 381.

Mandragoræ duplicis sexus, 381.

Mandragoræ odor, fama bona, 382.

Mandragoris designatur vehemens in Deum amor, & ecstasis, 382.

Mandragoræ præstant fœcunditatem sterilibus fœminis, 382.

Mandragoris est, & figura mascula, & fœminea, 383.
Mandragora symbolum sancti Spiritus, Mariam absque fœcundantis, 384.

Marchion.

Marchion Pescarensis propriis peremit manibus milites suos, expugnatæ vrbis fœminis procaces, 486.

Mare.

Mare vitreum cœli vestibulum, 604.
Mare in cœlo vitreum cur aqua igne mista, 605.

Maria.

Vide conceptio. Præsentatio, Visitatio, Expectatio, Purificatio, Assumptio.

Maria pretiosissimum Dei scrinium, 1.
Maria tabula diuinæ legis, 10.
Maria tabula Euangelici libri, 10.
Maria Heua secunda in reparationem prioris, 10.
Maria index libri Dei, 10.
Maria Dei mater quanto apparatu custodita sit à Deo, 12.
Maria Dei genitrix habuit primitias omnium excellentiarũ, quas perfectissimæ quæque creaturæ habent, 13.
Mariæ gratia, & excellentiarum cumulus cunctarum superabundans, & immensus, 14.
Maria Deipara à Cherubino custodita, 5
Mariæ Deiparæ duo templa constructa, 19.
Maria à Christo redempta, præueniente redemptione, 16.
Maria perfectissimum fœminarum exemplar, 18.
Maria omnium magistra, 19.
Mariæ conceptio nimio fulgore munditia summa facta est, 21.
Maria conceptione sua, frangens hostis caput, exiuit illęsa, 23.
Mariæ viscera folia sunt libri generationis Iesu Christi, 33.
Mariæ folia nunquam ad mutationem ex malo in bonum; sed ex bono in melius, semper versa fuisse, 34.
Maria est folium Verbi Dei, quod homines vitæ suæ folium voluere facit, 34.
Mariæ viscera folia sunt, in quibus instans iam vniuersi reparatio, scripta diuinitus fuit, 43.
Maria liber, in quo suauis lex scripta est, 43.
Maria cœlum Dei, 45.
Maria cur baptismate abluta, 46.
Maria in omnibus, & verbis, & factis perfectissima, 49.
Maria operabatur bonum absq; vlla repugnantia, nec difficultate appetitus, & carnis, 55.
Mariæ sanguis purissimus à conceptione sua, 57.
Mariæ sanguis purissimus puritate concinna auro purissimo, quod est diuinum Dei Verbum, 61.
Maria à Christo redempta, 78.
Maria est nomen excellentiæ, 79.
Maria tam Hebraïcè, quam Syriace significat Dominam, 79.
Marię immunitas à communi peccatorum tributo; certaque nobilitas, 80.
Mariæ nobilissima à peccato præseruatio elegantissimis figuris duabus designatur, 83.
Maria ab originali peccato præseruata. 89.
Maria Dei mater contraxerime debitum originalis maculæ, 89.
Maria à Christo vere redempta, cum sit immunis à peccato, 90.
Mariæ immunitas à peccati ori-

ginalis tributo, ideo non expresse omnino affirmatur scriptis, quòd sufficiat vbique nobilitatis notorietas, 92.

Marię conceptio toto Euangelij libro purissima commendatur, 112.

Mariam esse omni labe immunem agnouit ex auditis gressibus insidiator, 132.

Maria vndecumque nobilissima, clarissima tota, 157.

Maria caput serpentis contriuit, 157.

Mariam sponsam pretiosissimis donis ornauit Deus, 160.

Maria liber generationis Iesu Christi, 169.

Maria liber Dei magnus, 167.

Mariæ stylus nil terrestre, nil non diuinum sapit, aut redolet, 167.

Maria nota cunctis subscriptione Dei, atq; sigillo in ea impresso, 176.

Maria, quæ & qualis sit, cognoscitur in Verbo filio suo; sicut Deus Pater in Verbo filio suo, 176.

Maria alba charta est cum sola diuini Regis subscriptione, 184.

Maria quodam infinitatis genere immensa, 178.

Mariæ, & diuini bibliorum libri collatio, 180.

Maria liber sacrum scripturarum librum, omnibus ferè magnalibus excedens, 180.

Maria, & scriptura sacra duo libri sunt, ex eodem processu originali translati, 183.

Maria liber, in quo Dei Verbum scriptum est originale, 186.

Marię in membranis scriptum diuinum Verbum, nulla humana, sed solius Dei operatione, 184.

Mariæ membranarum liber, magnus; cuius comparatione exiguus est liber bibliorum, 180.

Mariæ laudes ad nullum debent gradum adduci designatum, 189.

Marię dignitas, & perfectio omnem creaturarum dignitatem cunctarum vna collectam summa transcendit, & superat, 191.

Mariæ Deiparę laudes, 191.

Maria ante oculos iugiter habenda, vt bona omnia, omnes virtutes ex ea nobis hauriamus, 193.

Marię flores nutrimento sunt solido, 211.

Mariæ laudes audiens Deus summè delectatur, 212.

Maria filia vnica Dei nata est, 215.

Mariæ extinctus peccati fomes, 216.

Maria eximiè amplificauit genus suum, seu prosapiam, 216.

Maria prosapiam coniugis eximiè nobilitauit, 216.

Maria ampliauit, & clarificauit Dei generationem, & sobolem, 217.

Marię laudes, cur non longa historia commendent sacræ litteræ, 217.

Marię perfectiones describuntur obiter in textu, variis occasionibus, 221.

Maria creata ad imaginem Dei duobus modis: tum in genere exemplaris, sicut Heua: tum in genere causę efficientis, sicut nullus alius, 222.

Maria Magdalena apprehensa oculis à Deo, vt per vniuersum mundum grandi ferretur gloria, 229.

Mariæ natiuitas cur ex sterilibus parentibus, senioque confectis, 242.

Maria præsciśum habet in se, quod humanum est; amplissimum, quod est diuinum, 245.

Mariæ parentes cur ſteriles, & in ſenectute genuerunt, 245.
Maria nube ſæpe eleganter deſignata, 246.
Maria Deipara cur nubecula inſtar veſtigium hominis, 247.
Mariæ genealogia plus participat à filio, quàm à parentibus, 248.
Maria naſcitur, tanquam vola viri, in ſymbolum venturi Chriſti, ad complendas promiſſiones, 249.
Maria naſcente aperit Deus manum, ad implenda benedictionibus omnia, 249.
Maria dudum nata, non ſolum gaudio, ſed exemplo etiam nobis eſt, 252.
Maria ex matris vtero fulgentiſſimis ornata habitibus exiit, 252.
Mariæ nondum natæ magna Deus pannorum inuolucra præuentione præparauerat, 251.
Mariæ naſcentis patrinus Spiritus ſanctus, 252.
Mariæ naſcenti præbuit prætioſum Sanctus Spiritus palliolum, vtpote dies patrinus eius, 252.
Mariæ parientis patrinus Spiritus Sanctus, 253.
Maria perſpecta parcit Deus mundum delere, 259.
Maria reprimit iuſtam Dei in homines iram, 259.
Maria Virgo auri fodina, ex qua ſupremus Rex infiniti valoris eduxit aurum, 276.
Mariæ prius Deus, quam parentes eius habuit poſſeſſionem, 276.
Maria plus diuinum habet, quam terreſtre, 277.
Maria trimula in templo præſentata, 292.
Mariæ vita, & mores, dum vixit in templo, 292.
Maria cunctis Eccleſiaſticis gradibus conſummata, 294.
Maria omnium virtutum ſummo gradu perfecta, 294.
Maria ſumma ſacerdotiſſa. 294.
Mariæ virtutes ex dignitate eius inferuntur, 294.
Mariæ laudes cur pleræque ſilentio compreſſæ in ſcripturis, 300.
Mariæ virtutes, quibus recluſa in templo occultè ſe exercuit poſtea opportuno tempore ſplenduerunt, 301.
Mariæ Dominæ noſtræ virtutes ab ineunte ætate fulgentiſſimæ, 309.
Maria Virgo operi manuum ad templi cultum intendebat, 309.
Maria Virgo ſacris litteris inſtituta, 309.
Maria Virgo ab ineunte ętate conuerſabatur cum Angelis, 309.
Mariæ Deiparę miniſtrabant Angeli alimenta, 309.
Maria Deipara ſpeculum fœminarum, 309.
Maria Virgo vnicum ſpeculum eſt, omnes ſpeculorum fines effectuſque perficiens, 311.
Maria Virgo ſpeculum vnum, quod triũ eſt ſpecierum ſpeculum, 313.
Maria Virgo lampas templi Dei, 313.
Marię oblatio in templo ſuauiſſima Deo, 315.
Maria potiſſima inter omnes rerum inuentores, 314.
Maria diuinę gratię inuentrix, 319.
Maria inuentrix gratię diuinæ ſibi ipſi, & nobis, 319.
Maria inuentrix diuinæ artis, qua mater eſt Virgo, 320
Maria gratiæ inuentrix altior, quam Noë, 321.
Maria arca Noë, 322.

Mariæ perpetua virginitas, 322.
Mariæ virginitas nouus terræ virginis cultus, 330.
Maria virga apis melliflua, 330.
Maria Virgo enixa sine nixu, 330.
Maria gratia melliflua, 330.
Maria Virgo viro desponsata, 330.
Maria Virgo olidos libidine auersatur viros, fugit mulierculas, 330.
Maria medicæ artis inuentrix, 332.
Mariæ picturæ inuentrix, 332.
Maria inuentrix musicæ artis, 332.
Mariæ coniuncta virginitati fœcunditas, silice figurata, 332.
Maria cur in sermone Angeli turbata, 340.
Mariæ pudicitia, 340.
Maria Virgo vel solam viri vmbram præ pudicitia formidat, 340.
Maria ex humilitate turbatur, 345.
Maria gratissima Deo, 350.
Mariæ ad Deum arctissima vnio, 351.
Maria plena diuinis fructibus, 351.
Mariæ verbo fit res sublimior illis; quæ creatæ sunt Dei verbo, quum dixit, Fiat lux, &c. 353.
Maria se ancillam nominat eo instanti, quo in matrem assumitur, & Dominam, 355.
Maria concepit Dei filium in fine prolationis verborum; fiat mihi secundum verbum tuum, 356.
Maria Deipara ditior est Deus, quàm reliquis cœli, & terræ opibus, 357.
Mariæ interuentu fit Deus Dominus omnium nouo titulo, 357.
Mariæ suprema ob humilitatem exaltatio, ad quoddam cum Deo genus æqualitatis, 358.
Maria dicta ancilla Domini, vt conformaretur nomen hoc nomini filij sui, qui serui accepit formam, 363.
Maria cur nunquam dixit, mater, filius eius; sed dixit, mulier, fere semper, 363.
Maria prægnans ancilla est tanti pretij, quanti Dominus eius Deus ipse, 364.
Maria generans Christum, nos liberos fecit ex seruis. 367.
Maria dicens, Fiat, innumera hominibus bona conciliauit, 368.
Maria seruauit virginitatem cum humilitate, tanquam prætiosissimum thesaurum, 369.
Maria ancilla possessa à Domino in initio viarum suarum, 364.
Maria adstitit Deo, omnia cum eo componens, 370.
Maria cum Deo præparauit cœlos hominibus, 371.
Maria adstitit Deo, quando certa lege, & gyro vallabat abyssos, 379.
Maria adstitit Deo, quando æthora firmauit sursum, & librauit fontes aquarum, 371.
Maria adstitit Deo, quando terræ appendit fundamenta, 371.
Maria interpretatur Domina, 372.
Maria laterna christallina, summopere diaphana, 376.
Maria est illuminatrix mea, stella maris, illustrata, & illustrans, 377.
Mariæ salutatione fit Elisabeth laterna pellucida, 379.
Maria, & Elisabeth sunt laternæ duæ pellucidissimæ, 379.
Maria visitans Elisabetham ardentissimæ ostendit charitatis indicium, 380.
Maria mandragoris sancti Spiritus fœcundata, 378.
Maria quot, & quanta in visitatam à se Elisabeth contulerit

dona, 386.
Mariæ eloquia replent ſpiritu auditores, 390.
Maria victrix Satanæ gloriosè proclamata, 395.
Maria plenè benedicta, 395.
Maria arbor vno eodem tempore onuſta vniuerſarum fructibus ſpecierum. 399.
Maria, & Eliſabeth virgæ duæ, quæ mirabili modo floruerunt, 401.
Maria virga Ieſſe. 402.
Maria arca theſauraria, replens bonis domum, in qua manet, 410.
Mariam in domos noſtras afferre, ſummopere nos oportet, 410.
Mariæ canticum præ Angelicis ſuaue, 412.
Maria ductrix noſtra, dum à miſera eximus captiuitate, 415.
Maria Deum ventre coarctans magnificat anima, 418.
Maria ambulabat, dirigens greſſus ſuos iuxta ſonitum Dei, tanquam muſici inſtrumenti, 426.
Maria humilitatis exemplum, 426.
Mariæ fecit Deus magnalia: & in ipſa fecit magna, 426.
Maria, & filius eius Cherubini duo in ianua paradiſi, ad aperiendam eam filiis Adæ, 427.
Maria medium, per quod vtitur Deus miſericordia à progenie in progenies, 428.
Maria ſæpius ſe humilem; imo in omnibus humilem exhibuit, 428.
Maria docet completas eſſe prophetias omnes de primo Chriſti aduentu. 428.
Mariæ canticum, vel cœleſtes ipſos demuclet Angelos, 430.
Maria Deipara nubes expectatiſſima: ex qua cœleſtis venit pluuia, Dei filius, 432.
Mariæ integritas perpetua, 443.
Maria Chriſti ducis ſignifera, 444.
Maria Deipara magnum, & in vita nobis præſidium, & in morte, 450.
Maria tenaciſſima vexilli ſignifera, 451.
Maria prægnans circundedit perfectum virum, 458.
Maria cœlum cœlis omnibus præſtans in eo, quòd Dei ſedes eſt, 459.
Maria ædificata ad Dei normam, 459.
Maria templum Dei factum, ad Dei normam, & menſuram, 460.
Maria, & Chriſtus rota in medio rotæ, 461.
Maria mare magnum, 464.
Mariæ Deiparæ facies quatuor, 464.
Maria circundedit vtero virum, qui inde iam profligare cœpit hoſtes poſtea deſtruendos, 465.
Maria acies caſtrorum ordinata, 467.
Maria concipiens virgo, illuſtriſſimam de carne victoriam reportauit, 480.
Maria ſocia ducis Chriſti tribus in congreſſibus, quibus animæ hoſtes ſuperauit, 480.
Maria arca teſtamenti, 480.
Mariæ in conceptione virginitas luculenter indicatur, 480.
Maria contubernalis Chriſti in congreſſu, quo deuicit mundum, 480.
Mariæ aduerſus diabolum victoria 481.
Maria humilitate ſua ſubuertit profanæ muros vanitatis, 483.

Mariæ virginitas à nato eius custodita, 485.
Maria Deipara ductrix, & protectio nostra in spiritali, quo impetimur bello illustrissimam nobis pariens victoriam, 490.
Maria murus hominum firmissimus, 490.
Maria virgo prægnans, quidpiamne appetierit ex malacia? 492.
Mariæ prægnantis vehemens appetentia, 493.
Marię vehemens desiderium videndi filium suum in vlnis suis, 496
Maria typus offerentium se Deo, 502.
Maria offert Deo nobiscum filium suum, ac seipsam, & nos ipsos cum filio, & se offert Deo, 511.
Maria absque purificationis necessitate legem adimplet, 511.
Maria prægnans immunis fuit abvteri sordibus aliarum prægnantium, 511.
Mariæ vterus circundatus floribus ex cœlesti regione adductis, 513.
Mariæ puritatem admirans diabolus, insidiatus est calcaneo eius, 514.
Maria virgo ante partum, in partu, & post partum, 514.
Maria quousque dicatur purificatione sua, 516.
Marię oblatio, quam dudum natum filium obtulit Patri, seque ipsam cum infantulo, 522.
Maria adducit nos, filios suos, ad accipiendam benedictionem à Patre, non sicut Rebecca induxit Iacob, 536.
Maria enixa ducente, in templum filium Patri offerendum, summus est processionis apparatus, 543.
Maria melliflua, 551.
Maria reliquiæ post partũ lilia, 552
Mariæ virginis nullæ ex partu impurę reliquiæ, 151.
Maria in reparatione confertur diluuio in deuastatione, 553.
Mariæ obitus causa lætitiæ non mœreris, 559.
Maria virgo fœcunda, 559.
Mariæ obitus per dies octauarij celebratur, 590.
Mariæ obitus octo sponsi canticis per dies octauariæ celebratur, 560.
Mariæ obitus qualis fuerit, 560.
Mariæ puritas turris firmissima, 560.
Mariæ ætas, 558.
Maria lãgore amoris moritur. 561
Maria moritura accepit mortis nuntium, 562.
Maria in lectulo expectat hilaris obitum, 563.
Maria virgo suis intrepida, ac fulcita virtutibus transit è terris ad cœlestia, 563.
Mariæ puritas fecit tempore obitus lectum eius floridum, 563.
Mariæ obituræ adstitit filius eius, 564.
Maria solo amoris Dei morbo decessit, 565.
Mariæ morituræ, quasnam medicus filius ad disponendos humores dederit potiunculas, 565.
Mariæ amor in Deum iugiter intentissimus, 567.
Maria virgo non colerica, nec præceps, sed omnino serena, atque composita, 567.
Maria Deipara columba est, 567.
Maria mitis, benigna, suauissima, 567.
Maria diligens, sollicita feruens, minimè segnis, aut remissa, 568.
Maria diuino in obsequio valde sollicita, 568.
Maria sollicita circa propriæ perfectionis studium, 568.
Maria sollicita erga hominum

salutem, & preces, 568.
Maria semper læta, atque iucunda, 568.
Maria non solum ab animi peccatis, sed à corporalium etiam humorum deordinatione fuit immunis, 569.
Maria decessus sui tempore intimis Dei consolationibus exhilarata, 569.
Mariæ datus rosarum succus tempore, quo erat moritura, 569.
Mariæ datur manna tempore obitus, 570.
Maria tenerrimis, & amicissimis illecebris affecta à filio suo tempore obitus, 570.
Mariæ somnus qualis tempore transitus, 570.
Mariæ testamentum quale, 570.
Mariæ Deiparæ testamentum, 571.
Maria tertia à transitu die in cœlum corpore translata, 571.
Mariæ virtutes exemplaria sunt, quæ omnes imitemur, 571.
Maria benedictionem suam puris impendit, 577.
Mariæ fœliciſſima mors, 574.
Maria interitu expirans, suauissimum spirauit odorem, 575.
Maria qua pompa deponatur in tumulo, 576.
Maria Virgo exemplar spiritalis ædificij à Deo exhibitum, 584.
Mariæ Virginis fides, 588.
Mariæ Virginis humilitas, 588.
Mariæ Virginis charitas, 588.
Mariæ Virginis prudentia, 588.
Mariæ Virginis spes, 588.
Mariæ Virginis pudicitia, 589.
Maria ante partum, & post partum Virgo, 589.
Mariæ Virginis religio, & Dei cultus, 589.
Mariæ Virginis iustitia moralis, 589.
Mariæ locutio & conuersatio cœlestis semper, & vbique, 588.

Mel.

Mel purissimum fuit reliquiæ omnes partus Mariæ, 551.

Minium.

Minium aptissimum scribendis litteris auro contextis, 57.

Miracula.

Miracula sunt stemmata Christi, 446.

Missa.

Vide Sacrificium.

Moly.

Moly flos nascens in Cillene Arcadiæ floridum virtutis symbolum, 257.

Mors.

Mors est vmbra, 556.

Mortificatio.

Mortificatio præparamentum oblationis Deo faciundæ, 285.
Mortificatio carnis mandragoris designata, 381.

Mulier.

Vide Fœmina. Pudicitia,
Mulier leuis grauis est valde sibimetipsi, 36.
Mulierum vestes elegantes camus sunt, quo tanquam belluæ tenentur, 468.

Mundus.

Mundus inimicus dissimulatus, 465.
Mundus perplexus fuit in Christi cognitione, quum venit in mundum. 466.
Mundo se dedere non debet, quisquis Deo offert, 524.
Mundus & caro rejiciunt seruientes eis homines, vt ad suum reuertantur Dominum, 533.

Murmuratio, Murmurari, Murmurator.

Murmurationibus suis se infamat susurro, 404.

Murmurandi abusus in visitationibus, 404.

Murmuratorum pessima indolis, 405.

Murmuratores simili moneta mercedem accipiunt, 407.

Murmuratorum supplicium, 408

Murus.

Muri Iericho ad præsentiam arcæ effusi, 479.

N.

Nabuchodonosor.

NAbuchodonosor, quo fine auream fecit statuam, 60.

Nauacula.

Nauacula cur non tangeret quondam Nazareorum capita, 502.

Nemo.

Nemo repente absque præuia ædificatione in cœlum assumitur, 589.

Ninus.

Ninus ancillæ Semiramidis adamator, manibus eius ligatus interijt; succedente illa in eius imperium, 362.

Nobilitas.

Nobilitas generis quibus verbis debeat commendari, 81.

Nobilitas vera in vera animi virtute consistit, 98.

Nobilitas quid sit, 146.

Nobilitas in quo vera consistat, 146.

Nobilitas hominis propriis augetur actibus: propria perit indignitate, 147.

Nobilitas generis cohibet nobiles à turpibus operibus, 148.

Nobiles raro iactant nobilitatem, crebro ignobiles, 148.

Nobilitas excelsior obsequium Regis Regum, 150.

Nobilitas spiritalis, vnde habeat generis antiquitatem, 156.

Noe.

Noe an defecit omissione offerendi Deo vineæ primitias, 279.

Noeti, & Adami collatio in nuditate, 281.

Nubes.

Nubes, quæ Samariam fœcundauit, ideo quasi vestigium hominis, quòd matrem Dei præsignarit, 247.

Nubes symbolum Mariæ Deiparæ, 246.

Nubes septem vicibus quæsita in cœlo denotauit Mariæ ortum ex sterilibus, senibusque parentibus, 248.

Nubes ab Elia quæsita, & inuenta Mariam luculenter adumbrauit, 432.

Numerus.

Numerus amplior paucioribus profertur verbis, quàm numerus minor, 228.

Nutrix.

Nutrices selectissimæ quærendæ infantibus, 259.

O.

OInsigne proprium Domini Iesu Christi, 435.

O est littera vltima Græci Alphabeti, 436.

O, & u, nonnunquam pro eodem indifferenter vsurpantur, 437.

O littera inuocationi coniungitur, 446.

O, significat admirationem, 447.

O, significat dolorem, 449.

O, est character fratrum congregationis Deiparæ Virginis, 450.

O celeberrimum in festo Expectationis partus B.V. 449.
O ardentem significat affectum, 457.
O perfectissimum est Christus, 460.

Oblatio. Oblatus.

Vide Sacrificium.
Oblationem sui facere Deo, ante omnia tenetur homo, 278.
Oblationem, tam sui, quam primitiarum suorum laborum facere Deo, quisquis negligit; ab eo derelinquitur iustissimo iure, 278.
Oblatio Deo fieri debet ex primitiis eorum, quæ proprio labore nascuntur, 278.
Oblationem Deo nouam deberi, quoties nouum aliquod nascitur, 280.
Oblationem sui facturus homo, colat se prius, amputans superflua, 285.
Oblatio, & purificatio semper vniuntur in Scripturis, 502.
Oblatio Deo debita propriæ personæ, atque bonorum, 503.
Oblatio debet ante omnia fieri Deo, 506.
Oblatio Deo exhibita cum purificatione coniuncta; 507.
Oblationes nostræ sacra Christi oblatione comitatæ, 506.
Oblatio Iephte, 509. 522.
Oblatione sui obtulit se Patri infantulus Christus, 522.
Oblatio, qua Christum offerimus Patri adeo integra est, vt bona omnia, intra eum inclusa integrè offeramus, 523.
Oblationem sui facere Deo debet homo, 524.
Oblationem sui debet Deo facere homo tribus debitam titulis, 525.
Oblationem sui facere Deo debent homines titulo creationis, 525.
Oblationem sui facere Deo debent homines titulo supernaturalis eleuationis, 526.
Oblationem sui debent facere Deo pueri peruenientes ad rationis vsum, 527.
Oblatio hominis, qua se præsentat Deo, 528.
Oblationem sui facere Christo debent homines, quòd ipse factus sit homo, 530.
Oblatio nostra oblationi Christi adiungenda est, vt sit accepta, 523.
Oblatio Christi, qua à matre Virgine in templo oblatus est Patri, 542.
Oblationis Christi die eximij fuit apparatus processio, 543.
Oblationes iustæ Deo factæ plenæ sunt benedictionibus, 546.
Oblationes Deo exhibitæ benedicuntur ab eo, 546.
Oblatio Deo facienda purificationem prærequirit, 548.
Oblato Christo infantulo summa Pater lætitia gloriatur, 524.

Obstinatus.

Obstinatus homo vas ferreum, 225.
Obstinatus peccator, qua punitione plectatur, 226.

Occasio.

Occasiones ansæ sunt, quibus feruntur homines ad ea, quorum sunt occasiones, 228.
Occasionem accipit Deus ab aliqua hominis actione, seu virtutem, ad magnificandum eum, 228.
Odor diuinus in suauissima Christi præsentatione. 544.
Odor suauissimo procedit à Christo, 540.

Oleum.

Oleum symbolum gratiæ iustificantis, 314.

Omissio.

Omissionis culpa negligentia in reddendis gratiis creatori. 501.

Opera.

Vide Voluptas,

Opera hominum talia sunt, qualis ipse homo, 227.

Opera bona propter quæ Deus eleuat homines ad sublimem gradum, solidissima virtutis sunt opera, 232.

Opera sua debent Dominæ dirigere, ambulantes iuxta sonitum, quem Deus illis, tanquam instrumentum musicum fecit, 426.

Opera bona respondere debent bonæ professioni, 470.

Opera hominis bona exiguntur semper necessariò à peccatore, vt iustificetur; à iusto, vt in iustificatione permaneat, gloriæque comparet augmentum, 489.

Operibus diuini obsequij debemus Deo non verbis solis benedicere, 547.

Opera bona gratia Dei adiuta confortant infirmos moribundos, 563.

Qui operibus suis incumbit gloriæ diuinæ, is consequenter assequitur propriam, 585.

Oratio.

Vide contemplatio.

Oratio, qua Christi humilitas, atque paupertas consideratur, 484.

Originale.

Originale peccatum, quonam modo hominem circundat totum, 164.

P.

Parentes.

Vide Filius.

Parentes instituant filios ab infantia, 257.

Parentum cura erga filios educandos, 288.

Parentes magna ex parte sunt causa peccatorum, quæ filij committunt, 303.

Parentes præ matura infantium petulantia lætabundi, 301.

Parentes primi rudi agendi gratias creatori notantur omissione, 405. 501.

Parentes glorioſi filiis sunt gloriæ, 545.

Passio Christi.

Vide Christus.

Passionis Christi dies seuæ victoriæ eius contra diabolum dies commendatur, 466.

Pater.

Vide filius. Parentes.

Pater æternus auctor processionis Trinitatis, 182.

Pater æternus auctor Filij, & sancti Spiritus, 182.

Patientia.

Patientiæ exemplum est Aristipo, 404.

Paupertas.

Paupertas Christi meditatio nostra, 484.

Peccator.

Vide Impius, Iustus, Iustitia.

Peccator sordida est obscurus ignobilitate, durissimóque iugo tributarius, 152.

Peccator vas omnia perdens, & graueolentia contaminans, 226.

Peccatores maximo sunt expositi periculo incidendi in diaboli cornua, 341.

Peccatores maledictionibus mul-

tis confunduntur, 548.

Peccatum.

Peccatum originale facta ab Abimelech deuastatione figuratum, 22.

Peccati originalis modus, forma, & cætera explicantur, 22.

Peccatum originale est instrumentaliter in carne, 22.

Peccatum originale salsugo terræ ex inundante mari relicta, 45.

Peccati originalis reliquiæ pessimæ, 49.

Peccati originalis figura, seu similitudo notanda, 86.

Peccati originalis debitum, 89.

Peccatum originale cara carnis emptio, 128.

Peccatum originale qua ratione contractum, 128.

Peccati originalis effectus pessimi, 128.

Peccata ex fragilitate, atque passione, quo supplicio puniantur, 226.

Peccatum ex malitia, quanto rigore punitur, 226.

Peccata simul ac sunt commissa absque vlla mora abstergenda sunt, 507.

Peccata propalantur in populos, nisi festina abstergantur ablutione, 508.

Pentecostes.

Pentecostes dies festiuitas est, qua celebratur victoria spiritus aduersus carnem, 467.

Persicum.

Persicum amygdalo insertum, 510.

Petrus.

Petrus Apostolus rota currus Ecclesiæ, 463.

Phinees.

Phinees exaltatus occasione Zeli, quo scortantes interemit, 229.

Pictura.

Pictura à Protogene facta symbolum mediatricis Dei, & hominum Mariæ, 259.

Pigmenta.

Pigmenta alia alijs superposita, 64.

Pluuia.

Pluuiæ sonitus magnus ex nubecula parua, quæ matrem designauit, 247.

Pœnitentia.

Vide conuersio.

Pœnitentiæ stimulis agere debet prædicator, 210.

Potens.

Potentes mundi ipsa humiliantis se Dei humilitate deiecti manent, & confusi, 429.

Præceptum.

Vide Lex.

Præcepta Domini quisquis seruare omittit, multis maledictionibus percutitur, 548.

Prædicatio. Prædicator.

Vide Verbum.

Prædicator debet audientium corda pungere spinis timoris, nouissimorum stimulorúmque conscientiæ, 210.

Prædicationis fructus duplex genere gloria Dei, & hominum compositio, 212.

Prædicatorum conuentio in prædicandis populo virtutibus, auertendis vitiis summè necessaria, 486.

Prædicatores buccinis designati in Scripturis, 486.

Prædicationi non parentes infœlices, 488.

Prægnans.

Prægnantium malacia fœminarum, 493.

Præparatio.

Præparatio mortis hæredibus, minimè committenda. 594.

Præsentata. Præsentatio.

Præsentata in templo Maria quindecim libens ascendit gradus. Quid mysticè, 293.

Præsentatio Mariæ tertio ætatis anno, 292.

Præsentatio Mariæ Deo gratissima, 299.

Præsentatio Mariæ copiosissima omnium diuitiarum, ac bonorum oblatio fuit, 299.

Præsentationis Mariæ non exigua pars in vtilitatem nostram præsentatur, 300.

Præsentatio Christi exemplum nostrum, vt offeramus nos ipsos Deo semper, 530.

Principium.

Principij ex prauis ad deteriora proceditur semper, 519.

Protogenes.

Protogenis depicta tabula symbolum Mariæ mediatricis, 259.

Prouidentia.

Prouidentia Dei, erga suos, relinquit eos aliquando, vsque ad vltimum agonem, vt succurrens illis eo instanti, magis eluceſcat, 84.

Prudentia.

Prudentia regimen virtutum, 138.

Prudentia est coagmenta charitatis in fundamento ædificij spiritalis, 581.

Prudentia exigit charitatis consortium, 581.

Pudicitia.

Pudicitia fœminarum paruo indicio suspecta, 340.

Pudicitia fœminarum ex perceptis auditu gressibus noscitur, 123.

Pudicitia Booz admiranda, 338.

Puer.

Pueri quondam degentes in templo, 286.

Pueri offerendi à parentibus creatori, 286.

Puerorum, puellarumque educatio, 287.

Pueri castigandi, 287.

Pueri paruuli filios genuerunt, 291.

Puerorum peccata inueterascunt, 303.

Puerorum peccata non multum excusantur propter ætatis imbecillitatem, 303.

Puerorum vitia eos funditus vsque ad imas penetrant medullas; difficulter vnquam delenda, 303.

Pueri flagellandi, 304.

Pueri peruenientes, ad rationis vsum, debeantne tunc offerre se Deo, 527.

Puella.

Vide Virgo.

Puellarum cubile ingredi paruos pueros minimè permittendum, 289.

Puellarum custodia, 305.

Puellæ ad diuina officia in templum adducendæ, 308.

Pulchritudo.

Pulchritudinis symbolum aurum, 471.

Puncta.

Puncta, & apices in scripturis necessaria, 123.

Punitio.

Vide supplicium.

Punitio primorum parentum tribus pœnis incussa, 8.

Purificatio.

Purificatio iugis comes debitæ Domino oblationis, 506.

Purificatio animæ cito facienda ante ortum lucis, 507.

Purificatione an vsa fuerit Maria, 516.

Purificatio Dei genitricis exemplum seruandæ Dei legis, 531.

Purificationis enixarum radicalis origo, 531.

Purificationis die processio fit summo apparatu, 543.
Purificatio præcedere debet oblationem, 550.
Purificatio B. Virginis non necessitate, sed pietate, ad exemplum, facta est, obedientiæ, 550.
Purificatio B. Virginis talis fuit, vt non sordes ex partu, sed mel dũtaxat essent reliquiæ, 551.

Puritas.

Puritas conseruat homines, etiam tempore mortis, incorruptos, 563.

Purpurissum.

Purpurissum sanguis est conchæ, 63.
Purpurissum idoneum litteris scribendis, 63.
Purpurissum maximi pretij, quo tinctis vestibus vtebatur Romulus, 63.

Pythonissæ.

Pythonissæ quondam in templis Deorum prædicantes, 521.

R

Rachel.

Rachel cur tam obnixe apetierit mandragoras, 381.

Rahab.

Rahab meretrix fide, & pœnitentia resipiscens summis in Dei populo honoribus affecta, ac in matrimonium honorificè ducta, 491.

Regio.

Aereæ regionis ornamentum pro B. Virginis ascensu, 596.

Religio.

Religionis virtus annexa iustitiæ, 584.

Renouatio.

Renouatio mundi aliter à Noë, & à Christo facta, 318.

Resurrectio.

Resurrectionis generalis prophetalem prædicationem optabat Iacob in lamina scribi; vt ad ipsum vtique resurrectionis diem asseruatam, veram tunc ostenderet, 42.
Resurrectione sua fuit oriens vir Dominus Christus, 448.
Resurrectionis Christi dies, dies victoriæ est, qua vicit mundum, 467.

Rex.

Reges munificos se exhibent in omnibus locis, per quæ transeunt, 386.
Reges ac magni duces, procedentes ad bella, sua in vexillis ac sarcinis stemmata præmittunt, 45.
Reges priuat Deus Regnis, & vita, quum perperam vtuntur potestate, 455.
Regum carnes facilius corrumpuntur, præ nimia lautitiæ, & otij assiduitate, 563.

Risus.

Risus vanus, & datus à Deo risus valde distantes, 423.

Romanus P.

Romanus Pontifex rota currus Ecclesiæ, 463.

Rota.

Rota in medio rotæ apud Ezechielem, 461.

S

Sacrificium.

Vide Missa.
Sacrificio oblati Dæmoniis, 521.
Sacrificium Abrahæ, 521.
Sacrificium cur duplici specie obtulerit Christus, 532.

Salix.

Salicis proprietas, 342.

Salomon.

Salomoni valde munificus Deus cur aduenerit noctu, 375.

Saltatrices.

Saltatrices puellæ, 305.

Samuel.

Samuëlis sanctissima oblatio, 522.

Sanctus Thomas.

Sanctus Thomas Angelicus Doctor purissimæ conceptioni Mariæ valde affectus, 26.

Sanguis.

Sanguis Christi in animas fusus supra sordidum peccati pigmentum, vt illud operiat, atque diluat, 64.

Sanguis Christi, rubeus cum sit, animas miro candore dealbat, 65.

Sapientia.

Sapientia thesaurus infinitus, 58.

Sapientia est filius Dei, 441.

Sapientiæ thesauri infiniti, 441.

Sara.

Saræ risus notandus, 245.423.

Satisfactio.

Satisfactio Christi vberior debito, 510.

Scientia.

Scientiæ arbor vitis, 282.

Scipio.

Scipionis honestas in custodiendis fœminis expugnatorum armis suis vrbium, 486.

Scribere.

Scribere stylo hominis est filios generare, 170.

Scrinium.

Scrinium Darij pretiosissimum ab Alexandro Magno in Homeriani libri custodiam applicitum, 1.

Scriptores.

Scriptores quique exquirunt ad scribendum genera foliorum, quæ aptiora sunt rebus scribendis, 40.

Scriptura.

Scripturarum sacrarum apices, & puncta curę sunt Deo, 123.

Scripturarum libri duo. Vetus, & nouum testamentum, vnum opus sunt, volumen vnum, duobus tomis distinctum. 145.

Scriptura sacra, ex duobus integra testamentis, rota est in medio rotæ, 462.

Scripturæ sensus plures vnam ordinatissimam componunt rotam, 463.

Sacra scriptura liber bellorum Dei nominatur, 466.

Scutum.

Scutum stemmatum Christi totum hominem circundat, & tegit, 446.

Semiramis.

Semiramis amata à Rege Nino, facta ex ancilla dominatrix eius, ligauit eum, ac interimens, regnum occupauit, 362.

Sensus.

Sensus scripturarum inter se connexi, sicut rota in medio rotæ, 463.

Sergius Galba.

Segius Galba, cur auream Iouis coronam fundi in informem iussit massam, 60.

Serpens.

Serpens maledictus reptat metiens hominum gressus, 131.

Serui.

Seruos Romanorum fruitos libertate quotannis in die celebritatis natalis Seruij Tulij: iucundisque tunc ludis iubilasse, 366.

Seruij Tullij.

Seruij Tullij natalis dies omnibus in Romano populo seruis celeberrimus; quod ille seruus ex ancilla natus ad Regiam dignitatem ascendisset, 366.

Simeon.

Simeon benedicens oblato infanti, grandi ipse benedictione repletur, 536.

Simeon tribus, vna ex duodecim Israel, cur priuatur benedictione, qua moribundus Moyses vndecim benedixit, 574.

Sonus.

Sonus pluuiæ venturę à nube nondum apparente designauit nascituræ Mariæ dignitatem, 248.

Speculum.

Speculorum fines, & effectus, 311.

Speculorum species tres, 312.

Spes.

Spes, & fortitudinis connexio, 883.

Spina.

Spinis citreis sanantur tumores infixis, 211.

Spiritus.

Spiritus est ventus, 56.

Spiritus sanctus ventus diffundens aureum charitatis puluerem in corda hominum, 56.

Spiritus sanctus nexus quidam est Patris, & filij, 437.

Spiritus replet vacuitatem litterarum diuinæ scripturæ, 457.

Statua.

Statua aurea, quo fine facta à Nabuchodonosor, 60.

Stemmata.

Stemmata varia Regum, ac Ducum, 435.

Stemmata à tribubus Israel habuisse principium, 430.

Stemmata Regum in annulis, 448.

Stultitia.

Stultitia vnica legem Dei relinquere, 471.

Subscriptio.

Subscriptio Dei est eius Verbum, nulla, præter se ipsum, egens subscriptione, 104.

Subscriptio data in alba, seu vacua membrana, quo fine sic datur commissario, 178.

Superbia. Superbus.

Vide Humilitas, Humilis, Ambitio.

Superbia species Idololatriæ, 9.

Superbi grauissimo supplicio comminuuntur, 9.

Superbi se victores prædicant etiã victi, 25.

Superbi coronant se corona florum nondum apertorum, nec ad maturitatem peruenientium, 195.

Superbos totis Deus viscеribus, totis viribus conterit, & disiicit, 428.

Superbos vt confunderet, formam filius Dei accepit serui, 428.

Superbi hominis votis cunctæ res obstant, 578.

Supplicium.

Vide punitio.

Supplicium pro peccatis ex fragilitate, atque passione quale, 226.

T

Tabula.

TAbulæ libri generationis Iesu Christi quænam? 5.

Tabulæ duplicis rationis, seu significationis, 5.

Tabulæ Mosaycæ legis pro Christi, & Mariæ puritate explicantur, 6.

Tabulæ lapideæ veteris legis Euangelici libri fuerunt tabulæ, 6.

Templum.

Templum Dei, non vnum, sed duo, 18.

Templum Dei segregatas pro pueris puellisque educãdis habuisse mansiones, 286.

Templa Dæmoniorum, 520.

Temporalia.

Temporalibus rebus nimis addicti impij homines, 518.

Terra.

Terræ motus commonens homines, vt ad Dominum confugiant, 535.

Testamentum.

Testamenta duo duo circuli rotæ, 460.

Testamentum vetus à parte exteriori tangebat terram, res nimirum temporaneas; sed respiciebat intrinsecus diuinas, 462.

Testamentum aliud nuncupatiuum, aliud in scriptis, 570.

Thesaurus.

Thesauri omnes qua in Christo ratione absconditi sint, 441.

Tilia.

Tilia arbor vno eodem tempore onusta variis vniuersarum fructibus specierum, 399.

Timor.

Timor Domini liberat hominem non solum à crimine admittendo, sed à malis etiam temporalibus, 86.

Timor Domini clarissima nobilitas, 152.

Timor filialis est seruilis, 426.

Timotheus Athenienſis.

Timothei Athenienſis arrogans dictum, 24.

Titulus.

Titulum accepti à Deo beneficij memorialis cur lapidem oleo delibutum erexerit Iacob. 41.

Titulus libri generationis Iesu Christi cur Dauidem prius, quàm Abrahamum nominarit, 80.

Titulo imaginis debet se homo offerre Deo, 528.

Tribus.

Tribulationes huius sæculi ignis sunt quo cristallinum cœli mare decoratur, 605.

Tribus Israel acceptis à moribundo patre prophetiis; stemmata simul familiarum suarum acceperunt, 435.

Trinitas.

Trinitas diuina processus est originalis verbi scripti, 169.

Trinitatis diuinæ processus, seu processionis Deus Pater auctor. 182.

Trinitatis mysterium cum incarnatione consideratum, 323.

Trinitate in diuina Pater est principium, 437.

Triumphator.

Triumphatori olim Romano adstabat in curru seruus, qui sustinebat manibus impositam triumphantis capiti coronam, 359.

Tudertinus.

Tudertinus signifer, 451.

Turbatio.

Turbationis causæ, quæ? 337.

Turbatio Marię euanuit, nuntio inuentæ gratiæ repetito, 349.

Turtures.

Turtures fœlices, quod oblatum Patri comitantur Dei filium, 499.

Tyberius.

Tyberius priuauit vita quoscumque potentes agnouit, à quibus imperio priuari posset, 85.

V

Vacca.

VAcca rufa symbolum humanę Christi naturæ, 57.

Vanitas.

Mundanæ vanitatis ruina, nascente ex Virgine Dei filio, 484.

Verbum.

Verbum diuinum impressum, & expressum. 39.

Verbum diuinum imago Dei expressa, 39.
Verbum diuinum scriptum in visceribus virginis, tanquam in foliis vitelæ, 39.
Verbum diuinum aurum est, 54.
Verbum Dei nulla, ad sui auctoritatem eget subscriptione, 174.
Verbum Dei est ipsa Dei subscriptio, 174.
Verbum Dei est Dei nomen, 175.
Verbum diuinum est illud, in quo Deus perspicuè cognoscitur,
Verbum Dei incarnatum magis mouit homines, quàm in bibliis scriptum, 186.
Verbo in diuino omnia sunt; in eoque videntur, 399.
Verbi diuini æternus à paterno pectore egressus, 439.
Verbum diuinum genita sapientia, 439.
Verbum diuinum generatione sua est O. 439.
Verbum diuinum iugiter generatur, 440.
Verbum diuinum est conceptus Dei, & rerum consequenter vniuersarum, 440.
Verbum Dei substantia vera, 440.
Verbum Dei filius est Patris, 440.
Verbum Dei continet vniuersa, 440.
Verbum Dei fons sapientiæ, 441.
Verbum diuinum egrediens à Patre infinitæ thesaurorum sarcinæ comitantur, 441.
Verbum diuinum insigne stemmatum Dei, 448.

Veritas.

Veritas Christi hominem totum in circuitu defendit, tanquam orbitum scutum, 447.

Via.

Viam præparat Deo quisquis eum in animam suam venturum expectat, 445.

Victor.

Victores vrbium, nisi barbari sint, summæ cauent cura, ne quis suorum militum iniurius sit fœminarum honestati, 485.

Vinum.

Vino diserta fieri ingenia, 282.

Virga.

Virga Aaron Elisabeth, 401.

Virginitas. Virgo.

Virgines pudicæ in domus angulo reclusæ, corda dilatantes, dulcem degunt vitam, 37.
Virginum puritas exiguo indicio marcescit, 340.
Virgo quacumque vel apparenti impudicitię specie turbatur, 115.
Virgines in templo quondam degentes, 286.
Virginum reclusio, 289.
Virginum virtutes eo magis splendent, quo minus apparent, 300.
Virginum absconsæ virtutes tandem post reclusionem agnoscuntur, 300.
Virginum puritas exiguo indicio marcescit, 336.
Virgines honestæ apparentem dumtaxat vir; vmbram debent fugere, & formidare. 340.
Virginitas cum humilitate thesaurus est Reginę cœlestis, 365.
Virginitas Mariæ commendatur, 443.
Virginitas Deiparę ab ipso nato eius custodita, 485.
Virginitas virtus excellentissima, 560.

Virtus.

Vide Vitium.

Virtutes esse connexas. 487.

Vnius virtutis constructio fundamentum est ad alias construendas, 584.

Virtutum musica harmonia: in qua Cardinales virtutes sunt voces; Theologicæ musica instrumenta, 130.

Virtutes omnes languent, vna deficiente, 139.

Virtus callide simulata non potest callida dissimulari, 227.

Virtutes hominum sunt ansæ, quibus leuantur à Deo, 228.

Virtutes hominis, ob quas à Deo ad grandia eleuatur, firmissimæ virtutes sunt, 231.

Virtutum supernaturalium habitus à Deo infunduntur homini, cùm iustificatur saltem, 256.

Virtutes morales quousque à Deo infundantur, 256.

Virtutis symbolum flos nomine Moly in Cillene Arcadiæ notissimus, 257.

Virtutes sunt flores, 300.

Virtutes omnes inter se connexæ, 487.

Virtutum connexio harmonica musica, 487.

Virtus in mediocritate consistit, 566.

Visitatio.

Visitationes fœminarum, quibus conuersationibus honestantur, 390.

Visitationes fœminarum magna circunspectione tam adeundæ, quàm admittendæ, 391.

Visitationum conuersationes quales esse debeant, 403.

Visitationes fœminarum murmurationibus infectæ, 405.

Visitationibus, in quibus sancta est conuersatio, interuenit Deus, discedit ab impuris, 420.

Visitatione sua fert Maria ad Ioannem mel, & lac, quibus demulceat palatum infantis, 430.

Vitis.

Vitis lignum scientiæ. 282.

Vitium. Vitiosus.

Vide Virtus.

Vitiorum mensores sunt dæmones, quorum singuli singula vitia, ac turpitudines singulas metiuntur, 130.

Vitia pueritiæ, & iuuentutis raro obliterantur maturiori ætate, 303.

Vitiorum mel in laqueis venatorum, 304.

Vitiosi homines imminentem iuxta se diabolum habent, vt eos subito rapiat, quem vitio ipso excœcati non vident, 340.

Vitij symbolum salix, 342.

Vitia fugienda: vt intra circularem Dei murum excipiantur, 490.

Vitula, Vitulinus.

Vitula symbolum innocentiæ, 34.

Vitula symbolum castitatis, 32.

Vitulina folia viscera Deiparæ, 38.

Vmbra.

Vmbra mortem designat, 556.

Vnio.

Vnio hypostatica humanitatis Christi ad diuinitatem strictissima, 185.

Vnionis hypostaticæ Christi admirabilis valde modus, 186.

Vocatio.

Vide Auxilium.

Vocationi Dei qui adhærere recusant, trahentur tandem ad locum miseriæ, & afflictionis, 409.

Volamanus.

Volamanus symbolum seruandæ fidei, 249.

Voluptas.

Vide Vitium.

Voluptas mundi afflictione sociata, 106.

Vterus.

Vterus prægnantis vallium infantis est, 459.

Vxor.

Vxor liber est viri; qui in ea imprimis, quasi verbum, filium sibi similem, 169.

FINIS.